IKSUS
a Pia
3.

tatē hz. amādo- vt dif- opatur ozū per xp...o venia p ō habue i. in xpm delictozū quō non it ferien- Ego sum scendi: si ane viuet uit in eter m viuū in ucauerit: im mādu- ere i chri- sum. Cum it: quē non anozuz: qm

uersatione q̄ sine charitate nulla est a minimis q̄sq; ichoat: vt ad magna pueniat. Sunt° itaq; gradus non solū inter° virtutē ⁊ virtutē: sed ⁊ i ea dem virtute. Unde gregorius su per ezechielem scribit dicens.

Cum° scām ecclīam dñs suscipit: i gradib° ei° dignoscit: q̄z eius gr̄ia p illi° incremēta declarat. Quātum eni scā ecclīa ascendēdo p sicit' tm̄ de° hoīb° ex ei° virtute in notescit. De' his quoq; gradibus btūs iob logtur dicēs. Per singlos grad° meos pzonūciabo illū oīpotē tem quippe dñm: p singulos grad° suos pzonūciat: q p īcremēta virtutū q̄ accipit ei semp laudē sue pietatis reddit. si gdē grad° i cozdis ascēsione nō eēnt: psalmista non diceret ambulabūt de virtute in virtutem. Nec mirū si ð vtute i vtutē gradus sunt: qñ ipsa vnaquaq; virt°r q̄si q busdā gdib° auget: ⁊ si p īcrementa

ponit: vñ accidit q̄ i infinitū pe- sit intēdi via. in pria aūt puto: q̄ maioz charitas eē non possit: q̄z sit supmi ozdinis angeloz uz.

p ¶ Inter vtutē. improprie dicit gradus eē inter vnā ⁊ aliā: cū in eadem linea intensionis non di sponātur: sed sic ideo dicitur: q: vna virtus alia intensioz inueni tur.

q Cum sāctus gregorius exponit verbum illud ezechiel. et veniebat vir ad portā que respiciebat ad ozientem. ⁊ ascendit gradus eius et dum exponit introducit auctozi

alibz sufficit ⁊ ē perfecta ioz. p xpo. ē. ad pseueran itas. ⁊ remittit. ⁊ vtus est me itius: vtus est pūcto medio: s ibi cōstituta sus hēri debe est: iōq; sūme r :q vtus i ascē nediū intentio ion sunt termi litas i infinitū

tatem dauid deus in gradibus eius dignoscetur cum suscipiet eu. In principio ergo. c. ponitur exposītio illius versus deus in gradibus eius ⁊c. Secundo ꝓbat q̄ in vtutibus gradus inueniunt p auctozitatē iob: p singulos gradus ⁊c. ⁊ dauid. ⁊ deambulabūt de vtute i vtutem ⁊c. ⁊ p illud auge nobis fidem. Et p similitudinem euangelij de semente primo p ducente herbam deinde spicā post frumentum. Semē est cognitio que herbam pducit cū incipit opari. cum aūt cōsumatur spicā facit. cum autem perseverat: frumentum mittit i spicam. ⁊ eadē similitudo aptatur in persona petri. Tertio ⁊ vltimo illud verbum ezechielis exponit: ⁊ venit vir ⁊c.

r ¶ Proficit. intensione virtutum.

s ¶ De his. pietatis. ⁊ quanto largioza ⁊c. arg. xxiij. q. iiij. sicut excelsis. §. i. ⁊ dic laudem sue pietatis. i. laudat deum de sua pietate.

t ¶ Virtus. ⁊ victum. j. e. §. econtrario. ⁊. §. non est mirum.

Eintritt
Austritt
Abgang

SCHOLA PIA
ARISTOTELICO-THOMISTICA,
SEU BREVIS
PHILOSOPHIÆ CURSUS
JUXTA MENTEM ANGELICI DOCTORIS,
AD PIARUM SCHOLARUM USUM,
CONCINNATUS.

TOMUS III.

CONTINENS PHYSICAM GENERALEM.

AUTHORE

PATRE ANTONIO A SANCTIS JUSTO, ET PASTORE,
è Clericis Regularibus Scholarum Piarum, iterum Philosophiæ, ac Sacræ Theologiæ Lectore.



Anno 1747.

BIBLIOTECA PROVINCIAL
SOR

Cæsar-Augustæ: In Typographia FRANCISCI MORENO.

D. Thomas 3 part. Quæst 12. Articulo 4
lo quiere de Hales tenea 37. interpretaverba
profert. Alii reducunt omnia hæc in causam
præ Electem, scilicet in providentiam De
qua omnia sunt prædeterminata et di
nata. / 50 Prædeterminatio est de mente
Doctoris Angelici.
D. Dionisius etiam asserit
Li. 5 de Divinom. Voluntatem Dei esse omnium P
determinativam.
Quæst. Art. 4 D. Tho. Lib. de causis. hæc asserit. a Providentia D
omnia esse prædeterminata. Etiam Paul Aniball. disinc. 4
vetica Theol. 4 hæc cait. Voluntate Dei non solum res in esse p
ducuntur sed etiam rebus producendis modo quo producunt
Prædeterminavit.
Vis Sophiam? Thomam. Vis Thomam? quære Sophi
Vnde venit Thomas, inde Sophia venit.
Qui capit, intactam Thomæ servare Sophiam;
Illius Angelicas Theseos has teneat.
Vicar el P. Antonio
Justo y Pastor Religioso de la Cau
la

AMPLISSIMO,

AC

PERILLVSTRI DOMINO

D. JOACHIMO

DE CASTELVI,

ESCRIBA, XIMENEZ DE URREA, MONSORIU, Centelles, Blasco, Hijar, Mompalau, Juan de Tous, Sanz, Montagut, Ferrer, Ribelles, Lloris, & Calatayud: Comiti de Carlet, Alcudia, & Gestalgar: Baroni de Tous, Terrabona, Xalon, Estivella, Beselga, & Arenès: Domino in oppidis de Benimodo, Gata, Lliber, Sanz, Resalañ, Torre de Lloris, Miralbò, Sot de Cherà, Masalet, Pintarrafes, Masarof, Castell de Aixer, &c.

Antonius à Sanctis Justo, & Pastore, Cler. Reg. Paup. Mat. Dei Scholar. Piar.

COMMUNI jam Scriptorum omnium usu, & consensione firmatum est, VIR CLARISSIME, ut qui vigilias, ac labores suos ad communem utilitatem in vulgus edere statuissent, eos Mecœnati, seu virtutum ornamento insigni; seu nobilitatis stola conspicuo inscriberent. Nec immerito: quem enim admodum peritorum in arte pingendi magistrorum

prima cura, primumque ſtudium eſt picturam bona in luce collocare, ut totius imaginis facies, colorumque omnium agglutinata temperies elegantior cunctis, pulchriorque intuentium oculis appareat: haud ſecùs, qui ſimillimum ingenio ſuo fœtum magnis vigiliis conceptum, magnoque labore partum librariorum tabernis appenſuri ſunt, bonam lucem, id eſt Mecœnatem optimum ſeligunt, cujus radiis perfuſſus liber, & decorem ſibi comparet, & ſpeciem intuentibus offerat præſtantiſſimam. Cogitanti autem mihi cujus potiſſimum ſiſterem patrocinio, quas publici juris facturus eram in Ariſtotelis Phyſicam lucubrationes, unus TU, VIR CLARISSIME, occurriſti, cujus præclaro lumine illuſtratæ, atque ab invidorum cavillis, & morſu defenſæ ſecuriùs, immò audentiùs publicam lucem aſpicerent. Nec injuria: cui namque meliùs pulcherrimam, nobiliſſimamque Philoſophiæ partem, quàm ornatiſſimo, nobiliſſimoque Principi conſecrarem? Si cui tamen fortè mirum videatur, cur TIBI tanto Viro ſiſtam exile hoc, ac levidenſe munus, cui majora certè, & graviora debeantur obſequia: is, ſi conſilii mei rationem, cauſſaſque cognoverit, intelliget profectò, me, nec temerè, nec inconſultò id facere; quin potiùs ni ita facerem, & muneri me meo defuiſſe, grandiſque inſuper piaculi reum exiſtere judicaret. Quod ut palam fiat, duo præcipuè ſunt, quæ me ad id officii genus non movent tantùm, & excitant, ſed adſtringunt etiam quodammodò, atque compellunt. Primum beneficiorum abs TE, & parente Tuo in Nos, Ordinemque noſtrum profectorum jugis, ac ſuaviſſima recordatio: altius ſiquidem quàm ut in oblivionem cadere umquam poſſit, inſidet animis noſtris mirificus ille ardor, ac ſingulare ſtudium, quo Nos, Inſtitutumque noſtrum benignè complecti, ac fovere impensè conſueviſti, cum nullam præſertim teſtificandæ hujus in Nos benevolentiæ tuæ prætermiſſeris occaſionem. Patri autem Tuo amantiſſimo quantum debeamus, vel argumento

eſſe

esse poterit singularis ille amor, & vigilantia, qua ut Scholas Pias Valentina in Urbe erigeret, erectas firmaret, firmatas protegeret, diù, multùmque, adversantibus plerisque, laboravit. Compellit deindè etiam ad honorem hunc TIBI, & qualecumque officium exhibendum singularis illa morum Tuorum suavitas, & benignitas incredibilis, quibus non modò ad alloquium Tuum accedentibus facilem aditum præstas, sed eorum etiam velut illecebris inescatos animos, & voluntates in TUI amorem allicis suaviter, atque devincis. Accedit his naturalis illa integritas tua sine acerbitate, majestas sine supercilio, sine fastu magnificentia: quas omnes ita in TE eminere conspicimus, ut liquido cunctis appareat, has animi dotes TE non tam vitæ Tuæ Comites adhibuisse, quàm tecum natas esse: nec mirum, cum gentiles illæ TIBI sint, atque avitæ, & quasi per traducem à Majoribus Tuis acceptæ. Quod quàm verum, quàmque citra turpissimæ assentationis notam à me dictum sit, vel indè cunctis mortalibus constare apertè poterit, si Majorum Tuorum præstantiam, & gloriam virtute partam in medium proferam. Sed vereor, ne dùm gratus maximè, & officiosus esse contendo, molestus TIBI, & ingratus omninò sim incomta, & minùs accurata Majorum tuorum recordatione. Tamen connitar, & gravissimorum, eorumdemque probatissimorum Auctorum fide subnixus, ab ovo, ut in proverbio est, repetam Majores Tuos, & clarissimam, honorificentissimamque propaginem tuam, nec postremum inter principes Valentinæ ditionis, immò, & Hispaniæ familias locum habuisse, nec præstantissimis invidere, omnes intelligent. Quod igitur attinet ad originem clarissimæ familiæ Tuæ, exploratæ fidei monumentis traditum est ex Burgundia in Hispanias ante annos ferè octingentos migrasse, cum Otho primus in occidente Germanorum Imperator adversùs Mauros Hispaniam populantes suppetias mitteret Comiti Barchinonensi Borrellio. Tunc siquidem primus, quem

historiæ

hiſtoriæ memorant, ſuperatis Maurorum turmis, Tarraconenſem agrum incoluit Burgundio clariſsimus Ludovicus, ſive Galzeranus de Castelvi, qui relicto inibi propaginis ſuæ ſurculo nobiliſsimo, in Regnum ſe tranſtulit Valentinum; in quo tam procera, tamque ſublimis jam tum indè excrevit Familia Tua, ut immortalitatem ſibi quamdam, & æternum nomen comparaſſe videatur. Viguit enim illa ſemper, & viget adhuc Virorum fortium mater fœcunda, cum, avulſo uno, alter non deficit, in quem meritò quadret, quod in Camerte Virgilius appoſitè laudat:

Cui genus à proavis ingens, clarumque paternæ
Nomen erat virtutis, & ipſe acerrimus armis.

Cujus rei fidem nobis facit Albertus ille de Castelvi, qui Raimundo Berengario, Comiti Barchinonenſi Baleares Inſulas expugnanti miles, & individuus Comes adhæſit. Teſtis etiam magnus ille Galzeranus de Castelvi, qui ſtrenuè, fortiterque meruit in Caſtris militaribus ſub Petro Secundo Aragoniæ Rege, cum ad Navas Toloſæ adverſus Miramolinum Marrochii Barbarorum Regem de rei ſumma acriter dimicatum eſt. Teſtis etiam locuples Bertrandus de Castelvi, qui Alphonſum hujus nominis quartum Aragoniæ Regem in Sardiniam Inſulam ſequutus, Barbarorum pervicaciam fregit, munimenta velut immiſſo cœlitùs fulmine diſrupit, totamque Inſulam, fugata Mahometicæ ſectæ ſuperſtitione, Deo, Regique ſuo paccatam reddidit, tranquillamque. Hinc factum eſt, ut magna bonorum, redditumque acceſsione beneficentia regia cumulatus, novæ Castelviniorvm familiæ in eadem Inſula fundamenta jecerit; undè poſtmodùm Comites Lacanenſes, & Vice-Comites de Sanluri inter Sardiniæ Proceres nobiliſsimi originem traherent. Quis etiam neſciat, Petrum Aragoniæ Regem quartum, cum totius Regni Comitia Cæſar-Auguſtæ difficil-

limo

limo tempore celebrarentur, veluti Statorem alterum Jovem asciviſſe ſibi Gundiſalvum de Castelvi, qui Regiis pedibus aſsidens, ejus & vitam, & honorem, authoritatemque à malevolorum aſtu, inſidiis tueretur? Sed quid immoror recenſendis Majoribus Tuis, cum nemo non videat, egregiam eos cunctis Hiſpaniæ Regibus operam tum belli, tum pacis tempore prudentia, conſilio, authoritate, qua apud omnes valebant maxima, contuliſſe? Hæc certè notiora ſunt, quàm ut ignorari ab aliquo poſſe videantur: cum nemo tam peregrinus, atque hoſpes in Aragoniæ faſtis reperiatur, qui non videat, avitam Gentis Tuæ gloriam in eo maximè poſitam fuiſſe, ut Regum ſuorum gloriam, & Patriæ fines non tuerentur modò, atque defenderent, ſed augerent etiam, & propagarent. Verùm etſi magnum quiddam ſit, longiſsimam Majorum Tuorum ſeriem militari ſemper gloria floruiſſe; illuſtrius tamen multò, atque præſtantius eſt, prodiiſſe ex eadem Stirpe Viros nobiliſsimos, qui ſive literarum fama conſpicui, ſeu virtutum gloria commendati nihil antiquius habuerunt, quàm ut Dei honorem, & Patriæ gloriam, & egenorum levamen ſincera fide prudentia, atque induſtria mirabili magnoperè promoverent. Teſtem advoco Raimundum de Castelvi, qui poſtquam ſumma vigilantia, ſummòque animarum zelo Barchinonenſi præfuit Eccleſiæ, Tarraconenſis demùm Archiepiſcopus renuntiatus, rebus humanis ereptus eſt, grande ſui deſiderium relinquens. Teſtis Raimundus item alius de Castelvi, qui cum omnium diſciplinarum, ac virtutum genere inſtructiſſimus haberetur, eidem Barchinonenſi Eccleſiæ Epiſcopus datus eſt. Plures etiam alii Gentiles Tui, cum optimè de Regibus, atque de Patria meruiſſent, mirum non eſt, ſi ad eos honoris, ac dignitatum gradus in Republica aſcenderint, qui non niſi ſpectatiſsimis prudentia, atque doctrina viris conſtituti ſunt. Cum igitur, VIR CLARISSIME, tanta ſit Majorum Tuorum gloria, tanta ab antiquiſsimis uſque

tempo-

temporibus ſpectata Nobilitas, ut præ temporis diuturnitate, niſi faceret nobis fidem nominis ſplendor, peti vix poſsit ad TE undè proceſſerit, nemini profectò mirum videri debet, ſi Domus tuæ Connubia nobiliſsimus quiſque ſolliciter, & utriuſque commixto ſanguine in unum Tecum coaleſcere concupiſcat. Hinc nata cum præcipuis totius Regni Familiis Escriba, nempè Urrea, Mompalau, Monsorriu, & aliis, quorum ſtemmatibus honeſtaris, affinitas, atque conjunctio: quarum omnium non tam opum, ac Nobilitatis, quàm virtutum, ac rerum benè geſtarum hæres in hanc vitæ mortalis uſuram evaſiſti. Si ergò tam præclara, tamque illuſtria TIBI à Majoribus Tuis proponuntur exempla, ad quorum imitationem mores componas tuos, qualem, quantumque TE eſſe oportet, VIR CLARISSIME? Nempè qualis es. TU Majorum tuorum ardua premens veſtigia, quæ in illis diviſa paſsim, atque diſperſa reperiuntur, animi Tui magnitudine non congregas modò, ſed vincis etiam, & longè ſuperas. TU pietatem in Deum colis, beneficentiam in Pauperes, in Regem fidem. TU modeſtiæ ſpecimen, probitatis exemplum, integritatis normam præfers. TU: Sed nolo plura de TE, ne TIBI fucum facere, & benevolentiam captare videar tuarum objectu virtutum: tales enim illæ, tantæque ſunt, ut neque meo, neque alterius cujuſque teſtimonio indigeant: præſertim cum nullum fuerit vitæ tuæ ſpatium tam malè locatum, in quo non ea ediderîs bonarum actionum exempla, quæ & ornare ea potiùs alios, quàm aliena laude ornari mereantur. Huc accedit, quòd cum omnis per ſe virtus bonum faciat eum, & amabilem, in quo eſt; tum ea præcipuè, quæ non in anima ſolùm continetur, ſed foras quaſi exilit, & erumpit, cujuſmodi ſunt Comitas, Beneficentia, Æquitas, Manſuetudo, & id generis aliæ: in quibus cum ita ſemper excelluêris, ut qui maximè; profectò mirum non eſt, ſi TE omnes diligant, omnes colant,

lant, & memoriam Tui gratiſsima voluntate proſequantur. His ego virtutibus, ſed ſingulari præcipuè benignitate Tua fretus, qualemcumque hunc laborem meum TIBI nuncupare ſtatui: non quòd ſperarem, poſſe me parem Tuis in Nos beneficiis gratiam rependere, cum non ita me ignorem, ut neſciam quàm mihi curta ſit, acciſaque ſupellex; ſed ut aliquam ſaltem grati, memoriſque animi ſpeciem TIBI oſtenderem. Vellem tamen ſic abs TE acceptum iri, ut non propterea ex muneris tenuitate metiaris offerentis animum, cum dona non tam pretio, quàm voluntate æſtimentur, Teſte Ovidio:

Nec, quæ de parva pauper Diis libat acerra,
Thura minùs, grandi quàm data lance, valent.

Quin potiùs ita accipias velim, ut omnes intelligant, mihi, quandoquidem merita in Nos tua æquare non poſſum, voluntatem, quæ maxima ſemper fuit, non defuiſſe: *Per hanc* (dicam cum Salomone Sap. cap. 8. verſ. 13.) *habebo immortalitatem: & memoriam æternam* gratitudinis noſtræ *his, qui poſt me futuri ſunt, relinquam.* VALE.



ERRATA SIC CORRIGE.

PAg. 68. lin. 27. *poteſt*, lege *potes*. Pag. 92. lin. 16. *actuale*, lege *actualem*. Pag. 98. lin. 13. *metaphiſici*, lege *metaphyſici*. Pag. 117. lin. 7. *diſcere*, lege *diſcedere*. Pag. 119. lin. 7. *infimatum*, lege *informatum*. Pag. 122. lin. 17. *generationis*, lege *generationi*. Pag. 141. lin. 7. *eſſe*, lege *eſſet*. Ibid. lin. 18. *Angelorum*, lege *Angelum*. Pag. 157. lin. 18. *niſi*, lege *niſi*. Pag. 159. lin. 1. *addc*, lege *adde*. Pag. 162. lin. 8. *earum*, lege *contra earum*. Pag. 166. lin. 10. *quà*, lege *quàm*. Pag. 170. lin. 11. *formam*, lege *materiam*. Pag. 219. lin. 16. *ſubſtantia*, lege *ſubſiſtentia*. Pag. 232. lin. 5. *rurſum*, lege *ſurſum*. Pag. 234. lin. 16. *qualitati*, lege *quantitati*. Pag. 267. lin. 13. *oomplexivè*, lege *complexivè*. Pag. 281. lin. 3. *cuſa*, lege *cauſa*. Pag. 293. lin. 5. *poſterioritas*, lege *poſtericritas*. Ibid. lin. 8. *cunſtat*, lege *conſtat*. Pag. 297. lin. 6. *provocantes*, lege *provocantibus*. Pag. 314. lin. 13. *diſtarent*, lege *diſtaret*. Pag. 341. lin. 7. *effectus*, lege *effectui*. Pag. 342. lin. 19. *genere*, lege *gerere*. Pag. 364. lin. 7. *omnis*, lege *omnes*. Pag. 373. lin. 10. *receptiva*, lege *receptiva*. Pag. 392. lin. 28. *amdem*, lege *eamdem*. Pag. 405. lin. 16. *provideretur*, lege *prævideretur*. Pag. 476. lin. 25. *præſtat*, lege *præſtant*. Pag. 496. lin. 33. *eſſe*, lege *eſt*. Pag. 535. lin. 17. *hoc ... redicula*, lege *hæc ... ridicula*. Pag. 550. lin. 21. *pareant*, lege *pereant*. Pag. 559. lin. 27. *utriuſque*, lege *uterque*. Pag. 571. lin. 25. *poteſt*, lege *puto*. Pag. 573. lin. 23. *ſuffragatut*, lege *ſuffragatur*. Pag. 583. lin. 21. *abullitque*, lege *ebullitque*. Ibid. lin. 24. *abulliens*, lege *ebulliens*. Pag. 584. lin. 21. *abullit*, lege *ebullit*. Pag. 600. lin. 31. *centum*, lege *centrum*. Pag. 612. lin. 8. *mpreſſos*, lege *impreſsi*. Ibid. lin. 16. *velicitate*, lege *velocitate*. Ibid. lin. 20. *indicat*, lege *incidat*. Pap. 613. lin. 28. *penderis*, lege *ponderis*. Pag. 648. lin. 2. *Damaſum*, lege *Damaſcum*. Pag. 665. lin. 18. *non eſſe*, lege *eſſe*.

He viſto el Libro, intitulado: *Schola Pia Ariſtotelico-Thomiſtica, ſeu brevis Philoſophiæ Curſus, &c. Tomus tertius, continens Phyſicam Generalem. Auctore P. Antonio à Ss. Juſto, & Paſtore, Scholarum Piarum*: eſcrito en la Ciudad de Zaragoza, Reyno de Aragon, el qual, con los errores arriba corregidos, concuerda con ſu Original. En fee de lo qual, dì el preſente, firmado de mi mano, en Madrid à 28. de Junio de 1747.

D. Manuel Licardo de Rivera,
Corrector Gen. por ſu Mag.

SUMA

SUMA DE LA TASSA.

TAſſaron los Señores de el Real Conſejo de Caſtilla el Libro intitulado: *Schola Pia Ariſtotelico-Thomiſtica, &c.* ſu. Autor el Padre Antonio de San Juſto, y Paſtor, de las Eſcuelas Pias de Zaragoza, à ſeis maravedis cada pliego, como conſta por Certificacion de Don Juan de Peñuelas, Secretario de Camara de el Rey nueſtro Señor, y de Govierno, de el Conſejo por lo tocante à la Corona de Aragon, dada en Madrid à primero de Julio de mil ſetecientos quarenta y ſiete.

APPROBATIONES.

TOmus hic tertius in lucem publicam profertur eiſdem, quibus duo primi prodierunt, ac primo tomo contentis Approbationibus.

NOTA.

CUm non ita facilè errata omnia adverti, corrigi, aut emendari valeant, dum prælo paginæ demandantur, quin potiùs inter corrigendum ab Excuſſoribus plerumque committatur error pejor priore, ut per otium, & quierem reperiri ſolent: placuit hic errata quædam tomo ſecundo deprehenſa ſubjungere. Itaque pag. 100. lin. 16. & 25. *potens*, lege, *potentem*. Pag. 101. *illud*, lege, *illum*. Pag. 108. lin. 18. *valent*, lege, *valet*. Pag. 115. lin. 31. *venit*, lege, *veniet*. Pag. 242. lin. 19. *diſputans*, lege, *diſputantem*.

INDEX LIBRORUM, QUÆSTIONUM, ET ARTICVLORVM, QUI HOC IN TOMO CONTINENTUR.

TRACTATVS VNICVS DE PHYSICA GENERALI.

PRÆAMBVLVM

De Natura, Objecto, & Proprietatibus Physicæ. Pag. 2.

LIBER I.

DE PRINCIPIIS INTRINSECIS ENTIS NATURALIS.

QUÆSTIO I.

DE PRINCIPIIS ENTIS NATURALIS IN COMMUNI.

Articulus I. *Ea, quæ sunt omnibus certa de Ente Naturali, ejusque Principiis, explicantur.* Pag. 10.
Articulus II. *Varia Philosophorum placita circa Principia Entis Naturalis proponuntur.* Pag. 16.
Articulus III. *Rejicitur Atomistarum Opinio.* Pag. 32.
Articulus IV. *Cartesianorum, & Chymicorum Opinio reprobatur.* Pag. 47.
Articulus V. *Aristotelis Sententia statuitur.* Pag. 53.

QUÆS-

QUÆSTIO II.

DE MATERIA PRIMA.

Articulus I. *An, & quid sit Materia Prima?* Pag. 75.
Articulus II. *Utrum Materia prima ita sit pura potentia, ut nullum essentialem actum includat?* Pag. 89.
Articulus III. *Utrum Materia prima propriam habeat existentiam?* Pag. 99.
Articulus IV. *Utrum Materia prima possit existere sine forma?* Pag. 116.
Articulus V. *Reliqua de Materia prima exponuntur.* Pag. 123.

QUÆSTIO III.

DE FORMA SUBSTANTIALI.

Articulus I. *An, & quid sit Forma substantialis?* Pag. 128.
Articulus II. *Quæ, & quatenùs educantur Formæ de potentia materiæ?* Pag. 153.
Articulus III. *Utrum plures formæ substantiales possint eamdem simùl informare materiam?* Pag. 179.

QUÆSTIO IV.

DE FORMA ACCIDENTALI.

Articulus I. *Utrum dentur Formæ accidentales à tota substantia realiter entitativè distinctæ?* Pag. 207.
Articulus II. *De Accidente naturali, violento, & artificiali.* Pag. 228.

QUÆSTIO V.

DE COMPOSITO NATURALI.

Articulus I. *Quatenùs ex materia, & forma unitis constituatur Compositum naturale?* Pag. 237.
Articulus II. *An totum substantiale à suis partibus simùl sumptis, & unitis realiter distinguatur?* Pag. 253.

LIBER

LIBER II.

DE PRINCIPIIS EXTRINSECIS ENTIS NATURALIS.

QUÆSTIO I.

DE CAUSIS IN COMMUNI.

Articulus I. *Quid, & quotuplex ſit Cauſa?* Pag. 268.
Articulus II. *De Cauſarum prærequiſitis, ſeu conditionibus ad cauſandum.* Pag. 282.
Articulus III. *Utrum idem numero effectus valeat ſimùl, aut diviſivè à duplici cauſa procedere?* Pag. 302.

QUÆSTIO II.

DE CAUSIS IN PARTICULARI.

Articulus I. *De Cauſa efficiente principali.* Pag. 325.
Articulus II. *De Cauſa efficiente inſtrumentali.* Pag. 357.
Articulus III. *De Cauſa finali.* Pag. 373.
Articulus IV. *De Fortuna, Caſu, & Fato.* Pag. 383.

QUÆSTIO III.

DE CAUSA PRIMA, QUATENUS AD EFFECTUS CREATURÆ concurrente.

Articulus I. *Utrum Deus ſimùl cum creatura ad hujus effectus immediatè concurrat?* Pag. 386.
Articulus II. *Utrum Deus prævièconcurrat, ſeu phyſicè præmoveat cauſas neceſſarias ad operandum?* Pag. 402.
Articulus III. *Utrum Deus titulo primi Agentis, ſupremi Domini, primi Actus, primique Motoris phyſicè*

physicè præmoveat causas secundas liberas ad operandum? Pag.411.
Articulus IV. *Utrum physica Præmotio lædat, an perficiat creatam libertatem?* Pag.432.
Articulus V. *Ab inconvenienti statuitur physica Præmotio.* Pag.468.
Articulus VI. *Utrum physica Præmotio sit conformis Sacræ Scripturæ, Conciliis, & SS. Patribus?* Pag.479.
Articulus VII. *An, & quatenùs concurrat Deus ad actus peccaminosos?* Pag.500.

LIBER III.

DE PROPRIETATIBUS ENTIS NATURALIS.

QUÆSTIO I.

DE INTEGRALI COMPOSITIONE CORPORIS naturalis.

Articulus I. *Utrum Corpus naturale ex solis indivisibilibus integraliter componatur?* Pag.521.
Articulus II. *Utrum Corpus naturale, non solùm ex punctis, sed ex partibus etiam semper divisibilibus componatur?* Pag.537.

QUÆSTIO II.

DE MUTATIONE ENTIS NATURALIS.

Articulus I. *Quid sit Motus, & quotuplex?* Ubi *de Actione, & Passione.* Pag.551.
Articulus II. *De Mutatione Generativa, sive de substantiali rerum Generatione.* Pag.562.
Articulus III. *De Mutatione Corruptiva, sive de substantiali rerum Corruptione.* Pag.570.

Arti-

Articulus IV. *De Motu Alterationis*: Ubi *de Rarefactione, & Condenſatione.* Pag. 581.
Articulus V. *De Motu Nutritionis, & Augmentationis.* Pag. 586.
Articulus VI. *De Agentium Actione, Reactione, Reſiſtentia, Reflexione, & Antipariſtaſi.* Pag. 590.

QUÆSTIO III.

DE MOTU LOCALI.

Articulus I. *De Natura, Diviſionibus, Origine, & Proprietatibus Motus Localis.* Pag. 599.
Articulus II. *De Motu Gravium, & Levium*: Ubi *de Gravitate, & Levitate.* Pag. 619.
Articulus III. *De Motu Elaſtico, Motuque projectorum, & pendulorum*: Ubi *non nihil de Quiete.* Pag. 630.
Articulus IV. *Aliqua de Motu Locali dubia reſolvuntur.* Pag. 634.

QUÆSTIO IV.

DE LOCO, ET VACUO.

Articulus I. *De Loci natura.* Ubi: *An idem corpus in duplici loco, aut in eodem loco duplex corpus valeat exiſtere?* Pag. 638.
Articulus II. *De Vacui poſſibilitate, natura, & exiſtentia.* Pag. 650.

QUÆSTIO V.

DE TEMPORE, ET INFINITO.

Articulus I. *De Temporis Natura, & Exiſtentia.* Pag 657.
Articulus II. *An ſit poſſibile extra Deum Infinitum in actu?* Ubi *de Creatura omnium poſſibilium perfectiſſima.* Pag. 665.

TRAC-

TRACTATUS UNICUS,

DE PHYSICA GENERALI,

SIVE IN OCTO

PHYSICORUM LIBROS.

PROŒMIUM.

PHYSICA præ cœteris omnibus Philoſophiæ partibus jucundiſsima, eſt naturæ ſpeculatio, ſivè de rebus naturalibus ſcientia, cujus dignitas, & amplitudo non alia ratione meliùs intelligi, clariùſque deprehendi poteſt, quàm ſi ipſius naturæ majeſtas, atque admirabilis prorsùs varietas, & pulchritudo animo nobis, atque oculis obverſetur. Aſpice tellurem medio aere pendulam, celſiſsimis montium crepidinibus, depreſsiſque vallium collibus diſtinctam, innumerâ penè vegetantium ſobole fœcundam, immenſo ferè metallorum pondere fœtam, totque animalium nutricem, ac verè matrem. Aſpice maris undas, criſpatoſque vortices, cujus

ſub ſinu tot piſcium, gemmarumque genera latent, ac procreantur; cujus latices per abditos terræ meatus ſe immiſcentes, in limpidiſſimos fontes erumpunt, perennique rivorum curſu ad mare, undè exeunt, iterum revocantur. Aeream aſpice regionem, apertum ventorum prœliis, nubium occurſibus, imbrium, grandinumque campum. Altiùs extollas oculos; cœlorumque orbes, aſtra, ſidera facilè intueberis. Hæc igitùr omnia, ac ſingula, pluraque alia noſtra Philoſophia pandit, quorum cognitione nihil amœnius, nihil jucundius, nihil ſuavius humanæ menti advenire poſſe, mens ipſa liberè confitetur.

PRÆAMBULUM
DE NATURA, OBJECTO, ET PROPRIETATIBUS PHYSICÆ.

1 PHYSICA à verbo græco, *Phyſis*, quod naturam ſignificat, *naturalis ſcientia* latinè dicta, eſt: *Facultas agens de ente naturali*: Altera eſt Generalis, altera ſpecialis. Phyſica generalis ea eſt, in qua de ente naturali agitur in communi: & quæ octo Phyſicorum libros, quos de

Phyſico

Physico auditu Aristoteles appellavit, amplectitur. Physica specialis est, quæ de singulis naturalis entis speciebus peragit. Hæ autem non sunt partes subjectivæ scientiæ naturalis, ita ut sint habitus physici specie diversi; sed partes tantummodò objectivæ; quatenùs idem habitus, qui, pro ut de ente naturali generatim agit, dicitur *Physica Generalis*: pro ut de eo speciatim disputat, *specialis Physica* nominatur.

2 Certum est apud omnes, ens naturale esse objectum Physicæ, ut ex ejus definitione communiter admissa, manifestè patet. At verò *Naturale* multipliciter usurpari solet, ut secundo Physicorum dicitur, sed propriè sumitur impræsentiarùm pro eo, quod habet principium intrinsecum motus, & quietis, aliarumque passionum, quæ rerum materialium naturam consequuntur, quales sunt, *finitas, locabilitas, divisibilitas, &c.* Est enim Natura. (1) *Principium, & causa motus, & quietis ejus, in quo est, primò, & per se, non secundùm accidens*: Id ergò, quod ejusmodi principium habet, erit ens naturale.

3 Quandoquidem verò tria hæc: *Ens mobile, corpus mobile, & Ens naturale* idem omnino sunt, ac pro eodem usurpantur; sicut objectum Physicæ dicitur *Ens naturale*, ita *Ens mobile*, ita *corpus mobile*: neque circa hoc, dissidium aliquod oriri unquàm potuit, nisi de voce. At verum censemus (2) Physicæ objectum aptiùs, proprius, & clariùs exprimi per *Ens mobile*: *Tum*, quia mobilitas est naturalitatis expressio: *tum* etiam, quia Physica suum objectum non probat, sed supponit; probat autem, & non supponit, omne mobile corpus esse: Ergò *Physicæ objectum est ens mobile simpliciter: non dico corpus mobile; quia omne mobile esse corpus, probatur ex isto libro; & nulla scientia probat suum objectum.* (3)

(1) *Arist. 2. Physic. text. 3.*

(2) *Coll. D. Thom. quæst. Proœm. art. 1. §. 3.*

(3) *D. Thom. 1. Phys. lect. 1.*

4 Licet autem in hoc unum conſpirent Authores omnes, Ens ſcilicèt, ſive corpus mobile eſſe objectum Phyſicæ; alii tamen ens naturale ſolummodò ſubſtantiale; alii ens abſtrahens à ſubſtantiali, & accidentali Phyſices objectum appellant. Enim verò aliud eſt ens mobile ſubſtantiale, aliud ens mobile ſubſtantialiter. Primum eſt ſubſtantia, quæ movetur ad formam, ſive ſubſtantialem, ſive accidentalem acquirendam. Secundum eſt ſubſtantia ipſa, quatenùs movetur ad formam determinatè ſubſtantialem. Pari modo ens mobile accidentale eſt accidens, quatenùs capax cujuſcumque motus. Ens mobile accidentaliter, eſt entitas quælibet, ſubſtantia ſit, aut accidens, quæ ad formam movetur accidentalem.

5 *DICIMUS*: Primarium Phyſicæ objectum eſt ens mobile ſubſtantiale. Sic D. Thomas: (4) *Scientia naturalis non eſt circa ens ſimpliciter, ſed circa quoddam genus entis, ſcilicet circa ſubſtantiam naturalem, quæ habet in ſe principium motus, & quietis. PROB.* concluſio: Primarium Phyſicæ objectum eſt ens naturale, eſt enim Phyſica ſcientia de ente naturali; ſed ſolum ens mobile ſubſtantiale eſt ens naturale: Ergò. Prob. min. ens naturale eſt, quod naturam habet, principium ſcilicet radicale motus, & quietis; ſed ſolùm ens mobile ſubſtantiale eſt, ſeu habet radicale principium motus, & quietis: Ergò.

6 Prob. min. Illud eſt primum, & radicale principium motus, & quietis, per cujus conformitatem, aut difformitatem motus, & quies naturales ſunt, aut violenti; ſed hi ſunt naturales, aut violenti per conformitatem, aut difformitatem cum ſubſtantia, ſecùs cum accidenti: Ergò. Patet min. Ideò enim motus intenſionis caloris igni naturalis eſt, & violentus aquæ, quia conformis eſt ignis ſubſtantiæ, difformis autem aquæ; cum tamen ſit, tam ignis, quàm aquæ calori conformis: Ergò non calor, ſed ſubſtantia ignis, eſt

(4) 6. *Met. tex.* 1. & 1. *de Cœlo, lect.* 1.

est radicale principium intensionis motus caloris; non calor, sed aquæ substantia eidem intensioni resistit, ac proindè, quia conformis præcisè substantiæ ignis, naturalis dicitur igni; & quia aquæ substantiæ difformis, violenta dicitur aquæ.

7 *Resp. primò*, accidentia non esse principium activum motus; esse tamen passivum; v. gr. qualitatem motus intensionis, quantitatem motus augmentationis, &c. *Secundò* dicunt, motus naturalitatem non à subjecto solùm, sed etiam à termino desumi debere: accidens autem esse terminum, licet non motus subjectum, ut patet in augmentatione, cujus terminus est quantitas; & in intensione, cujus terminus est qualitas. *Tertiò resp.* principium accidentale motus substantiam supponere, atque in ipsa radicari in esse entis; non tamen in esse Principii motus.

8 *Impug.* prima solutio: Accidens nequit esse primum, & radicale principium motus, adhuc passivum: Ergò. *Prob. ant.* 1. Sicut in linea activa forma substantialis est primus actus, ita in linea passiva materia prima est prima potentia; sed in linea activa forma accidentalis supponit substantialem, velut primum, & radicale motus principium: Ergò. *Secundò*: Passivum radicale motus principium est prima potentia, undè omnis oritur mutabilitas, sicut activum est primus actus; sed illiusmodi est materia prima, non accidens: Ergò. *Tertio*: Ideò accidens non est principium activum, quia non sibi, sed substantiæ agit; non sibi, sed substantiæ assimilat effectum; atqui per motùs acquisitionem substantiæ non sibi, perfectionem intendit, saltem primario: Ergò.

9 *Impug.* secunda solutio 1. Terminus motus est indifferens, ut naturalem terminet motum, aut violentum: Ergò à termino præcisè non dicitur naturalis, aut violentus. Patet ant. nam idem locus suprà positus terminat naturalem ascensum ignis, & violentum lapidis: idem etiam calor est terminus naturalis intensionis in igne, & violentæ in-

tensionis

tenſionis aquæ. *Secundò*: Per quemlibet motum producitur terminus in eſſe talis; ſed omnis terminus, ut talis, habet inclinationem ad ſuæ productionis motum, ut patens eſt: Ergò omnis terminus, ut talis quemlibet exigit motum, qui proindè erit ſemper naturalis, numquam violentus; quòd falſum eſt.

10 *Impug.* tertia ſolutio: Ideò principium accidentale motus in eſſe entis radicatur in ſubſtantia, quam præſupponit, quia entitas accidentis non eſt propter ſe primò, ſed propter ſubſtantiam; ſed etiam in eſſe principii eſt propter ſubſtantiam: Ergò. Prob. min.: Quidquid accidens per motum intendit, ſubſtantiæ acquirit, ut patet in motu augmentationis, quo viventis perfectio quæritur, non quantitatis: ut patet iterum; quia accidens quippè ſubſtantiæ proprietas, illi ex natura ſua famulatur: Ergò. (5)

11 *Ex quibus* jam inferes, objectum materiale Phyſicæ eſſe ens reale, quatenùs capax naturalitatis, ſeu motus Phyſici, & naturalis: Objectum formale *quod*, Naturalitatem ipſam, ſeu mobilitatem naturalem; quia quidquid Phyſica attingit, ſub ratione formali phyſicæ, ſeu naturalis mobilitatis attingit: Objectum formale *quo* eſſe abſtractionem à materia ſingulari, ſenſibilem materiam concernentem; agit enim Phyſica de ente mobili, vel quatenùs ſenſibili; vel in ordine ad ſenſibilitatem.

12 *INTELLIGES* jam, Phyſicam eſſe propriè ſcientiam, eamque purè ſpeculativam. *Ratio* primi eſt: Quia de ente mobili plura Phyſica demonſtrat, v. gr. quòd quatuor habeat cauſas; quod ſit alterationis, augmentationis, diminutioniſque capax, &c. *Item*: Ariſtoteles demonſtrat, animalia à ſe moveri, quia habent animam; mixta corrumpi, quia ſunt contrariis obnoxia, aliaque hujuſmodi: Ergò. *Ratio* ſecundi eſt: Quia Phyſicæ objectum non eſt aliquid à nobis fabricabile, ſed ſolum cognoſcibile: neque Phyſica intendit earum

(5) *V. Rip. tom. 2. quæſt. Præam. num. 15. & ſeq.*

earum rerum, de quibus disputat, effectionem; sed meram contemplationem: Ergò.

13 *INTELLIGES* secundò, Physicam esse unam scientiam in specie atoma, ac simplicem qualitatem. *Ratio* est: Nam Physica ea omnia, de quibus agit, sub unica ratione formali naturalis mobilitatis attingit: licet enim multos, eosque diversos tractatus habeat, in omnibus agit de ente naturali, aut in communi, aut in particulari; idque semper sub ratione formali naturalis mobilitatis. Quæcumque in oppositum objici possunt, facilè ex dictis in Logica de hujus scientiæ simplicitate, dissolvuntur.

14 *ARGUES* contra nostram Conclusionem: Objectum formale Physicæ est ens naturale; sed nedùm substantia, sed accidens etiam est ens naturale: Ergò. Prob. min. Non substantia solùm, sed etiam accidens est principium radicale motus: Ergò. Prob. ant. Principium radicale motus intensionis est qualitàs: Ergò. Prob. ant. Illud est principium radicale intensionis, quod est intensibile; sed sola qualitas est intensibilis: Ergò. Idem fieri potest argumentum de motu augmentationis, & diminutionis, ac de motu locali respectu quantitatis.

15 *Resp.* dist. maj. ultim. prob. Quod est intensibile formaliter, nego maj. quod est intensibile radicaliter, concedo maj. & è contrà distincta min. nego conseq. Licet qualitas sola sit formaliter intensibilis, prima tamen radix hujus intensionis est substantia; cum ea intendatur per majorem in subjecto radicationem: unde qualitatis intensio naturalis est, si fit juxtà exigentiam substantiæ, ut intensio frigiditatis in aqua; est autem violenta, si fit contrà naturæ substantialis exigentiam, ut est in aqua intensio caloris. Eodem modo respondetur ad arg. quod fieri solet de motu augmentationis, & diminutionis respectu quantitatis.

16 *Dices:* Datur motus naturalis, qui nequit in substantia radicari: Ergò. Prob. ant. descensus specierum sacramenta-

mentalium eſt motus phyſicus naturalis ; ſed nullum habet ſubſtantiale principium, ubi radicetur : Ergò. *Deinde*: Generatio ſubſtantialis eſt mutatio naturalis ; ſed non præſupponit ſubſtantiam , cum hæc per generationem producatur: Ergò. *Reſp.* nego ant. ad prob. diſt. min. Nullum habet principium ſubſtantiale formaliter tale , conc. virtualiter , & ſubſtitutivè, nego. Sicut enim quantitas in Euchariſtia remanet ſubjectum cœterorum accidentium, ità gravitatis : conſequenter ſubſtantiæ virturem retinet, qua radicet motum naturalem. *Ad* 2. dicimus , generationem præſupponere mareriam primam , in qua radicetur.

17 *Inſtab.* : Licet omnis motus naturalis ad ſubſtantiam, tamquam ad radicem reducatur ; non ſola ſubſtantia eſt objectum Phyſicè:Ergò. Prob. ant.: Omnia de quibus agit Metaphyſica , in ſubſtantiam reducuntur , cum ea omnia , aut ſint ſubſtantiæ, aut accidentia; ſed non ſola ſubſtantia eſt objectum Metaphyſicæ: Ergò. *Reſp.*, diſt. maj. probationis: Ad ſubſtantiam reducuntur , conſiderata ſub ratione determinata ſubſtantiæ, aut accidentis, ſub qua non attinguntur à Metaphyſica, concedo; ſub ratione communiſsima entis, ſub qua à Metaphyſica attinguntur, nego. Accidens enim ſub ratione entis, qua eſt objectum Metaphyſicæ, non exprimit dependere à ſubſtantia: At verò motus , ut naturalis, prout à Phyſica reſpicitur , pendet à ſubſtantia , tamquam à radice , ut conſtat. (6)

18 *Replic.* : Subſtantia non eſt naturaliter mobilis ratione ſui, ſed ratione accidentium : Ergò potius acidentia,quàm ſubſtantia ſunt Phyſicæ objectum. Prob. ant. Subſtantia ſolùm ratione accidentium eſt proximè , & formaliter mobilis: Ergò. *Conf.* : In motu naturali ratio formalis motus , & naturalitatis realiter identificantur ; ſed ratio formalis motus tribuitur accidenti , & non ſubſtantiæ: Ergo paritèr. *Ad arg. reſp.*, neg. ant. : ad prob., nego conſeq. Licet enim ſubſtantia

(6) *V. Palanc. tom. 2. quæſt. Prœm. num.* 15.

tia non sit proximè, & formaliter mobilis ratione sui, sed ratione accidentium; est tamen ratione sui radicaliter, seu naturaliter mobilis; quod sufficit, ut substantia, & non accidens sit objectum Physicæ, quæ formaliter respicit mobile radicale, seu naturale.

19 *Ad Conf.* nego conseq. Quia licet ratio formalis motùs, & ratio formalis naturalitatis in eodem motu identificentur; at naturalitas non continetur in virtute accidentis, ut patet ex definitione naturæ; continetur autem motus: ideo illa tribuitur substantiæ, hic accidenti: Sicut entitas, non malitia peccati, tribuitur omnipotentiæ, quià non ista, sed illa sub ejus virtute continetur. *Aut* dici potest, prædicata identificata quoad substantiam, & modum eidem attribui principio, ut patet in visione beata, cujus vitalitas, & supernaturalitas ob hanc rationem, lumini gloriæ tribuuntur; è contrà verò, quæ solùm quoad substantiam identificantur, ut motus, & naturalitas.

20 Alia omittimus argumenta, quæ apud nostros Authores (7) sunt passim obvia, ut graviora, & utiliora fusiùs, quantùm nostra brevis methodus permiserit, pro unius cujusque rei dignitate, explicemus. Ingrediamur itaque generalem Physicam, quam tribus libris brevitèr complectemur; quorum primus erit de Principiis intrinsecis entis naturalis; secundus de ejus causis, seu extrinsecis Principiis; tertius demùm de illius proprietatibus.

(7) *V. Rip. & Lang. hìc.*

LIBER I.

DE PRINCIPIIS INTRINSECIS ENTIS NATURALIS.

QUÆSTIO I.

DE PRINCIPIIS ENTIS NATURALIS IN COMMUNI.

ARTICULUS I.

Ea, quæ ſunt omnibus certa de Ente naturali, ejuſque principiis explicantur.

1 ENS naturale, quod Phyſica velut proprium intuetur ſcopum, eſt: *Quod habet principium motus, & quietis.* Natura enim eſt, juxta Ariſtotelem: (1) *Principium, & cauſa motus, & quietis ejus, in quo eſt primò, & per ſe, & non ſecundùm accidens.* Id eſt: Nativa indoles, ſeu virtus illa, quam res quælibet vi ſuæ generationis habet ratione

(1) *Ariſt. 2. Phyſic. cap. 1.*

tione cujus principium eſt *motus*, ſeu quarumlibet mutationum; & *quietis*, qua videlicèt in termino per motum acquiſito quieſcit. Sic plantæ natura appellatur innata vis, qua ex ſemine pullulat, qua augetur, qua terræ ſuccum abſorvet, qua frondeſcit, qua demùm in flores, & fructus erumpit.

2 En mutationes plurimæ, quarum Natura principium dicitur, & cauſa. Quoniam verò hæ mutationes tandiù durare comperimus, quouſque planta debitum ſibi incrementum, debitamque perfectionem, nedùm acquirat, verùm etiam tranquilla quiete poſsideat; quietis quoque, hujus natura, ſeu vis illa, principium, & cauſa dicitur. Cum autem vis eadem plantæ conveniat non ab extrinſeco, & quaſi fortuitò, ſed ipſius generationis impetu; per ſe ipſi competit, non ex accidenti. Ex quibus, & patet naturæ definitio, & perſpicuam Entis naturalis ideam quiſque poterit efformare.

3 Ariſtotelicam Naturæ definitionem, quam Philoſophis omnibus poſt Ariſtotelem communem judicant recentiores multi, (2) rejiciunt alii, (3) quia corpus quodlibet, inquiunt, tum ad motum, tum ad quietem eſt ex ſe indifferens; nec poſſe ad alterutrum, niſi per cauſam aliquam externam, determinari, arbitrantur. Verùm, licet omne, quod movetur, ab alio moveatur, atque ab indifferenti, ut tali, nulla exeat actio determinata, ut Ariſtoteles ipſe non ſemel locutus eſt; nemini tamen dubium eſſe poteſt, quin naturali agenti nativa inſit virtus, qua rebus productis intrinſecam vim imprimat, qua deinceps, nullo extrinſeco impellente, (ſi Deum excipias) moveantur.

4 Hinc Ens naturale, ens quoque, ſeu corpus mobile appellari ſolet: quod cum variis mutationibus, alterationis nempè, generationis, corruptionis, &c. ſit obnoxium, quæ non, niſi compoſitis convenire poſſunt; compoſitum eſſe, atque

(2) *N. P. Corſin. in Præf. ad Phil. num.* 18.
(3) *Purchot. in Proluſ. ad Phyſ.*

que ex aliquibus componentibus, quæ illius *principia* à Philoſophis appellantur, coaleſcere, neceſſum eſt. Undè intrinſeca dari rerum naturalium principia, omnes Philoſophi mirificè conſenſerunt. At quænam illa ſint, aut quo nomine appellari debeant, non eſt qui arbiter, tot inter Philoſophorum opiniones maximè diſſidentes, valeat definire.

5 At verò illud in primis à Philoſophis omnibus admiſſum eſt, eam eſſe materialium rerum, omniumque corporum conditionem, ut cum aliquandò incœperint, cum anteà non eſſent, perenni quodam motu ſenſim intereant, & corrumpantur. Duplex itaquè rerum naturalium motus, ſivè mutatio eſt admittenda; altera, quà incipiant, *Generatio*; altera, qua deſinant, *Corruptio*. Prima eſt: *Tranſitus rei de non eſſe aliquid ad ipſum eſſe*; ut, cum lignum de non eſſe ignem tranſit ad eſſe ignem. Secunda eſt: *Tranſitus rei de eſſe aliquid ad non eſſe id ipſum, quod antèa erat*; ut cum ignis in cineres, favillaſque diſſolvitur.

6 Quandoquidem verò naturaliter nihil repentè fit ſummum, ſed ab imperfecto ad perfectum paulatim natura progreditur; veteri quoquè Philoſophorum conſenſu compertum eſt, ut maximas, vel ſummas, ut ita dicam, naturæ mutationes, generationem ſcilicet, & corruptionem, alia præcedat, quæ ad has viam ſternat, ſeu diſponat, & quæ ab omnibus dicitur *Alteratio*. Hæc eſt: *Tranſitus rei de non eſſe aliquid accidentale ad ipſum eſſe*; ut cum aqua de non calida fit calida. Non itaque generatur ignis ex ligno, quin præcedat ligni alteratio, quæ *calefactio* dicitur; neque in vapores evolat aqua, quin priùs calefiat.

7 Neque ulli umquam dubium meritò eſſe potuit, quin prædictæ generationis, corruptionis, alterationiſque ſint optimæ definitiones: Non enim concipi, vel intelligi poteſt, rem aliquam fieri, vel corrumpi, vel aliqua ratione alterari, niſi concipiatur, rem ipſam acquirere aliquod eſſe, vel perfectionem aliquam, quam antea non habebat; aut etiam

amittere

amittere antiquum eſſe, ut hujus loco novum aliud acquirat. Atque manifeſtiſsimè convinci poteſt, nullius rei evenire poſſe generationem, quin tria hæc in illius eventu intelligantur: *Eſſe* novum, quod acquiritur; *non eſſe*, quod relinquitur; atque ſubjectum aliquod tranſiens de *non eſſe* ad *eſſe*.

8 Atque hinc optimè Corſinus Noſter (4) opinatus eſt, Philoſophos omnes tria generationis entis naturalis, aut illius ſubſtantialis mutationis admiſiſſe principia, quocumque demùm nomine illa vocaverint; videlicet non eſſe, quod *privatio* dicitur; *eſſe*, quod appellatur *forma*; ac denique ſubjectum tranſiens de *non eſſe* ad *eſſe*, quod appellatur *materia*. Quoniam verò privatio formæ, formæ ipſi manifeſtiſsimè opponitur, ac proindè eidem ſimul ineſſe ſubjecto non poſſunt: omnibus perſpicuum eſt, ſubjectum illud, ſeu materiam, poſt acquiſitam formam, non ampliùs retinere privationem; ac proindè duo ſolùm principia, materiam, & formam in re genita ſupereſſe.

9 Hæc tamen omnia omnibus Philoſophis vera forent, ſi *Principii* nomine illud omnes uſurpaverint, ſine quo res quælibet intelligi, definiri, aut deprehendi minimè poteſt; aut illud etiam, quo primò fieri deprehenditur, ac intelligitur conſtituta. Cum itaquè de re iſta non unus ſit omnium ſenſus; quid *Principii* nomine plures intelligant, quidque debeant cæteri quoque intelligere, juvat examinare.

10 Principii nomine id intelligitur, quod primò quoquomodo influit in effectum. Duplex autem Principium diſtingui ſolet: alterum intrinſecum, alterum extrinſecum: Intrinſecum eſt, quod intra rem illam eſt, cujus principium dicitur; literæ; v. gr. componentes ſyllabam; aut lapides, quibus domus conſtruitur. Extrinſecum eſt, quod, licet principiet rem aliquam, eſt tamen extra ipſam; v. gr. typographus reſpectu lineæ, quàm literis exprimit; aut Artifex reſpectu

(4) *P. Corſin. Phyſic. Gener. tract. 1. diſp. 4. c. 1. n. 12. & 13.*

pectu domùs, quam lapidibus conſtruit. Aſt de Principio extrinſeco agemus libro ſecundo.

11 Principium intrinſecum, alterum eſt primum, ſecundum alterum. Primum intrinſecum rei principium eſt, quo res ita primò componitur, ut anteriori alio componi nequeat; & ſi deſtruatur, in aliud reſolvi, non poſsit. Secundum rei principium illud eſt, quod, licet rem aliquam componat, ipſum tamen ex aliis componitur; atque adeo neque eſt id, quo primò res conſtituitur, neque illud in quod ultimò reſolvitur: v. gr. quia dictio quælibet componitur ex ſyllabis, ſyllaba ex literis, litera demùm nullo alio componitur; literæ dicuntur prima dictionum principia, ſyllabæ autem partes ſecundò componentes, ſeu ſecunda principia.

12 Hinc facilè intelligi, deprehendique poteſt, prima intrinſeca rerum principia optimè definiviſſe Ariſtotelem: (5) *Quæ nec ex aliis, nec ex alterutris fiunt, ſed ex ipſis omnia.* Non enim prima rerum principia forent, ſi fierent ex aliis, aut ex alterutris, velut ex partibus intrinſecè componentibus: ſed omnia entia naturalia ex ipſis primò fieri debent, cum ſint prima, & communia naturalium primordia rerum; ut præclarè admodùm expreſsit Plato: (6) *Principii nulla eſt origo, nam ex principio oriuntur omnia; ipſum autem nulla alia ex re naſci poteſt; nequè enim eſſet id principium, quod aliundè progigneretur.*

13 Id quoquè, ni fallor, omnibus Philoſophis debet eſſe commune, quod Ang. Doctor expreſsit: (7) Maximum eſſe diſcrimen inter principium, cauſam, & elementum. Principium enim eſt id, à quo procedit aliquid quocumque modo, ſive ut cauſa, ſivè, ut termino, ſivè alia quavis ratione influente, ſine dependentia, & cauſalitate. Cauſa eſt id, à quo aliquid habet eſſe, non quocumque modo, ſed per

(5) 1. *Phyſic. cap. 6. text. 2.* (6) *In Tim.*
(7) 1. *Phyſic. lect. 1.*

per realem influxum, & dependentiam. Elementum est à quo res causatur per intrinsecam illius communicationem, quamvis aliundè elementum aliis principiis componatur.

14 Undè principium est communius causa; causa communior, quàm elementum: Principium namque de sua ratione prioritatis ordinem, quandoque influxum in principiatum exercet, absque ulla dependentia, & causalitate: Sic Pater Æternus dicitur principium Filii; non causa: sic etiam punctum est principium lineæ; terminus *à quo* principium viæ; & instans nativitatis vitæ principium. Causa, præter ea dicit effectùs à se dependentiam. Elementum, ultra hæc, importat intrinsecam sui communicationem. Omne ergò elementum, est causa; non è contrà: Omnis etiam causa principium est: non è conversò.

15 Apparet deniquè ex communi Philosophorum omnium sententia, inter prima rerum principia aliquam reperiri contrarietatem: ut enim nos monet Aristoteles, (8) nonnulli litem, & amicitiam; alii lucem, & tenebras; alii magnum, & parvum; alii frigidum, & calidum; par, & impar alii, veluti rerum principia, ponebant: imò etiam veteres omnes, recentioresque Philosophi, qui atomos rerum primordia dicunt, eisdem quamdam, sivè motus, sivè figuræ, sivè situationis, quietis, aliusvè mutationis affigunt contrarietatem. Et, ut uno omnium sensu loquamur, si forma, quævis illa sit, cum privatione comparetur, manifestè apparet dari inter ipsas oppositionem.

16 Cæterùm; licet inter aliqua rerum principia contraria oppositio (lata tamen, & impropria; non rigorosa, qualis solùm qualitatibus intercst) reperiri debeat; non tamen inter omnia: oportet enim, commune dari subjectum ab uno ad aliud contrariorum transitum faciens. Illi itaque, qui supradictas oppositas affectiones rerum principia ponebant, eorum commune subjectum ignem, aerem, vel aquam appellabant.

(8) 1. *Physic. cap. 6. tit.* 10. & 11.

appellabant. Hi quoquè, qui atomos principia dicunt, eas diverſarum diſpoſitionum, & ſituationum ſtatuunt commune ſubjectum. Materia demùm privationis, & formæ dicitur receptiva.

ARTICULUS II.

Varia Philoſophorum placita circa Principia Entis naturalis proponuntur.

1 CUm plurimæ, aut innumeræ ferè ſint veterum, recentiorumque Philoſophorum opiniones de rerum Principiis, ut nihil fortaſsè excogitari umquam poſsit de quo magis illi inter ſe diſſeruerint: nè ex ipſa opinionum copia, ac varietate obſcuritas aliqua oriri poſsit; præcipuas eorum opiniones in hoc articulo proponemus. Illæ tamen ad tres Authorum claſſes revocantur. Quidam enim ejuſmodi principia invenerunt, quæ nec percipi ſenſibus, neque imaginatione, ſed intellectu ſolùm concipi poſsint; quæ proindè *intelligibilia*, ſeu *Metaphyſica* dicuntur. Alii ea poſſuerunt, quæ non ſenſibus, imaginatione tamen facilè conſequuntur; & hæc dicuntur *Mechanica*. Alii denique ea Principia excogitarunt, quæ ſenſibus objiciuntur; ideoque *ſenſibilia* appellantur.

PRINCIPIA METAPHYSICA.

2 PRincipia Metaphyſica illa ſunt, quæ ſolo intellectu percipi, & deprehendi poſſunt: non quod ſolo intellectûs influxu, velut rationis entia, ſint; ſed quia, realia cum ſint, ſenſuum hebetudinem, omnemque ſuperant imaginationem. Hujuſmodi Principia admiſerunt Pythagoras, Xenophanes, Parmenides, Meliſſus, Socrates, & Plato, atque Ariſtoteles ipſe, qui poſt alios omnes, quorum

opiniones

opiniones expoſuit, naturalia Principia, univerſamque rerum Naturam acerrimè, & ingeniosè ſcrutatus eſt.

3 *PYTHAGORAS* itaquè rerum Principia cenſuit eſſe numeros; (1) non quidem extrinſecos, & formales, qui non in rebus ipſis, ſed in intellectu ſolùm reperiuntur, ut exiſtimaverunt plurimi; ſed materiales, & intrinſecos: adeò, ut unitatum nomine, quibus ens naturale componitur, tenuiſſimas corporum partes, quibus craſsiora indè corpora componerentur, intellexerint Pythagorici. (2) Quemadmodùm enim numerus ex variis unitatibus unà collectis efficitur, ut, quo plures unitates in numero congerantur, numerus ipſe major exurgat; ità, quo craſsiora corpora Pythagoricis oculis obverſabantur, pluribus quibuſdam ſubtilibus, intenſibilibuſque particulis ea componi dixerunt.

4 Hanc autem eſſe Pythagoræ mentem conſtat *primò* ex teſtimonio Theanûs ipſius Pythagoræ conjugis ſapientiſsimæ, conquerentis: (3) *Dici à Græcorum multis, aſſeruiſſe Pythagoram, omnia ex numeris generari; cum ille, non ex numero, ſed ſecundùm numerum generari omnia, autumaverit.* Secundò ex Ariſtotele aſſerente: (4) *Dicere unitates, an perexigua corpuſcula, perindè eſt.* Expreſsiùs alibi: (5) *Animam alii Pythagoreorum dicunt, eſſe atomos in aere volitantes; alii, id, quod movet has atomos.*

5 Atque hinc facilè componi poteſt, eximiam adeò inter Pythagoræ unitates, atque Democriti atomos conjunctionem inveniri; ut, quod Pythagoras per numeros expreſsit, id ipſum atomorum nomine Democritus intellexerit: præcipuè, cum Democritus ipſe, ac præcipui atomorum aſſertores ex Pythagorica ſecta prodiiſſent; ut, quod Pythagoras obſcuriùs docuerat, clariùs, & expreſsiùs Democritus explicaverit;

(1) *Plut. Plac. 1. cap. 3.*
(2) *N. P. Corſ. tract. 1. diſ. 1. cap. 1. num. 9.*
(3) *Apud Stob. Ecl. Phyſ.* (4) *1. Anival. text. 69.*
(5) *1. de Anim. cap. 3.*

caverit; quod ille allegoricè potiùs per numerum ambages dixerat, ſimplicitèr is, & phyſicè promulgaverit.

6 *XENOPHANES*, *PARMENIDES*, atque *MELISSUS* unicum rerum omnium immutabile, & immobile Principium amplexi ſunt: illud tamen æternum, & infinitum Xenophanes; Parmenides, & Meliſſus finitum exiſtimarunt. Sed, ſi horum opinio de intrinſeco rerum principio intelligenda ſit; jure ſuſpicatus fuit Ariſtoteles (6) omnium corporum mutationem, rerumque generationem ab his Authoribus negatam, atque ſublatam eſſe. Cum enim rei cujuſlibet generatio, neque intelligi, neque evenire poſsit, ut ſuperiùs expreſsimus, niſi duo ad minus rerum principia occurrant, materia nimirùm, aut commune ſubjectum, & forma, ſeu aliquod eſſe, quo denuò res genita conſtituatur, & ab aliis differat: quomodò fieri poterit rerum generatio, ſi unico immutabili rerum principio omnia conſtent?

7 At verò Phlotinus, & Philoponus, aliique plures (7) exiſtimant, prædictos Authores unius Principii nomine ens à materiæ concretione ſejunctum ſignificaſſe. Alii verò aſſerunt, eos omnia unum dixiſſe; id eſt unam mundi univerſitatem, quæ res omnes in unum complectitur. Sed longè alitèr diſcurrit Corſinus Noſter, qui (8) Authores illos, cum omnia unum eſſe dixerunt, non de intrinſeco rerum principio, verùm potiùs de primo ente immutabili, & æterno, Deo ſcilicet, qui extrinſecum omnium principium eſt, loquutos fuiſſe, contendit: quod ex innumeris Scriptorum teſtimoniis facilè conjicit.

8 In primis Cicero hanc eſſe illorum opinionem, his verbis expreſsit: (9) *Xenophanes unum eſſe omnia dixit, neque id mutabile, & id eſſe Deum.* Empiricus itidem (10) ait: *Xenophanis*

(6) 1. *de Gen. cap.* 1.
(7) *Apud PP. Conim.* 1. *Phyſ. cap.* 7. *quæſt.* 1. *art.* 1.
(8) *Tract.* 1. *diſ.* 1. *cap.* 3. *num.* 3. (9) *Acad.* 4. *cap.* 37.
(10) *Phyrrh. hypot.* 1. *cap.* 33.

phanis dogma fuiſſe, Univerſitatem eſſe unum, & Deum rebus ineſſe omnibus. Cœterùm, cum de intrinſecis rerum Principiis loquebantur quatuor eſſe omnium rerum elementa dixerunt, teſte Laertio, (11) Terram, Aquam, Aerem, & Ignem. Et indè horum opinio cum eorum ſententia convenit, qui varia Elementa intrinſeca rerum principia, ut, dum de ſenſibilibus rerum Principiis loquamur, videbimus, appellaverunt.

9 *SOCRATES* inſuper, & *PLATO* (*ambo enim idem de univerſo ſenſerunt*) *tria ſtatuunt Principia, Deum, materiam, ideam. Mens eſt, quod Deum nominat: Materia prima rebus orientibus, & intereuntibus ſubjectum: idea natura corporis expers in conceptis mentis, & imaginationibus Dei; Deus autem mens mundi*; ut totidem verbis Plutarchus edocuit. (12) Undè Divinam hanc mentem per ſingulas univerſi partes diffuſam, veluti formam, putarunt Platonici, ut animus noſter per ſingula corporis membra diffunditur. Hinc Deus ipſe, juxta Platonicos, non modo Opifex, efficienſque principium, vel cauſa, ſed inſuper etiam intrinſeca rerum forma appellatus eſt.

10 Alterum verò Principium ſcilicet materiam, omnis perfectionis, & formæ expertem; formæ tamen omnis, & perfectionis capacem dixit: *Hinc Matrem, & receptaculum earum rerum, quæ genitæ, & conſpicibiles ſunt, neque terram dicimus, neque aerem, neque ignem, neque aquam, neque ea, quæ ex his, neque ex quibus hæc extiterunt; ſed inviſibilem quamdam ſpeciem, quæ omni forma deſtituatur, cum nonnullius ſit capax.* (13) Ex hac verò materia prorsùs informi, ac perfectionis expertè varias fieri concretiones, quibus quatuor Elementa, Ignis, Aqua, Aer, & Terra fierent, putavit Plato.

11 Atque indè, ni fallor, putarunt recentiores multi, quòd Plato ſingulis quatuor Elementis, aut potiùs rebus omnibus

(11) *Laer. 9. f. 18.* (12) *Plut. Plac. 1. cap. 3.* (13) *Plato Tim.*

nibus quaſdam particulas variè configuratas, ex quibus pulcherrimus rerum ordo, admirabiliſque varietas oriretur, ineſſe docuit: ſed quidquid de hoc alii ſenſerint, id unum certè docuit Plato, dari ſingularum rerum ideam, quæ veluti omnium Principium haberetur: *Neceſsè eſt enim universum hunc mundum, opificium Dei pulcherrimum ab ipſo ita fabricatum eſſe Deo, ut ad aliquam ideam, quæ exemplar ejus eſſet, ipſa in fabricatione reſpexerit.* (14)

12 Cæterùm, qua ratione Deum Mundi ſpiritum, mentemque eſſe dixerit per ſingulas univerſi partes ita diffuſam, ut indè motum, virtutemque omnem exciperent, ſi nudè, & ſimpliciter, literaliter, ac pro ut ſonat, ejus opinio accipiatur, non facilè intelligi, deprehendique poteſt: ſi tamen allegoricè, ut à Platonicis frequenter exprimi ſolet, explicetur; haud difficilè admitti poteſt. Cum enim Deus rebus omnibus ſit intimè præſens; ac, *Deum ipſum omnia pervadere, ſed ſine mixtione; & omnibus vim, & efficaciam ſuam participare, ſed pro cujuſque aptitudine, & captu*, doceat Damaſcenus; (15) rerum anima, ſpirituſque quodamodò vocari poterit: *In ipſo enim vivimus, movemur, & ſumus.* (16)

13 Quòd attinet ad Platonis ideas, docuit Ariſtoteles, (17) eas Platonem primum omnium rerum Principium ſtatuiſſe, veluti ſubſtantias quaſdam incorruptibiles, & incorporeas à rebus omnibus ſejunctas, quas reſpiciens Deus, ad illarum ſimilitudinem materiam diſponeret, reſque omnes produceret. Hunc quoque ſequutus Juſtinus Martyr, refert, Platonem ideas ſuas in quadam Cœli parte, ubi ſidera inerrantia ſunt, collocaſſe. Si tamen hoc ſenſu uſurpandæ ſint Platonis ideæ, meritò à plurimis reprehenduntur. (18)

14 Enim verò multi Eccleſiæ Patres (19) arbitrantur, Platonem

(14) *Alcin. Doctr. Plat. cap.* 12. (15) *De Fide, cap.* 16.
(16) *Act.* 17. *verſ.* 28. (17) *Met.* 11. *cap.* 4. *&* 5.
(18) *Ariſt.* 1. *Met. cap.* 7.
(19) *Aug. Octog. quæſt.* 46. *Orig. Phil. cap.* 19.

Platonem non alias ideas agnoviſſe, quàm, quæ in Divina mente reperiuntur. Ille enim in Timæo evidenter aſſerit, Mundum à Deo fuiſſe conditum juxta imaginem, & exemplar, quod prius mente conceperat. Quapropter nonnulli Platonis Interpretes (20) ex ejus mente docuerunt, duo omninò eſſe rerum Principia, Deum, atque materiam, nulla idearum mentione facta; quippè quæ in Divina mente comprehenderentur: quod expreſsis verbis Plutarchus expoſuit: (21) *Socrates, & Plato ideas putaverunt à materia ſecerni, & in intellectu, ac imaginatione Dei ſubſiſtere.*

15 Sed quonam pacto, qua veritatis ſpecie admitti poterit, ideas Divinæ menti inſitas, quæ re vera nihil aliud ſunt, niſi *Divina eſſentia, prout ejus ſimilitudo à diverſis participari poteſt diverſimodè*, (22) creatis rebus inexiſtentes, ac velut intrinſecas rerum formas per omnia eſſe diffuſas, ut voluit Plato? (23) Quin potiùs, ut veritatis umbram attingat Platonicum ſiſtema, allegoricè id, atque de extrinſeca rerum forma, ſeu imagine, intelligendum eſſe, docuit Corſinus Noſter. (24) *Undè*, juxta Platonis mentem, ſolam materiam, ſecundùm varias ejuſdem concretiones, ſeu diſpoſitiones, intrinſecum eſſe Entis naturalis Principium, veroſimiliùs ex dictis inferri poteſt.

PRINCIPIA MECHANICA.

16 MEchanica rerum Principia dicuntur illa, quæ quamvis ſenſibus imperceptibilia ſint, non intellectu ſolùm, ſed noſtra quoque imaginatione comprehendi poſſunt: quæ, quia particulæ quædam tenuiſsimæ ſunt, quæ vario quodam ordine, motu, textura in conficiendo Ente

(20) *Laer. 2. Leg. 69. Cic. Acad. 2. cap. 37.*
(21) *De Plac. Phil. 1. cap. 10.*
(22) *D. Thom. 1. par. quæſt. 44. a. 3.*
(23) *In Tim. & in Soph.* (24) *Tr. 1. diſ. 1. cap. 3.*

te naturali mechanicum artificium quodammodò imitari videntur, *Principia Mechanica* appellantur. Ejusmodi Principia posuit in primis Anaxagoras; hæc Epicurus, Democritus, Lucippus amplexi sunt; eadem quoquè recentior Gassendus, & nuperrimè sub alio licet nomine Cartesius excitaverunt, atque mirificè illustrarunt.

17 *ANAXAGORAS* itaque, cum ex nihilo nihil fieri posse, intelligeret, plurima autem in rerum natura fieri conspiceret; consequens fore existimavit, ut omnia, quæ producuntur, non primò fierent, sed rei producendæ partes, quæ in aliquo præexistente subjecto disgregatæ erant, ac latitabant, de novo conjungerentur, & apparerent; ita, ut rem aliquam generari, nihil aliud esset, quàm tenuissimas illius particulas, ab alterius substantiæ particulis, quibus permixtæ fuerant, secerni, separari, ac veluti in lucem prosilire.

18 Cum igitur ex ligno, v. g. generatur ignis, non produci simplicitèr novam aliquam ignis substantiam; sed eò novam fieri, quòd ignis particulæ, quæ ligneis portiunculis permiscebantur, excitantur de novo, atque motu quodam impellantur, ut, partibus ligni semotis, in unam ignis molem confluant, existimavit. Posuit insuper, teste Aristotele, (25) rem quamlibet esse cuilibet alteri admixtam, quia quodlibet ex quolibet generari posse putavit; atque adeò quodlibet mixtum esse in quolibet mixto; v. gr. sub lapide intimè contineri ignem, aquam, panes, vinum, aliaque omnia; sub palea, sub alio quovis ea pariter omnia contineri; quia omnium particulæ uno sub quolibet latitabant.

19 Propterea quodlibet mixtum appellavit *Panspermiam*, id est *Omni-seminarium*; quemadmodùm ex particularum similitudine cum rebus compositis *Homæomeriam* eas dixerat. Undè fieri debuit, ut infinitas ille particulas tenuissimas in infinitum divisibiles, quæ rerum essent Principia, ponere-

ret;

(25) 1. *Physic. cap.* 5.

ret ; ne , v. gr. particulæ carnis , vel auri , quæ sub ferro latent , detegi , aut videri possint , nisi excitentur ex professo.

20 Opinatur, ut summùm , olim unum omnia fuisse; mentem autem , quam Deum plures intelligunt , ea in varias particulas divisisse , quibus rerum ordo componeretur, teste Plutarcho : *Confusa in unum erant omnia ; mens ea divisit , & in ordinem posuit* ; (26) atque inde particulas Principium materiale ; ordinem , seu dispositionem formale , ac mentem illam causam efficientem dixisse , ingenuè fatendum est , si Plutarcho fides haberi possit : *Insunt particulæ mente intelligendæ :: Et rerum Principia esse dixit; ità quidem, ut materiæ locum obtineant : efficientem enim quoque causam, & quæ disponeret universa, prodiit mentem.* (27)

21 *LUCIPPUS , DEMOCRITUS , & EPICURUS* pro rerum Principiis admisserunt corpuscula quædam infinita, indivisibilia , insectilia , seu impartibilia, atque insensibilia,quæ magnitudines primas , & individuas appellabant ; ut etiam anteà , & nunc quoque *Atomi* dicuntur. Duplici ratione horum Philosophorum opinio inniti visa est : altera ex rerum ortu , altera ex earum interitu desumta. Cum enim ex nihilo nihil fieri posse , intelligerent , plurima tamen in rerum natura fieri conspicerent, ut cum ex ligno fit ignis; hanc ipsam ligni , aut cujuslibet alterius rei naturam ex eadem veteri ligni substantia, sivè ex veteris substantiæ partibus aliter dispositis componi,putarunt.

22 Quandoquidem verò partes illæ , ita de novo dispositæ , vel alteratæ videntur , ut nulla propemodùm pars in igne appareat, quæ pristinam ligni naturam retineat ; necessariò illis asserendum erat , ejusmodi partes exiguas adeò, atquè subtiles esse , ut invisibiles prorsùs , & insensibiles essent : quemamodùm etiam , quia varias rerum naturas componunt , variasque formas acquirunt ; illas omnis formæ expertes

(26) *Plac.* 1. *cap.* 7. (27) *Ubi supr. cap.* 3.

expertes ex ſe ipſis eſſe, at novam quamcumque formam recipere poſſe, dixerunt.

23 Quod illuſtriùs adhuc altera ratione ſe probare confiſi ſunt. Ubi enim corpora corrumpuntur, ac in novum ſubſtantiæ genus mutantur, ut lignum in ignem; tunc certè illa corpora in partes, quibus arctiſsimè conjunctis componuntur, dividi neceſsè eſt: at, cum in infinitum dividi à naturali agente non poſsint, quamvis alioquin partes illæ eſſent in infinitum diviſibiles; ad aliquas tandem tenuiſsimas adeò partes perveniendum eſt, quæ licet aliis adhuc partibus conſtent, cum tamen vi nulla naturali dividi poſsint, indiviſibiles *Atomi* ſunt appellandæ.

24 Indiviſibiles itaquè ex Epicuri ſententia ſunt Atomi, ſaltem naturalibus creaturæ viribus; tùm propter dicta; tùm, quia tanta eſſe poteſt Atomorum ſoliditas, ut earum partes ſejungi, aut ſeparari non poſsint: tùm deniquè, quia inter Atomi partes nullum ſpatiolum vacuum reperitur, quo partium diviſio fieri poſsit. Epicuri demùm opinionem multis experimentis confirmare, atque illuſtrare ſolent Recentiores multi, prout ſuis reſpectivè locis videbuntur.

25 Variæ tamen ſunt Atomorum proprietates. In primis ex Epicuri ſententia figuram habent, pondus, & magnitudinem, quamvis indiviſibiles ſint: ſunt inſuper *corpuſcula quædam levia, alia aſpera, rotunda alia, partim angulata, & pyramidata, curvata quædam, & quaſi aduncа.* (28) Atque adeò, cum ex tam variis, tamque figura diverſis atomis Ens naturale componatur; futurum eſt, ut aliqua inter ipſas ſpatiola vacua interjiciantur.

26 Ex quibus fieri potuit, ut Epicurus, cum ſine ſpatiolis quibusdam vacuis, quæ corporibus interſperſa forent, corporum motus, rerumque mutationes fieri, vel explicari non poſſe, intelligeret, vacuum, ſeu inane inter rerum Principia numeraſſe videatur. Hinc facilè concludi poteſt, *ſtatuiſſe*

(28) *Cic. de Nat. 1. cap. 24.*

ſtatuiſſe Democritum, ſolidum, & inane Principia eſſe: (29) vel quod Lucippi ſententia: *Principia omnium ſunt Atomi, atque Inane*, quæ per varias *concretiones gignunt Ignem, Aquam, Aerem, Terram; quippè & hæc ex Atomis quibuſdam conſtare debent.* (30)

27 *GASSENDUS* Dienenſis Eccleſiæ Præpoſitus obſoletam jam Epicuri ſententiam, quam nunc propoſuimus, è ſuis veluti cineribus ità excitavit, illuſtravit comentariis, auxit experimentis, erroreſque, qui irrepſerant, expunxit; ut, non veterem Epicuri ſententiam excitaſſe, ſed novam potiùs adinveniſſe, pluribus videatur. Ac in primis rerum eſſe Principia *Atomos*, & *Vacuum*, ſeu *Inane* ex Epicuri ſententia docuit. Ut autem approbavit Atomis ineſſe figuram, pondus, & magnitudinem, eaſque varias diſpoſitiones ſuprà relatas; ita Atomos infinitas, increatas, per ſe mobiles, temerè volitantes reprobavit.

28 Statuunt communiter Gaſſendiſtæ, (31) Principia Entis naturalis in fieri Atomos eſſe, earumque motum; ejuſdem in facto eſſe ipſas Atomos, ipſarumque diſpoſitionem, vacuis interjectis. A primo etenim rerum ortu Deum Atomos creaſſe volunt, quibus, propter fines, quos ipſe ſibi in Univerſi fabrica propoſuit, conſtantem, certumque motum certa, determinataque menſura impreſsit; adeò, ut ſicut in corporibus ex mutuis inter ipſas implicatione, & nexu quieſcere videantur: quantùm tamen in ſe eſt, ſemper moveri nitantur; ac ubi primùm liber exitus aperitur, in verum localem motum irrumpant.

29 Duo ex his inferunt conſtantiſsimè; *Primum* eſt; res omnes naturales diverſis, variiſque Atomorum motibus fieri; ut, quemadmodum ex viginti quatuor literarum compoſitione voces innumeræ conſurgunt; ſic ex diverſa Atomorum

(29) *Ariſt.* 1. *Phyſic. cap.* 6.
(30) *Laer.* 9. *ſec.* 44.
(31) *V. Martin. dial.* 1.

morum permixtione, penes mutuum acceſſum, vel receſſum, ex juxtapoſitione, vel tranſpoſitione, ex facta ſic, aut aliter collocatione, innumeras penè mutationes fieri, ac infinitas propè res, aut corrumpi, aut procreari poſſe opinantur. *Secundum* eſt: Mundum, non ex fortuito Atomorum concurſu genitum eſſe, ut Epicurus impiè exiſtimavit; ſed ex illarum motu efficaci Divinæ Mentis conſilio, & providentia factum.

30 *CARTESIUS* denique, (32) ne nimis arrogans videatur, de tantis rebus philoſophando, ut Principia prima naturalium rerum inveniat, mavult ea, quæ de his dicturus eſt, tamquam hypotheſim, ſeu ſuppoſitionem proponere; quæ, quamvis falſa eſſe exiſtimentur, ſatis, ſe feciſſe arbitratur, ſi omnia, quæ ex ipſa deducit, cum experimentis conveniant. Fatetur in primis, non dubium eſſe, quin Mundus ab initio creatus cum omni ſua perfectione extiterit. Hoc, inquit, Fides Chriſtiana nos docet, hoc etiam naturalis ratio perſuadet.

31 Quia tamen longè meliùs exiſtimavit ad rerum naturas intelligendas, ſi aliqua Principia excogitare poſſet valdè ſimplicia, ex quibus, tamquam ex ſeminibus quibuſdam, omnia, quæ in Mundo ſunt, oriri potuiſſent; licet ipſa numquam ſic orta fortaſsè fuerint, quàm ſi explicet, quo pacto in prima Mundi origine illa creata ſint: Hypotheſim ſibi effingit, atque *ſupponit*, unicam fuiſſe à principio rerum omnium materiam à Deo diviſam in particulas proximè inter ſe æquales, & magnitudine mediocres, ſivè medias inter illas, quibus Cœli, & Aſtra componuntur.

32 Prædictis deindè partibus Deum tantum impreſsiſſe motum docet, quantus jam in Mundo reperitur; quo æqualiter movebantur, tùm circulariter circa propria centra; tùm ſeparatim à ſe mutuò, ità, ut corpus fluidum apparerent; tùm etiam

(32) *3. p. Princ. à num. 44. & ſeq. apud P. Conſ. tr. 1. d. 2. c. 4. & Pal. to. 4. dial. 96.*

etiam aliæ circa alia plura, & plura æquè à ſe mutuò remota. *Supponit* inſuper, prædictas particulas non potuiſſe ab initio eſſe ſphæricas, quia plures globuli ſimùl juncti ſpatium continuum non replent; & non potuiſſe ſucceſſu temporis non fieri rotundas, quandoquidem varios habuerunt motus circulares.

33 Et, quia in principio illas particulas magna vi fuiſſe motas, ſupponit; infert, eas, atritis, ſeu ruptis earum angulis continuo motu, rotundas tandem fuiſſe factas: atque hinc non rotundas ſolùm particulas jam exiſtere, ſed ea inſuper ramenta, ſeu portiunculas minutiſsimas, quæ ex illarum partium fractura ceciderunt; quæ tamen, quò minora ſunt rotundis partibus, eò faciliùs moveri, atque in alia adhuc minutiora comminui poſſe, exiſtimavit.

34 Duo itaque deſignat genera materiæ valdè diverſa, quæ duo prima Mundi Elementa, ſeu principia ponit. *Primum* nempè ramenta illa minutiſsima, quæ *Materiam ſubtilem* appellat: *Secundum* autem globuloſas illas partes, quas *Materiam globuloſam* dicit. Quibus addit *Tertium* partibus conſtans magis craſsis, ſeu figuras minùs ad motum aptas habentibus, quod appellat *Tertium Elementum*, ſeu *Striatam Materiam. Et ex his* (inquit) *tribus omnia hujus Mundi aſpectabilis corpora componi, oſtendemus.* (33)

35 Notat inſuper, quòd, cum in materia primi Elementi quædam ſint ramenta reliquis minùs diviſa, & minùs celeriter agitata; non poſſunt non habere figuras valdè anguloſas, & ad motum ineptas: Undè fieri arbitratur, ut facile ſibi mutuò adhæreant, magnamque ſuæ agitationis partem transferant in illa alia ramenta, quæ minutiſsima ſunt, & celerrimè agitantur. Cum verò ſæpè tranſeant per anguſta illa ſpatia triangulata, quæ in medio trium globulorum ſe mutuò tangentium reperiuntur; debent induere figuram triangularem.

(33) *Cart. 3. p. Princ. num. 52.*

36 Hæc sunt, quæ Carteſius de rerum Principiis excogitavit. Atque ita facilè in epilogum adduci poteſt, eum pro rerum Principiis ſtatuiſſe particulas trium Elementorum loco Materiæ, variamque particularum diſpoſitionem vice formæ. Sed, quia non cujuſlibet Elementi portiunculæ cuilibet rei gignendæ aptæ ſibi viſæ ſunt; ex materia primi Elementi Solem, affixas Stellas, ignita omnia, & lucida corpora fieri; ex materia ſecundi, Ætherea corpora, ſeu Cœlos gigni; ex tertiis demùm particulis terram, omniaque opaca corpora, & Planetas produci, meditatus eſt. (34)

PRINCIPIA SENSIBILIA.

37 PRincipia Senſibilia ſunt, quæ ſenſibus percipi poſſunt, ſcilicet Elementa. Quia tamen alii unum, alii plura poſuerunt Elementa; id quoque ipſum de rerum Principiis ſenſibilibus aſſeruerunt. Elementum itaque eſt: *Corpus ſimplex ſubſtantiale, ex quo fit mixtum, & in quod mixta corpora reſolvuntur.* (35) Et, ſi quibus hæc definitio diſpliceat; aliam aſsignent, quæ ad rem præſentem æquè conducet abſdubio. Non enim agimus de Elementorum numero, aut natura; ſed de Elementis, quatenùs ab aliquibus rerum Principia dicuntur.

38 Supponimus autem, ab antiquiſsimis uſquè temporibus, ſeu ab ipſa ferè Mundi origine, ut monet Corſinus Noſter, (36) Sapientiſsimos homines exiſtimaſſe, quatuor eſſe Elementorum genera, Terram, Aerem, Aquam, & Ignem. Ex his autem, aut quibuſvis aliis, quæ quiſque poſuerit, Elementis, veluti ex ſecundis ſaltem Principiis, ex aliis primis coaleſcentibus, ens naturale componi ultrò concedi poteſt. Aſt, ea quoque Elementa eſſe prima rerum Principia,

(34) *V. Purch. part. 1. Phyſ. ſec. 2. cap. 5.*
(35) *Ex Div. Thom. Opuſc. 33. Ariſt. 1. de Cœl. c. 3. t. 11.*
(36) *N. P. Corſin. tr. 1. Phyſic. diſ. 3. cap. 1. num. 2.*

Principia, ſtatuerunt multi. Et in primis Tales, atque Mileſius, Aquam, rerum eſſe Principium dixerunt, cum ex aqua omnia orta ſint, ut ex eo patere conjiciunt, quòd animalium ſemina humida ſint, atque humido ſtirpes omnes alantur, &c. (37)

39 Quam opinionem, ab Eſiodo antè Taletum traditam apud Indos Phœnicios, & Egyptios floruiſſe commemorat Plutarchus. (38) Pherecides autem, aliique multi dixerunt terram omnium eſſe Principium. Anaximenes Principium rerum pronuntiavit Aerem, & quidem infinitum; quem facilè ſequutus eſt Anaximander ejus Diſcipulus, dum infinitum, ſupreſſo aeris nomine, rerum Principium aſſeveravit. Heraclitus pro rerum Pricipio Ignem exiſtimavit, ut Plutarchus docet; (39) quamvis alii, ignis nomine aerem eum, dixerunt, intellixiſſe.

40 Hactenùs eorum opinionem expreſsimus, qui unicum Elementum rerum omnium Principium eſſe intellexerunt. *Nunc* eorum placita, qui pro rerum Principiis plura Elementa ſanxerunt, explicanda ſunt. Ac primò hùc pertinere pluribus viſa eſt Xenophanis, Parmenidis, & Meliſſi opinio, ut num. 3. explicavimus; cujus rei teſtes ſunt Empiricus, Homerus, Laertius, & Ariſtoteles. (40) Ænipodes ignem, & aerem; Hippon ignem, & aquam; Onomacritus demùm ignem, aquam, & terram prima rerum Elementa, ſeu Principia ſtabiliverunt.

41 Sed his omnibus potentior eſt jam Chymicorum opinio, qui tria volunt præcipua, ac veluti activa rerum Principia, quæ ab ipſis vocantur Elementa, nimirùm *Mercurium*, ſeu *ſpiritum*, *ſulphur*, & *ſalem*; quibus addunt duo, quæ dicunt *inertia*, ac paſsiva ſolùm, terram ſcilicet, quam *caput mortuum* appellant; & aquam *Phlegma* dictam; reſque omnes ex ejuſmodi Elementis fieri, arbitrantur.

Eorum

(37) *Plut. Plac.* 1. *cap.* 3. (38) *Apud Corſ. ubi ſup. num.* 3.
(39) *Ubi ſup.* (40) *Apud Corſ. ubi ſup. cap.* 2. *num.* 2. & 3.

42 Eorum ratio eſt: Quia ex his res aliqua primò componitur, in quæ ultimò reſolvitur; at ignis virtute, in minutiſsimas Mercurii, Salis, & Sulphuris particulas poſtremò corpora reſolvuntur: Ex his ergò ipſa corpora componuntur. Minorem mille probant experimentis; eo præcipuè, quòd ſi vinum in alembico ponatur, igne appoſito, tenuem primò, ac inflammabilem liquorem emittit, quem vocant *Mercurium*, *Spiritum*, ſeu *Aquam ardentem*: Deindè aqua inſipida, ſeu humor inſipidus extrahitur, quem *Phlegma* vocant.

43 Inſuper in alembici fundo craſsior, & viſcoſior materia remanet, quæ vehementiori igne admovetur intra vas cornutum, ſeu curvum in modum cornu; atque hinc pinguis oleaginoſa, odoraque materia erumpit, quam ſulphuris nomine ſignant; Durior deniquè, ac arida ſubſtantia in cineres reſoluta, *Sal* continet, quod facilè ab ipſa ſecernitur, ſi aqua illis fervida prius effundatur; & aqua inſuper charta bibula, vel panni lacinia ſecernatur: atque ſale remoto, ſupereſt pulvis, quem *terram*, ſeu *caput mortuum* appellant.

44 Ex his Principiis omnes etiam corporum affectiones; omniaque accidentia deſumunt: ex ſale ſapores; odores, & colores ex ſulphure; vim diſſolutivam, fermentationem, mixtionem, & id genus alia ex Mercurio. Illis tandem Principiis naturam explicant, ac mirabilia naturæ arcana in lucis medium, ſe adduxiſſe gloriantur.

OPINIO ARISTOTELIS.

45 RElíquum eſt, ut celeberrimam Ariſtotelis Opinionem de rerum Principiis, quæ Metaphyſica, ut jam diximus, appellari poſſunt, ultimò complectamur. Supponendum tamen eſt, corpus quodlibet naturale dupliciter conſiderari poſſe, quatenùs generatur, ſeu *in fieri*, & quatenùs jam genitum eſt, ſeu *in facto eſſe*: Sub prima conſideratione eſt, cum tranſit de *non eſſe* ad *eſſe*: Sub ſecunda

accipitur,

accipitur, cum factum jam exiſtit, ſivè poſtquam tranſivit jam de *non eſſe* ad *eſſe*. Sub duplici hac conſideratione illius Principia aſsignat Ariſtoteles. (41)

46 Ad tranſitum itaquè de *non eſſe* ad *eſſe*, ſeu ad Ens naturale *in fieri* tria neceſſariò requirit, velut intrinſeca generationis Principia, ſine quibus illa, nec fieri, nec explicari poſſe, exiſtimavit: ſcilicet *non eſſe*, quod relinquitur; *eſſe*, quod acquiritur; ac ſubjectum aliquod tranſiens de *non eſſe* ad *eſſe*. Illud *non eſſe* vocat *Privationem*: Novum *eſſe*, *Formam*: Subjectum deniquè tranſiens de *non eſſe* ad *eſſe*, appellavit *Materiam* At, ubi res genita jam fuerit, ſeu exiſtens jam in *facto eſſe*, cum habeat *eſſe*, nequit habere *non eſſe*; quia contradictoria ſunt, ſimùlque reperiri non poſſunt: ac proindè duo tantùm ſunt rei jam factæ Principia, *Materia*, *& Forma*.

47 Apparet exemplo Ariſtotelis opinio: Quoties enim res aliqua generatur, v. gr. planta, aliquid fit, quod anteà non erat, planta nimirùm; ſed non fit ex *non eſſe*, ſeu ex nihilo, quia ex nihilo nihil per generationem fit: Ergò fit ex aliquo ente, quod planta non erat; adeoque ejus fieri, ſeu generatio eſt tranſitus de *non eſſe* plantæ ad *eſſe* plantæ; quod tamen evenire non poteſt, quin detur ſubjectum commune tranſiens de *non eſſe* ad *eſſe*. Illud ergò *non eſſe*, quod ſubjectum relinquit, eſt *Privatio*; illud *eſſe*, quod de novo acquirit, eſt *Forma*. Subjectum verò ipſum eſt *Materia prima*.

48 Clariùs adhuc exemplo accidentalis mutationis explicatur: Quandò homo non muſicus, fit muſicus; homo tranſit à privatione muſicæ ad habendam muſicam; ubi tria concurrunt, nempè *homo*, velut materia; *privatio* muſicæ, velut terminus *à quo*; & *muſica* velut forma, & terminus *ad quem*. At verò homo jam factus muſicus duo tantùm importat, nimirùm eſſe hominem, ut materiam, & muſicam tamquam

(41) 1. *Phyſic. cap.* 6. *&* 7.

tamquam formam. Simili modò eſt diſcurrendum in Ente naturali. Sunt ergò juxta Ariſt. tria Entis naturalis in fieri Principia, *Materia*, *Forma*, & *Privatio*; duo ſolùm in facto eſſe, *Materia*, & *Forma*.

ARTICULUS III.

Rejicitur Atomiſtarum Opinio.

1 CUm plures, aut ferè omnes antiquorum, recentiorumque Philoſophorum opiniones (uno demto Ariſtotele) in hoc unum conſpiraſſe videantur, ut pro rerum Principiis corpuſcula quædam ſupra ſenſum minutiſſima, quæ ab aliis *Atomi*, ab aliis *Corpuſcula*, aut Portiunculæ, ab aliis demùm diverſis nominibus appellantur; ut unà eorum omnium opiniones refellantur, nunc primum è rerum Principiorum cathalogo excludendæ ſunt cujuſcumque generis Atomi: poſteà Principia Carteſii, omniaque etiam Chymicorum Elementa breviter arcebuntur.

QUÆDAM SUPPONUNTUR, PERMITTUNTUR alia.

2 *Supponendum* eſt 1. (1) Dari in rerum natura veras Atomos, ſivè Atomorum nomine intelligas minima naturalia creaturæ ſaltem viribus indiviſibilia, diviſibilia tamen divinitùs uſque in infinitum, ſivè intelligas particulas prorſùs indiviſibiles. Utrumque eſt inter Ariſtotelicos probabile; dum alii, continuum quodlibet ex partibus naturaliter indiviſibilibus, diviſibilibus tamen abſolutè uſque in infinitum; alii ex punctis ſolùm prorsùs indiviſibilibus coaleſcere propugnant.

Suppo-

(1) *V. Palanc. tom. 2. lib. 6. quæſt. 1. num. 21. D. Thom. 1. Phyſic. lec. 9.*

3 *Supponendum* est 2. (2) In plurimis mixtis inveniri posse formaliter Elementa, aut quatuor vulgaria, aut etiam chymica; ità tamen, ut vel mixta non sint perfecta, quale est mixtum ex aqua, & oleo; ex vino, & aqua; vel, si perfectum sit, alias habeat Mixtum materiam, & formam, à materia, & forma Elementi in ipso contenti, ut patet in ferro candenti, cujus alia est materia, & forma à materia, & forma ignis, ut suo loco videbimus.

4 *Imò*, nec in minimo nocet Peripateticis, si Mixta, ultra suam constitutionem, & primariam integritatem, exigant, vel ad sui conservationem, vel ad proprias operationes plurimas particulas elementares, dummodò hæc commixtio specialem non afferat repugnantiam, ut inter ignem, & stupam invenitur: Non aliter, ac humanum corpus intra se humores, lachrymas, adipemque continet; & succum plurimum omne vegetabile. Et quid refert, si mixta, citra exigentiam passim intra poros innumera corpuscula per aerem volitantia recipiant; atque in ea interna contiguitate proprias ipsis aliquatenùs communicent qualitates?

5 *Supponendum* est 3. A pluribus mixtis effundi sæpè corpusculorum effluvia, quibus plurimùm delectantur Atomistæ, in ipsis cœlestium corporum, & naturalium agentium influxus collocantes; quæ derivari possunt ab illa corpusculorum copia, de quà nuper; accedentibus insuper materiæ particulis, quas mixtum amittit actione caloris naturalis, vel contrariorum agentium. Cœterùm, licet istiusmodi effluvia quosdam effectus solo motu, & appulsu causare valeant in aliis corporibus; eos tamen causant, velut instrumentum, & vehiculum earum qualitatum, quibus agens operatur.

6 Effluvia ipsa admittunt passim Peripatetici (3) vaporum, spirituum, aut halituum multigenorum nomine, maximè à viventibus, aut mortuis corporibus, & omnibus odo-

(2) *P. Loss. dissert. prælim. num.* 17. *Pal. ubi sup. num.* 36.
(3) *V. D. Thom. Op.* 51.

riferis prodeuntium. *Permittendum* inſuper Atomiſtis, præter corpora ſenſui nota, dari etiam ſubſtantiam corpoream ſubtiliſsimam, fluidam, motuque agitatam, quæ nedum aliorum corporum ſpatia relicta repleat, verùm etiam illorum poros facilè adintret; quà plurima naturæ phænomena ſe feliciter explicaſſe putant; quam deniquè *ætheream ſubſtantiam* appellant: Non enim eſt adeò à ſchola Peripateticorum aliena, ut ab horum multis, tamquàm de mente Ariſtotelis non admittatur.

7 Deniquè *permitti* poteſt Aeris pondus, ac vis elatica, qua violenter compreſſus, aut tentus aer, ad extenſionem debitam ſe reducit: & alia plurima, quæ, ut ingenuè fatear, eorum experimentis feliciter detecta debentur. Præſens itàque controverſia ſolùm eſt de primis, & intrinſecis rerum naturalium Principiis, iiſque eſſentialibus; nam Atomos eſſe ſecunda illarum rerum Principia integrantia, & fatemur ultrò, & ex dicendis apparebit.

NOSTRA CONCLUSIO.

8 **D***ICIMUS*: Corpuſcula, ſeu Atomi non ſunt prima intrinſeca Entis naturalis principia. *PROB.* 1. Concluſio: Si Atomi eſſent prima rerum naturalium Principia, illæ eſſent diviſibiles, aut indiviſibiles; ſed neutrum ſuſtineri poteſt: Ergò. *Prob.* min. quoad primam partem: Atomi diviſibiles, ſunt compoſitæ; ſed res compoſita nequit eſſe primum Principium: Ergò. Patet maj. Nam reſolvitur, ſeu dividitur unumquodque in ea, ex quibus componitur. Prob. min. Res compoſita conſtat Principiis prioribus ipſam componentibus: Ergò. Ant. eſt evidens; cum res compoſita partibus conſtet intrinſecè componentibus, quæ ſunt evidenter illius Principia.

9 *Prob.* jam prima min. quoad ſecundam partem: Repugnat, Atomos, prout ab Atomiſtis ponuntur, eſſe indiviſibiles:

viſibiles : Ergò. *Prob.* ant. Atomi, juxta illos, ſunt extenſæ, alioquin plures junctæ nullam facerent extenſionem ; ſicut indiviſibile additum indiviſibili non facit diviſibile ; imò figuram habent, quæ ſine extenſione ſalvari non poteſt : ſed omne extenſum eſt diviſibile : Ergò. Prob. min. Omne extenſum occupat ſpatium diviſibile ; ſed hoc ipſo ipſum extenſum diviſibile eſt : Ergò. Patet min. Siquidem res occupans ſpatium diviſibile, non eſt tota in toto ſpatio ; ſed aliquid ejus eſt in hac ſpatii parte, aliquid in alia : Ergò hoc aliquid diviſibile eſt ab illo aliquo ; ſicut hæc ſpatii pars ab alia parte. (4)

10 Urg. Si Atomi eſſent indiviſibiles, non eſſent diverſimodè figuratæ, ut Atomiſtis pleriſque placet : Ergò. *Prob. ant.* 1. Figura conſurgit ex varia partium diſpoſitione, ut patet in rotunda, quæ in eo præcisè conſiſtit, quod partes cum æquali diſtantia à centro diſponantur : Ergò. *Prob.* 2. Res figurata habet præcisè extremitates, & inter ſe, & à medio diverſas ; cum in hac diverſitate conſiſtat figuræ diverſitas: Ergò illæ extremitates, & à centro, & inter ſe mutuò ſunt diviſibiles. *Prob.* 3. illud ant. Si Atomi eſſent indiviſibiles, non poſſet eſſe una longior, latior, aut profundior alia: Ergò.

11 Conſeq. tenet : Nequè enim intelligi, aut imaginari poteſt, quomodo ex Atomis aliæ eſſent longæ, aliæ quadratæ, rotundæ aliæ, niſi aliæ aliis longiores, latioreſque fuerint. Prob. ant. Si una eſſet alia longior ; non eſſet, cur illa, quantùm eſt ex ſe, ità deſſecari non poſsit, ut maneat æqualis alteri : Ergò. *Reſp.* Contrarii (5) Atomos eſſe diviſibiles mathematicè, & per intellectum ; ſed non naturaliter, & phyſicè : at diviſionem mathematicam minimè obeſſe, quominus Atomi ſint realiter indiviſibiles ; cum ea mentalis ſit, & per rationem ; non phyſica, & realis.

(4) *V. Pal. tom.* 2. *lib.* 6. *quæſt.* 1. *à num.* 26.

(5) *Maig. apud Lang. tom.* 3.

12 Pro ſolutionis intelligentia duo nota. *Primum* eſt, Corpus, ſeu Continuum dividi poſſe mathematicè, & phyſicè. Dividitur phyſicè, quando, alio corpore, aut vacuo interpoſito, diſſecatur: Dividitur mathematicè, quando in ipſo deſignantur puncta, ſeu lineæ, ipſum phyſicè immutatum intercidentes. *Secundum* eſt: Diviſionem mathematicam, aliam eſſe mentalem, aliam objectivam: Mentalis eſt actus intellectus punctum, aut lineam inter partes continui mediantes, aſsignans: Objectiva eſt linea ipſa, aut punctum deſignatum inter partes hinc indè collocatas.

13 *Impug.* Solutio: Licet diviſio mathematica ſit mentalis partium deſignatio, non eſt ficta, ſed realis, ut vera diviſio; ſed Atomus, per vos, eſt mathematicè diviſibilis: Ergò eſt realiter, ſeu in partes reales diviſibiles. *Prob. maj.* 1. Mathematica diviſio eſt objectum Mathematicæ; ſed objectum Mathematicæ non eſt fictum, ſed reale; non enim eſt Mathematica ſcientia purè rationalis: Ergò. *Prob.* 2. ipſa maj. Si mathematica diviſio eſſet purè ficta, in quavis re, quamtumvis indiviſibili, & inextenſa, poſſet Mathematicus per lineas, & puncta partes aſsignare inter ſe diſtantes; ſed hoc eſt abſurdum: Ergò.

14 Min. patet: alioqui in puncto prorsùs indiviſibili, imò & in Angelo, aut Anima rationali partes deſignare poſſet. Majoris ſequella prob. In qualibet re indiviſibili prorsùs, & inextenſa, vel etiam ſpirituali, poteſt intellectus partes effingere, ac diſtantias fictè deſignare: Ergò. *Urg.* Ut Mathematica aliquid in partes dividat, mediis lineis, & punctis, requiritur, quòd in re diviſa dentur partes lineis, & punctis realiter diviſibiles; aliàs cur in puncto, in anima, in Angelo illiuſmodi partes non diſtinguit: Ergò Atomus in partes mathematicè diviſibiles, eſt realiter, & phyſicè diviſibilis.

15 *Urg.* ampliùs: Repugnat phyſica, & realis extenſio, niſi inter extremitates realiter, & phyſicè diſtinctas; ſed

Atomus

Atomus omnis eſt, per vos, phyſicè, & realiter extenſa: Ergò habet partes phyſicè, & realiter diſtinctas, ex quibus componatur, & in quas valeat illius fieri reſolutio. Prob. maj. Implicat phyſica, & realis extenſio, niſi inter extremitates phyſicè, & realiter inter ſe diſtantes; ſed repugnat phyſica, & realis diſtantia extremitatum, ſine phyſica, & reali ipſarum diſtinctione: Ergò. Aliàs erit etiam extenſio mathematica.

16 *Reſp.* (6) Contrarii, repugnare realem diſtantiam inter extremitates realiter indiſtinctas, ſi una deſtrui poſsit, alterà non deſtructà; ſecùs, ſi ſecùs. *Contrà*: Non requiritur, unum poſſe deſtrui, altero non deſtructo, ad realem inter utrumque diſtinctionem; alioquin, nec poſsibilia ab Omnipotentia, nec unum correlativum ab altero diſtingueretur, cum ex his, aut illis, unum deficere, altero non deficiente, ſit impoſsibile: Ergò. *Inſuper*: Realis diſtantia inter extremitates, eſt realis extremitatum ſeparatio; quò enim aliqua plùs inter ſe diſtant, eò plus ſeparantur; ſed realis extremitatum ſeparatio realem earum diſtinctionem probat evidenter, ſivè poſsit, aut non poſsit alterutra ſola deſtrui: Ergò.

17 *Si dicant*: (7) Atomos eſſe indiviſibiles, non ita, ut per infinitam Dei potentiam conteri, comminuique non poſſint; ſed ità, ut nullà naturalium agentium virtute diſſecari queant: quia tanta eſt partium ſoliditas, & arctiſsima earum unio, ut ſejungi non poſsint: præcipuè cum inter varias Atomi partes, nullum ſit ſpatiolum vacuum, quo earum diviſio fieri poſsit. *Sed* ecce jam *Atomi partes*, ex quibus componatur, quæ proindè ſint illius Principia: Non ergò prima Principia Atomi eſſe poſſunt. *Aſt* undè colligi, qua efficaci ratione convinci, quibus experimentis demonſtrari, qua demùm probabilitate ſuaderi poteſt tanta illa ſoliditas,

(6) *P. Toſca, tract. 3. Phyſic. gen. lib. 2. cap. 1. prop. 4.*

(7) *Ex P. Corſ. tract. 1. diſ. 2. cap. 2. num. 7. & 9.*

ditas, arctiſsimus adeò nexus, qui, Atomo minori curvatâ, dividi non poſsit?

18 *Infer*: Ergò licet Atomus ſit à quocumque creato Agenti indiviſibilis, eſt à Deo diviſibilis. Hanc conſeq. ex ſolutione perſpicuè inferimus: Ergò licet Atomus ſit reſpectivè indiviſibilis, non eſt abſolutè indiviſibilis. Prob. conſeq. Eo ipſo quod alter Mundus à ſolo Deo factibilis ſit, non eſt abſolutè impoſsibilis, ſed reſpectivè ſolùm ad agens creatum: Ergò pariter *Præterea*: Si Atomus à Deo diviſibilis eſt, habet partes, in quas dividatur; nec à Deo enim dividi poteſt, quoad partes, in quas dividatur, non habet: Ergò Atomus ſit ex aliis: Ergò non eſt primum entis naturalis Principium.

19 *Dicunt*: (8) Nec Deum quidèm, ex hypotheſi, quòd non dederit Atomis partes phyſicas, eas dividere poſſe; licèt poſsit ipſarum figuram, utpotè modum, invertere. *Sed*, qua ſpecie exiſtere, aut concipi poſsit extenſio ſinè partibus, explicent Atomiſtæ. Interìm tamen extenſionem ſine partibus chymericam ex eo dicimus, quòd extenſio in eo ſtet præcisè, quòd aliquid rei extenſæ ſit extra reliquum ejuſdem; quod ſinè partibus, nequè evenire, nequè concipi poteſt. Et, ſi Deus Atomum quadratam reddere poteſt rotundam; quarè id per angulorum diviſionem, ſeu ablationem facere non poteſt?

20 *PROB.* 2. Concluſio: Intrinſeca Entis naturalis Principia debent eſſe Principia veræ generationis, & diverſitatis ſubſtantialis; ſed Atomi non ſunt prima Principia generationis, & diverſitatis ſubſtantialis: Ergò. Major patet: quia, cum ens naturale, ſubſtantiale ad minùs, per ſubſtantialem fiat generationem; ea, quæ ſunt illius Principia, debent eſſe Principia illius generationis. Prob. min. Juxta Atomiſtas, Atomi ſub qualibet adunatione, & complexu manent ſubſtantialiter eædem; ſolùmque diverſificantur, quantùm

(8) *V. Purch. p.* 1. *Phyſic. ſect.* 4. *cap.* 1.

tùm ad motum, & quietem localem, ſituationem, & figuram; ſed diverſitas penes localem motum, aut quietem, ſituationem, & figuram, non eſt ſubſtantialis: Ergò.

21 Maj. patet ex his, quæ diximus *Art. 2. num. 29.* Prob. min. Motus, quies, figura, & ſituatio ſunt quid accidentale: Ergò. Prob. ant. Idem ſubſtantialiter homo eſt, ſivè ambulet, ſivè quieſcat, aſcendat, aut deſcendat: eadem eſt cera, ſivè quadrata, ſivè rotunda, aut pyramidata: Ergò. *Urg.* Ex Atomorum diſpoſitione non alia diverſitas apparet inter ignem, & lignum, v. gr. quàm ea ſolùm, quæ ſita eſt in Atomorum quiete reſpectu ligni, & earumdem agitatione, & motu reſpectu ignis, aut alia non diſſimilis; ſed hujuſmodi diverſitas purè accidentalis eſt: Ergò.

22 *Urg.* 1. Vel Atomi ſunt ejuſdem ſpeciei, ut cum multis prætendit Toſca; (9) vel diverſæ naturæ, ut cum Democrito, & Epicuro tenet Gaſſendus? (10) *Si primum:* Ergò ex earum additione, & conjunctione nova non fit aliqua ſubſtantialis natura, aut eſſentia phyſica, ſed aggregatum quoddam homogeneum; ſicut, dum addimus aquam aquæ. *Nec dicas*: Atomos eſſe diverſæ rationis modalis, ſeu accidentalis; quod ſufficit, ut hoc, aut illo modo connexæ, hac, aut illa doſi conjunctæ compoſitum efficiant ſubſtantiale. Nam: Non magis unum fit ex plurium lapidum, diverſimodè figuratorum conjunctione, quàm ex aliorum ejuſdem figuræ, & ponderis adunatione: Ergò à pari.

23 *Præterea*; ſi tota Atomorum diverſitas accidentalis, & modalis eſt, non alia ratio eſt, ut Atomi ignem componentes, aquam non valeant componere; niſi, quia ignis, & aqua Atomos exigunt, accidentaliter, & modaliter diverſas penes motum, figuram, &c. ſed non aliter diſtingui, ac differre valent ignis, & aqua, niſi ea diverſitate, quam à ſuis capiunt conſtitutivis: Ergò, cum hæc ſolùm accidentalis

(9) *Lib. 1. cap. 2. prop. 25.* (10) *Phyſic. ſect 1. lib. 3. à cap. 6.*

talis ſit, nam aliam in ſe non habent; ignis, & aqua ſolùm differunt accidentaliter, vel ad ſummùm modaliter, & artificiosè.

24 *Si ſecundum* aſſeras videlicet: Atomos eſſe diverſæ ſpeciei, ſeu naturæ; habere debent aliquod prædicatum nedùm metaphyſicum, ſed phyſicum etiam, in quo illud fundari debet, quo inter ſe Atomi conveniant; & alterum, in quo differant; unum ſe habens per modum potentiæ phyſicæ, alterum per modum actus; ſed phyſica potentia, & actus phyſicus ſunt materia, & forma Ariſtotelica: Ergò quævis Atomus componitur ex materia, & forma; ac per conſequens non erit primum Principium, ſed principiatum. *Adde*: Atomum, quippè exiſtentem, includere phyſicum actum; ſed non actum purum, qui ſolus Deus eſt: Ergò conſtat phyſicis potentia, & actu, ſeu materia, & forma.

25 *PROB.* 3. Concluſio: Si Atomi eſſent prima rerum omnium Principia, illæ antè omnia creatæ fuiſſent à Deo, ut ipſi docent Atomiſtæ; ſed hoc eſt falſum: Ergò. *Prob.* min. 1. ex illo *Exod.* 1. *In principio creavit Deus Cœlum, & terram*: Ergò. *Nec dicas*, quòd ly *creavit* refertur ad Atomos, quibus conſtat Cœlum, & terra; non autem ad Cœlum ipſum, eamdemque terram, quæ non aliter creata fuerunt, niſi quatenùs creatis Atomis componuntur. *Nam* Atomorum creatio non eſt per ſe Cœli, terræque creatio, cum ex illis alia plurima poſſent fieri, quæ tamen creata immeritò dicerentur. *Imò*, cum alia omnia creatis Atomis conſtent, pari ratione creata dicerentur.

26 *Prob.* 2. illa min. Nihil poteſt per ſe creari, niſi compoſitum; ſed Atomi, per vos, non ſunt compoſitæ: Ergò. Min. etſi expreſſa ſit Divi Thomæ, (11) prob. Nihil creari poteſt, niſi à ſuo Creatore recipiat eſſe; ſed hoc ipſo compoſitum eſt ex recipiente eſſe, & ex ipſo *eſſe*, tamquam ex potentia, & actu: Ergò. *Urg.* Ens, cujus eſſentia eſt ſuum

(11) 1. *part. quæſt.* 45. *art.* 4.

ſuum eſſe, creari non poteſt; *eſt* enim *contra rationem facti, quod eſſentia rei ſit ipſum eſſe ejus*, ut docet D. Thomas: (12) Ergò ſolùm creari poteſt ens, cujus eſſentia non ſit ſuum eſſe; ſed hoc eſt neceſſariò compoſitum ex eſſentia, & eſſe. *Adde*, quòd juxta Carteſianos, quælibet Atomus conſtat minoribus: Ergò eſt compoſita.

27 *Adde* inſuper, ex ſolis Atomis non tam facilè, ut autumant Atomiſtæ, rationem reddi poſſe de naturæ Phœnomenis, ſivè naturalium effectuum: *Cur*, v. gr. tantus in natura ordo cernatur; quomodò ex modico grano arbor maxima procreari poſſit; cur ſimile generet ſibi ſimile, undè tanta potentiarum, virtutumque varietas; tanta, tamque mirabilis animalium ſolertia; quomodò ferrum à magnete trahatur; quomodò modica ſcintilla magnum pulveris tormentarii aggregatum in ictu oculi inflammare poſſit, &c.

28 Dicere enim, quòd tam ſtupidæ Atomi in animalis cerebro congregatæ, illi communicant adeò mirabilem induſtriam, qualem apibus, gruibus, formicis, aliiſque ſimilibus ineſſe, conſpicimus; quòd ſpecies viſibiles ſint quædam atomi è corporum ſuperficie abraſæ, quæ tàm ſubitò in oculum deferantur, ut nullà diſtantià retardentur, ſed tàm citò, quæ eminùs, quàm quæ cominùs accedunt, percipiantur; nullò etiam ventorum flatu, nullà aeris agitatione turbentur: Dicere, quòd magnes per quaſdam Atomos aduncas, & hamatas, veluti piſcator piſcem, ferrum attrahat: hæc, inquàm, & alia abſurda videntur, & fabuloſa.

29 Dicere deniquè, quod Atomi ſcintillæ ignis, cum ſint in perpetuo motu, dum pulveris attingunt Atomos, ſuam illis inquietudinem communicant, & tantam, tamque ſubitam in eis ſeditionem excitant, ut repentè inflammentur, & irrefragabili vi corripiantur, ex ſolo locali motu; non aliam veritatis ſpeciem ſecum affert, quàm, ſi quis dixerit, muſcam contra tritici acerbum volantem, immenſum granorum

(12) 1. *part. quæſt.* 7. *art.* 2. *ad* 1.

aggerem ſuo impetu commovere, corripere, diſſipare. Ex his, & aliis hujuſmodi, cui non videbitur, eos Philoſophos non admodùm ſolicitos eſſe, ut ſuis mentibus naturam deprehendant; ſed ut naturam potiùs ad libitum ſuæ imaginationis effingant?

30 Ea tamen omnia, ſi non admodùm clarè, ut imaginatione facilè percipi, deprehendique poſſint, ob innatam mentis humanæ imbecillitatem, ſeriùs tamen, ac veriſimiliùs explicant Peripatetici; non quidem immediatè per materiam, & formam, ſed per varias ex eis prodeuntes, vel claras, vel occultas qualitates: aut, ſi tenaciùs inſiſtant, plurima etiam per Atomorum occurſus, effluvia, & mixtiones; at non ità, ut naturalis effectus totus Atomorum motibus tribuendus ſit, ſed viribus potiùs, & virtutibus accidentalibus, quæ illarum vehiculo commoventur, & communicantur.

ATOMISTARUM ARGUMENTA SOLVUNTUR.

31 *ARGUES* 1. (13) Illud eſt primum, & intrinſecum Entis naturalis Principium, ex quo primò phyſicè componi poteſt; ſed Ens naturale ſolùm ex Atomis primò componi poteſt: Ergò. Prob. min. His ſolùm componi poteſt Ens naturale, quæ primò, & per ſe creari potuerunt, ut indè rerum omnium fierent generationes; ſed ſolùm Atomi primò, & per ſe creari potuerunt: Ergò. Prob. min. Illud ſolùm primò, & per ſe creari potuit, & poteſt, quod primò, & per ſe poteſt fieri ex nihilo; ſed ſolùm Atomi ex nihilo fieri poſſunt: Ergò.

32 Prob. min. Omnia corpora, præter Atomos, ſunt ex partibus compoſita; ſed compoſita ſimpliciter, & ratione ſui non poſſunt ex nihilo fieri: Ergò. Prob. min. Quod neceſſariò fit ex aliquo, nequit ſimpliciter, & ratione ſui ex nihilo

(13) *P. Toſca, tract. 3. lib. 1. cap. 2. prop. 19.*

nihilo fieri ; ſed omne compoſitum neceſſariò fit ex partibus: Ergò. *Conf.* Aliquid eſt admittendum in rebus corporeis, quod non poſſit niſi per creationem fieri, ut ſit primum rerum generandarum principium ; ſed omne compoſitum ex partibus poteſt per generationem fieri : Ergò aliquid eſt admittendum in rebus corporeis non compoſitum, quod ſit primum omnium principium ; ſed hoc eſt Atomus : Ergò.

33 *Ad arg.* quod jam ſibi propoſuit D. Thomas ſub his terminis : (14) *Creatum eſt ex nihilo ; ſed compoſita non ſunt ex nihilo : Ergò compoſitis non convenit creari : Reſp.* cum ipſo D. Thoma ; *quòd compoſitum ſic dicitur creari, quòd ſimùl cum omnibus ſuis principiis in eſſe producitur.* In forma igitur *reſp.* ad arg. diſt. maj. ultimæ probationis : Quod neceſſariò fit ex aliquo præſuppoſito, concedo maj. non præſuppoſito, ſed ſimùl comproducto, nego maj. & diſt. min. ex partibus, ſivè præſuppoſitis, ſivè comproductis, concedo min. præcisè præſuppoſitis, nego min. & conſeq.

34 Dupliciter compoſitum fieri poteſt ; vel ità, ut ejus aliqua ſaltèm pars pro aliquo tempore præſupponatur ; vel ità, ut nulla præſupponatur pars, ſed partes unitæ ſimùl è nihilo fiant, ſeu compoſitum ſimùl cum omnibus ſuis principiis producatur : Quod itàque ex aliis neceſſariò præſuppoſitis fit, nequit ex nihilo fieri ; quod autem ex aliis non præſuppoſitis fit, fit ex nihilo : Primò modò fiunt omnia, quæ generantur ; ſed non neceſſariò, cum valeant per creationem produci : Secundò autem modo ea fiunt, quæ ſimpliciter creantur. *Imò* nihil poſſe per ſe creari, niſi compoſitum, oſtendimus *num.* 26. cum D. Thoma. (15)

35 *Nec dicas* : quòd compoſitio opponitur è diametro creationi. *Nam* opponitur effectivè, & ex modo operandi, quatenùs eſt actio non ſimpliciter factiva totius rei, ſed ex partibus præſuppoſitis compoſitiva ; è contrà verò creatio : at non opponitur formaliter, & ex parte rei factæ ; quia res

(14) 1. *part. quæſt.* 45. *art.* 4. (15) *Ut ſupr.*

ipſa, quæ per generationem ex partibus præſuppoſitis produ-citur, poteſt per creationem ex partibus concreatis produci. Undè licet nulla compoſitio poſsit eſſe formaliter creatio; quodlibet tamen compoſitum poteſt eſſe creatum. (16)

36 *Ad Conf.* permiſſo toto ſyllogiſmo, nego min. ſub-ſumptam: nam illud non eſt Atomus, ſed Materia prima, ex quâ Atomum etiam componi neceſſe eſt, ut diximus *num.* 24. Et mirum ſanè, quòd Carteſiani, ponentes Atomos, ſeu particulas elementares in infinitum diviſibiles, id ipſum præ-tendant; quin indè videant, quòd ſi in infinitum dividi poſſunt, omnes uſque in infinitum erunt compoſitæ; om-nes inſuper increatæ, cum nullum creatum compoſitum eſſe poſſit: omnes igitur eſſent æternæ; quod ſanè eſt hære-ticum.

37 *ARGUES* 2. (17) Plurima ſunt in rebus corporeis ità minima corpuſcula, ut nullatenùs dividi, nec ſenſibus percipi poſsint; ſed ea ſunt Atomi, è quibus proindè res pri-mò componantur: Ergò. Majorem probant mille experi-mentis. *Primò*: Nam, ut refert Toſca, prop. 6. à Gaſſendo Engyſcopio obſervatum eſt, animalculum illud, quod *Alcu-lum* appellant, cum exiguum ſit adeò, ut ejus tertia pars ſeparata nullo viſu diſcerni poſsit, habere tamen roſtrulum, duo inſuper cornicula ramoſa, pedes etiam, crura, &c. Ex quibus colligi poteſt, quam exiles forent oculi, nervi, muſ-culi, oſſa, inteſtina, aliaque hujuſmodi ad vitales funcțio-nes neceſſaria.

38 *Secundò*: Addit ipſe, Euſtachium arenæ granula ob-ſervantem ope Microſcopii, quo granula illa nucis magnitu-dini æqualia videbantur, inter ipſa vermiculum multipedem candido, & ſpumoſo dorſo inſpexiſſe; verùm ità exiguus Mi-croſcopio apparebat, ut non major, quam nudis oculis minu-tiſſimum arenæ granum, videretur: undè illius corpus erat

2924207.

(16) *V. Pal. tom. 4. dial. 85. num. 704.*

(17) *P. Toſca, & alii Atom.*

2924207. vicibus minus arenæ granulo, ut demonſtrat Toſca. Cogitemus nunc illius nervos, muſculos, oſſa, inteſtina, venas, arterias, fibras, tendines, &c. & adeò exiles apprehendentur, ut humanum captum excedere videantur.

39 His, & omnibus experimentis ab Atomiſtis feliciter invectis ſuam ſententiam probare nituntur: ſed nihil minùs. *Reſp.* enim, permiſſa maj. cum ſuis experimentis, negando min. Licet enim in rebus corporeis admittantur Atomi, ſeu portiunculæ naturaliter impartibiles, & inſenſibiles; hæ tamen ſunt ex materia, & forma compoſitæ: *tum* propter dicta: *tum* etiam, quia illæ Atomi re verà diſtinguntur ſpecificè, aut inter ſe, aut ad minùs ab auro, ferro, &c. quod evenire non poſſet, niſi haberent aliquid quidditatis earum ſpecificativæ, & diſtinctivæ.

40 Habeant igitur illa animalia minutiſſima nervos, muſculos, inteſtina, &c. Nonnè ea omnia membra plurimis conſtant Atomis; Atomi etiam diverſas adhuc retinent figuras, ut ipſi clamant? Qua igitur ratione nobis erit illicitum aſſerere, membra illa eſſentialiter ex materia, & forma eſſe compoſita, licet permittamus ea partibus integrantibus penitùs inſenſibilibus conſtare? Inveriſimiliùs utique videtur, tam exilia membra ex Atomis ſexcentis, ut ità dicam, diverſimodè figuratis integrari, quàm, ea ex ſimplici actu, ſimplicique potentia eſſe compoſita.

41 *ARGUES* 3. Ea ſunt prima Entis naturalis Principia, in quæ naturalia corpora ultimò reſolvuntur; ſed naturalia corpora ultimò reſolvuntur in Atomos: Ergò. Maj. patet: quæ enim ſunt ultima in corporis reſolutione, ſunt prima in ejus compoſitione. Prob. min. Corpus naturale dividi poteſt in minores, & minores partes; ſed in hac diviſione non eſt procedendum uſque in infinitum: Ergò deveniendum eſt tandèm ad quaſdam particulas ulteriùs impartibiles, quæ *Atomi* dicuntur.

Majorem

42 Majorem probant experientiâ, quâ videmus, terram in minutiſsimum pulverem conteri; metalla in puſilla quoque ramenta diſſolvi, &c. Min. autem prob. Nam corpus nequit dividi, niſi in illas partes, quas actu continet; ſed actu continere non poteſt partes infinitas, alioquin daretur infinitum in actu creatum, quod rejiciunt Peripatetici: Ergò. *Prætereà*: Quia proceſſus in infinitum ubique locorum, & rerum rejiciunt Scholaſtici: Ergò pariter in præſenti. Conf. Anima ſenſitiva animalis perfecti, v. gr. Leonis, cum materialis ſit, debet eſſe extenſa; ſed nihilominùs eſt indiviſibilis: Ergò non repugnat, Atomos, utìque extenſas, eſſe indiviſibiles.

43 *Ad arg.* diſt. primam maj. In qua ultimò reſolvuntur eſſentialiter, ſeu tamquàm in partes eſſentiales, concedo maj. integraliter, ſeu tamquam in partes integrales, nego maj. Dato, at non conceſſo, quòd Atomi ſint, nedùm agentium naturalium viribus, ſed etiam de potentia Dei abſoluta (quod ex profeſsò examinabimus, cum de continuo diſputemus) indiviſibiles in alias minores portiunculas, eſſent adhuc reſolubiles in ſuam unaquæque materiam primam, ſuamque formam, quibus eſſentialiter componi, jam diximus.

44 *Ad alteram* formam dicimus, proceſſum in infinitum actù, & cathegorematicè rejici à Philoſophis; at proceſſum ſucceſsivum ſyncathegorematicum nonnumquam admitti poſſe: Et hujuſmodi eſſet, ſi portiunculas illas ponamus in infinitum diviſibiles, à quo pro nunc præſcindimus; ſatque nobis erit, ſi ſint, ut re verà ſunt, in materiam, & formam reſolubiles. *Nec dicas*: In corruptione rei neque ſucceſsivè eſt admittendus proceſſus in infinitum; ſed deveniri oportet ad aliquid incorruptibile: Ergò pariter in ejus diviſione. *Nam*, præterquàm quòd totum pro nunc permittimus; eſt inter utrumque nota diſparitas: Nam corporis diviſio ſemper fit in partes extenſas, & quantitativas: Ergò

ſemper

semper in partes ulteriùs divisibiles : At verò rei corruptio, cum sit destructio illius, fit in aliquam partem incorruptibilem, qua aliud generetur ; quia unius corruptio est alterius generatio.

45 *Ad Conf.* resp. dist. maj. est extensa *ut quo*, & virtualiter, concedo maj. formaliter *ut quod*, nego maj. Anima sensitiva est solùm extensa *ut quo*, quatenùs sua virtute corpus constituit formaliter extensum : Ad hoc autem non requiritur, ipsam esse divisibilem, ut requiritur in Atomis, quæ per se, & ut *quod* sunt, juxta Contrarios, extensæ. *Nota*, quòd Angeli dicuntur extensi, non secundùm entitatem, ut Atomi ; sed secundùm virtutem, qua in spatio extenso operantur.

ARTICULUS IV.

Cartesianorum, & Chymicorum opinio reprobatur.

1 REnatus Descartes, sivè Cartesius, postquàm supposuerat, unicam fuisse à Mundi origine rerum omnium materiam, quam proximè Deus in diversas divisit particulas, quibus determinatum impressit motum, quo aliæ rotundæ, aliæ ramosæ, nonnullæ majores, minores aliæ, illæ magis, hæ minùs crassæ factæ sunt ; è quibus tria Elementa deducit, ut suprà fusiùs ostendimus : (1) Trium Elementorum particulas, insensibiles utique, in infinitum tamen divisibiles in alias minores, & minores, rerum Principia excogitavit.

2 Hæc tamen opinio, quatenùs è minimis Elementorum particulis varia textura, multiplici motu, diversa magnitudine coordinatis, Ens naturale constituit, convenit cum Atomistis ; si tamen particularum indivisibilitatem excipias, quam abnegant Cartesiani, qui Elementorum nomen particulis, &

(1) *Art.* 2. *à num.* 30.

culis, quas illi vocant *Atomos*, imponunt. Undè eiſdem rationibus, quibus ſuperiori articulo Atomiſtarum opinionem rejecimus, Carteſianorum etiam hypotheſis æquè, ſi non meliùs, reprobari poteſt.

PRIMA CONCLUSIO.

3 DICIMUS 1. Particulæ elementares in infinitum diviſibiles, quatenùs diverſis motu, figura, ſitu, &c. coordinatæ, non ſunt prima Entis naturalis Principia. Hæc ſententia rejici poteſt; quia nullò prorsùs ſolidò fundamento audacter efficta. Voluit enim, veluti homo Mathematicæ deditus, non alium Orbem agnoſcere, niſi quem particulæ, figuræque diverſæ conſtituerent; ſicut de Muſico quodam refert Tullius, nè à ſua arte recederet, animam finxiſſe quamdam harmoniam: ſicut etiam poſſet Miles novam excogitare Philoſophiam, qua Mundum è rebus continuò pugnantibus; Mercator ex mutuo commercio; Juriſta è mutuo litigio, conſtituerent.

4 *PROB.* 1. Concluſio: Prima rerum Principia illa ſunt, quæ neque fiunt ex aliis; neque ex alterutris, ſed omnia ex ipſis; ſed elementares illæ particulæ ex aliis fiunt: Ergò. Major eſt communiter admiſſa. *Prob. min.* 1. Illæ particulæ elementares ex maſſa illa communi à Deo creata, juxta Carteſium ipſum, exciſſæ ſunt: Ergò. *Nec dicas*, illud primo creatum non eſſe Materiam, ſed aliquid, ex quo facta eſt Materia. *Nam* illud primum non erat aliquid ſpirituale, neque medium inter materiale, & ſpirituale, quod hucuſque à parte rei ignotum eſt: Ergò eſt materiale, ſeu potiùs rerum omnium prima Materia.

5 *Deindè*: Quidquid ſit illud primò creatum, fuit, per vos, id, ex quo facta ſunt Elementa, ſciſſæque particulæ elementares: Ergò tam elementa, quam elementares particulæ ex alio factæ ſunt: Ergò potiùs ſunt principiata, quàm

Entis

Entis naturalis Principia. *Urg.* Quælibet elementaris particula, cum materialis eſſet, ſuam habebat texturam, configurationem, & motum, ut Carteſius aſſerit; ſed non aliam cognovit ipſe compoſitorum formam: Ergò illæ particulæ erant ex materia, & forma compoſitæ: atque adeò non prima Principia, ſed principiata.

6 *Urg.* 2. Juxta Carteſium, particulæ elementares plures erant adeò diverſæ, ut aliæ eſſent ſubtiles, aliæ globuloſæ, aliæ craſſæ, ſeu ſtriatæ; ſed hoc fieri non poſſet, niſi quælibet conſtaret entitate materiali, & formali aliqua diſpoſitione, qua ſubtilis, aut globuloſa, aut craſſa efficeretur: Ergò quælibet ex iis particulis materia conſtabat, & diſpoſitione, ſeu figura, quam ſæpè formam appellant Carteſiani: Ergò potiùs compoſita ſunt, quàm ſimplicia compoſitionis Principia.

7 *Prob. jam* 2. prima illa min. argumenti: Particulæ elementares etiam ſubtiliſſimæ ſunt, juxta Carteſium, in alias particulas diviſibiles: Ergò eas ex his componi, neceſsè eſt; quia unumquodque reſolvitur in ea, ex quibus componitur. *Si reſpondeant*: portiunculas illas, in quas diviſibilis eſt elementaris particula, non efficere compoſitionem ſenſibilem, cum particula elementaris, quæ ex illis componitur, ſenſibus percipi non poſſit; adeòque elementarem particulam non eſſe compoſitum ſenſibile, & naturale.

8 *Contrà*: Plura eſſe poſſunt Entia naturalia completa, & tamen ſenſibus imperceptibilia: Ergò, quod portiunculæ, in quas dividi poteſt particula elementaris, non efficiant ſenſibilem compoſitionem, minimè probat, particulam illam non eſſe naturale compoſitum. Ant. patet in illo animalculo, de quo egimus ſuperiori *Art. num.* 38. quod ope Microſcopii veluti arenæ granulum apparebat: quo enim ſenſu, quo etiam Microſcopio percipi, diſtinguique poteſt ejus cor, jecur, os, nerviculus, &c. Quæ tamen omnia verè ſunt,

per vos, aut atomis, aut elementaribus particulis compoſita.

9 *PROB.* 2. Concluſio: Si particulæ elementares eſſent prima Entis naturalis Principia, Ens naturale non eſſet quid continuum, ſed potiùs aggregatum, acervus, textura, ſeu concretio particularum; ſed hoc eſt falſum: Ergò. Min. patet: Nam continuitas eſt proprietas inſeparabilis ſubſtantiæ quantæ, ſeu extenſæ, ut talis, dummodò permanentis: imò, ſi particula ipſa elementaris continua, & ſolida eſt, quamvis inferioribus conſtet portiunculis; cur Ens quodlibet naturale, etſi elementaribus conſtet particulis, continuum non eſſe oportebit?

10 Prob. maj. Si illæ particulæ ſunt Principia Entis naturalis, Ens naturale conſtituunt in determinata ſpecie, ratione ſuæ figuræ, ſituationis, motûs, &c. hoc ipſo non efficient Ens naturale continuum: Ergò. Prob. min. Tum à paritate de compoſito artificiali; quod, ſi ex partibus, quarum una rotunda ſit, alia oblonga, illa ſe movens, hæc quieſcens; una aſcendens, deſcendens alia, componeretur, abs dubiò non eſſet continuum, quamvis vitumine partes illæ annecti viderentur: *Tum* etiam, quia, ſi illæ particulæ re vera continuarentur, atque ramentis interpoſitis ligarentur, nulla jam partium figuræ diverſitas, aut apparere, aut deſervire poteſt; cum non minùs rotundæ, quàm longæ particulæ in unum, quadratum v. gr. conſolidari poſſint. Ergò.

11 Omitto pro nunc, ejuſmodi particulis, neque ſubſtantialem rei conſtitutionem, neque ſubſtantialem rerum diverſitatem evenire poſſe; cum mera fiat aggregatio accidentalis, ſola accidentalis diverſitas; neque his ſalvari poſſe veram vitam, veramque animam in brutis animantibus; quanrò minus in plantis animam purè vegetativam: (2) Mitto, inquam, hæc, & plura alia, quæ opportunio-

(2) *V. Goud. 1. par. Phyſic. quæſt. 1. art. 3. §. 2.*

tunioribus locis, prout occaſio tulerit, & brevitas permiſerit, aſſeremus.

12 *ARGUES* ex Carteſio, qui vix ullis rationibus ſua principia ſtabilivit. *Primò*: Principia Philoſophiæ debent eſſe clara, & evidentia; ſed nulla ſunt Carteſianis principiis clariora, & evidentiora: Ergò. *Secundò*: Ex Carteſianis principiis, & concluſionibus ex illis immediatè deductis ſalvari, & explicari poſſunt ſingula naturæ Phænomena: Ergò non ſunt alia quærenda, nec meliora deſideranda.

13 *Ad 1. reſp.* diſt. maj. Principia demonſtrationis ex parte intellectus, concedo maj. Principia rerum conſtitutionis, nego maj. Principia demonſtrandi ſunt quædam veritates per ſe notæ, è quibus ad veritates occultas manifeſtandas procedimus: Principia conſtitutionis rerum ſunt, à quibus res ipſæ cauſantur. Prima debent eſſe clara, & certa: Secunda verò ſunt obſcura, & maximè occulta; nam: *Felix qui rerum potuit cognoſcere cauſas*, ut Poeta cecinit. *Aut* dici poteſt; ea principia eſſe clara Phantaſiæ, pro libito hypotheſes effingenti; minimè verò Rationi, ſuprà ſenſum omnem rerum cauſas inveſtiganti.

14 *Ad 2. reſp.* (3) ex Principiis illis rerum omnium naturalium rationem reddi non poſſe; præcipuè de vita, anima, & cognitione brutorum. *Deindè*: Rationes multæ adduci ſolitæ, aut violentæ ſunt, aut gratuitæ, & abſque fundamento, ſicut hypotheſes, effictæ; & quæ ſolùm imaginationi, non menti, ſatisfaciunt. *Demùm*, licèt clarè, diſtinctèque naturæ phænomena illis principiis explicari poſſent; cùm tamen falſa hypotheſi nitantur, ſemper ſunt de veritate ſuſpecta; & cur non alia hypotheſis longè diverſa, & fortaſsè oppoſita, à quoquam ingenioſo viro fingi poterit, qua clarè explicentur naturæ Phænomena? Facilè eſt, falſis, aut fictis cauſis tribuere veros effectus.

(3) *Goud. ubi ſupr.*

SECUNDA CONCLUSIO.

15 *DICIMUS* 2. Chymicorum Elementa *Sal*, *Sulphur*, & *Mercurius* non ſunt prima Entis naturalis Principia. *PROB.* 1. Concluſio: Ea, quæ ex aliis fiunt, non ſunt prima Entis naturalis Principia; ſed tria Chymicorum Elementa ex aliis fiunt: Ergò. Prob. min. Quæ in alia reſolvuntur, ex aliis fiunt; ſed illa Elementa in alia reſolvuntur: Ergò. Prob. min. Illa Elementa poſſunt in partes, & Elementa ſubtiliora diſſolvi, ut experimentis obſervatum eſt: videlicet Mercurius in ſalem, & aquam; Sulphur in terram, ſalem, & aquam: Sal denique in aquam, & terram; ut Pariſiis obſervatum eſt, teſte P. N. Corſino: (4) Ergò.

16 *Deindè*: Si Chymica Elementa, velut rerum Principia habenda forent, plurima etiam alia æquo jure eſſent illarum Principia; ſed hoc eſt falſum: Ergò. Major conſtat: Nam alius Sal ex ſanguine, alius ex urina, alius ex uno, alius ex alio plantarum genere educitur; quod etiam de Sulphure, & Mercurio obſervatum eſt: *Imò*, ex eadem quoque ſubſtantia alius extrahitur Sal *fixus*, ſeu *laxivialis*, alius *volatilis*; quemadmodùm etiam diverſa Sulphuris, & Mercurii genera ex eodem mixto educi poſſe, fatentur Chymici.

17 *PROB.* 2. Concluſio: Principia Entis naturalis ea debent eſſe, ex quibus omnia entia naturalia componantur; &, in quæ ultimò reſolvantur; ſed plurima ſunt, v. gr. vitrum, aurum, chryſtallus, aliàque id genus, quæ in tria illa Elemanta non reſolvuntur, ſed in alia longè diverſa, ut fatentur Chymici multi: Ergò. Inſuper Robertus Boyle, in Chymicis egregiè verſatus teſtatur (5) ſe ex oleo quædam eduxiſſe, quæ ad illa tria Elementa referri non poſſunt: Ergò.

(4) *Tract.* 1. *diſ.* 3. *cap.* 3. *num.* 6. (5) *Apud Corſ. ubi ſup.*

Ergò. *Conf.* Ea, quæ corrumpuntur, ex aliis fieri neceſſe eſt, ac proindè non eſſe rerum principia; ſed illa tria Elementa corrumpi, experientia docet: Ergò.

18 *Conf.* Tria illa Elementa ſpecie phyſica diſtinguuntur: Ergò habent aliquam materiam omnibus communem, & aliquam ſingula ſuam formam, qua unumquodque ab aliis differat: Ergò componuntur phyſicè ex materia, & forma. Infertur jam ex dictis, neque trita vulgaria Elementa, Ignem, Aerem, Aquam, & Terram, aut eorum aliquod, neque aliud quodlibet eſſe poſſe Principia Entis naturalis: Nam de omnibus eſt eadem, aut potior ratio, ac de Chymicorum Elementis.

19 Pro ſolvendis Chymicorum argumentis *nota*: Eorum Elementa, aut alia longè diverſa, dum ex aliquo mixto extrahi videntur, majori, aut ferè ex omni parte de novo vi caloris procreari: Sicut ex variis herbarum cineribus vitrum ignis calore generatur. Undè non actu, ſed in potentia ſolùm Chymica Elementa in mixto continentur. At, ſi mixtum aliquod ſalis plurimum, Mercurii, aut Sulphuris continere experientia docet: continentur utique; at non ſimpliciter permixta, ſed veluti contiguè ſub mixti poris occludantur. Vide, quæ diximus ſuprà *art.* 3. *num.* 3. & 4.

ARTICULUS V.

Ariſtotelis Sententia ſtatuitur.

1 QUoniam Ariſtoteles, cujus opinio longo ſæculorum tractu in Scholis pacificè ſceptrum tenuit, &, licet non inturbata jam pace, regnat adhuc, ea ſtatuit Entis naturalis Principia, quæ meritò *Metaphyſica*, ſeu purè Intelligibilia appellantur, ut non ſemèl jam diximus; *ſcien-dum* eſt: prima Principia Entis naturalis ea eſſe debere, quæ non ſenſibus percipi, non imaginatione concipi; ſed ſola

mente

mente intelligi ; deprehendique debent. Quemadmodùm enim Corpuſculares omnes (hoc uno nomine Atomiſtas comprehendimus , & Carteſianos) ea volunt Principia, quæ non ſenſibus , ſed imaginationi obverſentur ; ea potiùs Ariſtotelicis arrident , quæ ſolo intellectu percipiuntur.

2 *Ratio eſt* : Quia prima entis naturalis principia ſubtiliora , imperceptibiliora, magis inſuper occulta , minùs ſenſibus obvia eſſe debent , quam ipſum Ens naturale , ſubſtantiale nimirùm ; ſed ens ſubſtantiale per ſe , & ratione ſui eſt ſenſibus occultum , omni prorsùs imaginationi extraneum ; quippè quod per ſe non eſt , aut ſenſibile , aut imaginabile , ſed ſolùm intelligibile : Ergò. *Deindè* ; quò res aliqua plùs reſolvitur , eò plùs redditur occulta , eò minùs perceptibilis ; ſed abſtractis , ſeu diviſis accidentibus externis redditur illa externis ſenſibus imperceptibilis : Ergò abſtracto quocumque accidentium genere , redditur omni ſenſui, etiam Imaginativæ imperceptibilis.

3 *Atqui* ſubſtantia ex ſe ipſa , & ratione ſui , ſivè ſuorum Principiorum , omnibus orba eſt accidentibus : Ergò ipſa ratione ſui , ſuorumque primorum Principiorum inſenſibilis eſt , & inimaginabilis : *Quia nempè ſubſtantia , non imaginatione , ſed ſolo intellectu percipitur* , ut totidem verbis Carteſius confeſſus eſt. (1) Si igitur ſubſtantia tota non ſenſu , non imaginatione quærenda eſt , ſed mente ſolùm ; illius prima Principia, quæ profectò ſubtiliora , & imperceptibiliora ſunt, ſola mentis indagine conjici , ſcrutarique poſſunt.

NOSTRA CONCLUSIO.

4 DICIMUS 1. Tria ſunt Principia Mutationis Entis naturalis , ſive Entis naturalis in fieri , *Materia* , *Forma* , & *Privatio*. Sic cum Ariſt. D. Thomas : (2)

Ad

(1) *In Object. contrà 3. Med. reſp. ad 5.*
(2) *1. Phyſic. lect. 13. & op. 31.*

Ad hoc, ut sit generatio, tria requiruntur: Ens in potentia, quod est Materia; non esse, quod est Privatio; & esse, quod sit in actu, quod est Forma. Ità etiam D. Augustinus, quem Platonicum, seu potiùs Atomistam voluere multi: *Omne mutabile ex aliqua informitate mutatur ad formam.* Ubi præfata principia expressè docet: *Informitatem, & Formam.*

5 *PROB.* Conclusio: Tot sunt Principia mutationis rerum, quot requiruntur ad novæ substantiæ productionem; sed ad productionem novæ substantiæ, tria hæc requiruntur: Ergò. Prob. min. Mutatio substantialis est transitus de non esse substantiali ad esse substantiale; tunc enim de novo generatur substantia, cum anteà non erat, & posteà est; sed ad illum transitum tria hæc principia requiruntur: Ergò. Patet expressè min. Siquidem ad transitum illum requiritur *non esse* à quo fit transitus, illudque dicitur *Privatio*: *Esse*, quod acquiritur, diciturque *Forma*; & Subjectum commune transiens de *non esse* ad *esse*, quod est *Materia*.

6 *Conf.* Quidquid fit naturaliter, ex aliquo fit; ex nihilo enim nihil fit naturaliter, ut est commune Physicorum axioma; sed naturalis substantia fit, seu generatur, ut nemo sanæ mentis negare ausus est: Ergò datur aliquod subjectum commune, ex quo res fiat; idque dicitur *Materia*: atqui Materia, utpotè rebus omnibus communis, est indifferens ex se, ut sit hoc, aut illud; v. gr. homo, aut planta: Ergò dari debet Principium illius determinativum, ut unum sit, & non aliud; quod est *Forma*. At, quia Materia, aut est, aut intelligitur prius sub *non esse* formæ cum aptitudine ad illam, etiam requiritur illud *non esse*, quod est *Privatio*.

7 Hæc omnia perspicuè intelliguuntur exemplis positis *art.* 2. *num.* 47. & 48. Plura tamen notanda sunt pro clariori doctrinæ nostræ intelligentia. *Primò* notandum est: Tria præfata Principia esse Mutationi Entis naturalis, seu ipsi enti naturali in fieri intrinseca: non quidem rigorosè; ita, ut generatio ipsa, seu ipsum fieri ex illis veluti ex partibus

tibus componatur ; ſed lato ſenſu , quatenùs illa generatio, aut illud fieri , neque evenire , neque definiri , neque intelligi , deprehendique poteſt abſque Privatione , tamquam termino *à quo* ; Forma , velut termino *ad quem* ; & Materia prima , veluti ſubjecto. (3)

8 *Secundò* notandum eſt : Rationes ſeminales, quæ juxta S. Auguſtinum computandæ videntur inter Entis naturalis principia , nihil aliud eſſe , niſi virtutes activas , & paſſivas rerum naturalium , illas præſertim , quæ ad propagationem propriæ ſpeciei , ſivè ad producendos effectus univocos deſtinantur : Undè , ſi ratio ſeminalis ſumatur pro activa virtute agentis extrinſeci , pertinet ad Principium extrinſecum , ſivè ad cauſalitatem cauſæ efficientis : Si verò ſumatur pro virtute activa Formæ ad informandum , & paſſiva Materiæ ad recipiendum , non eſt quid diſtinctum à Materia , & Forma , quæ per ſe ipſas ſunt , altera informativa , altera receptiva. (4)

9 *Tertiò* notandum eſt : Ens naturale fieri poſſe per creationem , per converſionem , per mutationem , ac per ſimplicem generationem. Creatio eſt : *Productio rei ex nihilo.* Converſio eſt : *Tranſitus unius rei in aliam* , aut eadem materia manente ; ut , cum Chriſtus creditur aquam in vinum convertiſſe : aut , nullo manente ſubjecto , ut in converſione ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam Corporis Chriſti ; quæ idcircò dicitur *Tranſubſtantiatio.* Mutatio eſt : *Tranſitus Materiæ à privatione formæ ad formam.* Simplex Generatio eſt: *Productio formæ ex ſubjecto, ſeu materia tunc primò creata.*

10 *Ex quibus* intelliges : Omnem generationem , regulariter loquendo , rigoroſam imbibere mutationem ; quia materiam creatam jam ſub privatione formæ ſupponit : At verò dari poteſt Generatio , quæ non ſit rigoroſa Mutatio, qualis

(3) *V. Rip. 1. Phyſic. diſ. 1. à num. 9.*
P. Loſſad. tract. 1. diſ. 1. num. 12.
(4) *V. D. Thom. 1. par. quæſt. 115. a. 2.*

qualis fuisset, si Deus in prima Mundi origine Cœlorum, & Elementorum formas, non è nihilo creasset, sed per eductionem, ut potuit, produxisset. Tria igitur assignata Principia sunt Mutationis, seu generationis, quæ est, & quatenùs est rigorosa Mutatio, seu Entis naturalis in fieri per mutationem. Quid ergò dicendum de Principiis simplicis Generationis?

11 *DICIMUS* 2. Principia intrinseca simplicis rerum generationis, sivè entis naturalis in fieri per simplicem, & puram generationem sunt tantùm duo Materia, & Forma. *PROB.* Conclusio: Simplex, & pura generatio evenit, cum in primo instanti creationis Materiæ educitur forma; sed ad hanc eductionem non concurrit Privatio: Ergò. Maj. explicatur exemplo possibilis eductionis formæ Cœlorum, & Elementorum in prima rerum productione: Et, quia non repugnat, quòd simùl tempore creetur materia, & forma producatur dependenter à materia, tamquam à subjecto pro priori naturæ præsuppositio.

12 Prob. min. Si forma in primo instanti creationis materiæ educitur, in nullo instanti est in Materia Privatio, ut patet: Ergò. *Nec dicas*: Privationem inesse Materiæ pro priori naturæ, & intelligentiæ ad Formam, licet non pro priori reali, & temporis. *Nam* priùs, & posteriùs naturæ sunt in eodem instanti reali; sed Privatio, & Forma nequeunt esse in Materia pro eodem instanti reali, cum contradictoriè opponantur: Ergò neque possunt componi, altera pro priori, altera pro posteriori naturæ solùm, & intelligentiæ.

13 *Deinde*: Prioritas naturæ, & intelligentiæ solùm importat rationis antecedentiam, realiter verò omnimodam simultatem: (5) Ergò, si Privatio solùm præcederet formam pro priori naturæ, esset prior solùm per rationem, simùl tamen realiter; sed hoc repugnat: Ergò. *Aliter*: Esse priùs

(5) *V. Met. lib. 2. quæst. 5. art. 5. num. 5.*

naturâ, & intelligentiâ, eſt intelligi priùs, poſteriori non intellecto; non tamen realiter eſſe ante poſteriùs: Ergò privatio in pura generatione intelligitur in materia ante formam; non tamen eſt realiter antè illam: Ergò intelligitur, ſeu potiùs fingitur generationis Principium; non tamen eſt re verâ Principium illius.

14 Ex his duo intelliges: *Primum* eſt, prioritatem naturæ ſufficere in Materia reſpectu Formæ, ut hæc ex illa educatur, ac proindè generetur; quia ad hoc ſufficit, ſi prius intelligatur Materia, quam Forma, & hæc ab illa realiter dependeat, licet ſimùl exiſtant; quod optimè evenire poteſt: Cœterùm non ſufficere ad hoc, ut Privatio ſit Principium; quia hæc nedùm intelligi, aut concipi debet in Materia, ſed re vera debet in illa negativè exiſtere; alioquin non eſſet, ſed fingeretur Principium.

15 *Secundum* eſt: quòd, dum Ariſtoteles Privationem appellat Principium per accidens, non loquitur de Principiis Entis naturalis *in facto eſſe*: ad Ens enim naturale in facto eſſe, nec per ſe, nec per accidens concurrit Privatio; ſed de Principiis per ſe requiſitis ad Generationem, ut talem; quia licet Privatio ſit Principium per ſe requiſitum ad Mutationem, per accidens ſolùm concurrit ad Generationem: hæc enim non eſſentialiter, ſed accidentaliter eſt mutatio. Ex dictis inferes, duo eſſe intrinſeca Creationis Principia, Materiam, & Formam; tria tamen Converſionis, Materiam, Formam relictam, & acquiſitam.

16 *Dicimus* 3. Duo tantùm ſunt Principia compoſitionis, ſeu conſtitutionis Entis naturalis, ſive Entis naturalis *in facto eſſe*, Materia, & Forma. *PROB.* Concluſio: Tot ſunt Principia conſtitutionis Entis naturalis in facto eſſe, quot remanent in ipſo, tranſacta generatione; ſed poſt Entis naturalis generationem, ſolùm remanent Materia, & Forma; cum Privatio jam fuerit è Materia expulſa per Formam, ut, cum Materia ligni facta eſt ignis, ceſſat Priva-

tio

tio ignis : Ergò. *Nec dicas*, in Ente naturali post generationem manere unionem, existentiam, & subsistentiam, quibus intrinsecè constituatur.

17 *Quia* unio imprimis, sicut non est pars, sed partium exercitium ; non causa, sed causalitas ; ità non est Principium, sed principiandi exercitium : non itàque est propriè, & *ut quod* Principium ; sed impropriè, & *ut quo*. Existentia insuper, & subsistentia non constituunt intrinsecè corpus in esse naturæ, seu essentialiter ; sed illa in esse existentis, hæc in esse suppositi, seu subsistentis : Idcircò non sunt computanda inter Principia Entis naturalis. Ad summùm dici potest, existentiam esse principium entis existentis, ut talis ; & subsistentiam Principium suppositi.

SOLVUNTUR ARGUMENTA CONTRARIA.

18 *ARGUES* 1. contrà 1. Conclusionem : Privatio non est principium Entis naturalis : Ergò. Prob. ant. Privatio est nihil ; sed nihil nequit esse principium, cum ex nihilo nihil fiat : Ergò. Resp. dist. min. Per modum partis intrinsecè componentis, concedo ; per modum termini, *à quo* fit transitus mutationis, nego. *Aut aliter*: Nequit esse principium rei undequaque positivæ, concedo; rei partìm positivæ, partìm negativæ, nego. *Fieri* Entis naturalis, cum importet priùs *non esse* formæ, deindè formam, est concretum successivè dicens in materia privationem, & formam.

19 *Dices* : Ex contradictoriis sola chymæra componi potest, non Ens naturale ; sed forma, & privatio contradictoria sunt : Ergò. *Resp.* dist. maj. Ex contradictoriis simùl sumptis, quomodo mutuò se excludunt, concedo ; positis successivè, nego maj. Mutatio est quid successivum quantùm ad constitutionem ex privatione, & forma ; undè nihil prohibet, ex illis, licet contradictoriis, *fieri* Entis naturalis

turalis conſtitui : *Nec dicas*, quòd generatio eſt actio inſtantanea ; *nam* generatio formaliter ſumpta pro introductione formæ in materiam inſtantanea eſt ; at ſumpta materialiter, prout materiæ mutationem importat de *non eſſe* ad *eſſe*, eſt ſucceſsiva.

20 *Inſtab.* Privatio non principiat mutationem quando eſt in Materia ; ſed neque illam principiat, quando non eſt: Ergò. Maj. patet : quia quandò privatio eſt in materia, hæc adhuc non incipit mutari, ſed ſub termino *à quo* quieſcit. Prob. min. Quod actu non eſt, nequit eſſe principium, cum exercitium intrinſecum principiandi ſupponat rei principiantis exiſtentiam : Ergò. *Reſp.* neg. min. Ad prob. diſt. ant. Nequit eſſe principium per modum partis, concedo; per modum termini, *à quo* derelicti, nego ant. & conſeq.

21 Dicendum eſt itaque, Privationem ſolùm principiare, quando non eſt, ſeu in primo non eſſe privationis in materia ; quia, cum ſit principium per modum termini, *à quo* fit tranſitus materiæ ad formam ; eatenùs ſolùm principiat, quatenùs amittitur, relinquitur, ſeu excluditur à materia : Sicut Cæſar-Auguſta eſt principium viæ Romam versùs, quatenùs ea relinquitur à talem viam conficiente. Et quemadmodùm antiquus conſtituitur homo per annos præteritos, ut tranſactos, ita mutatio per privationem, tamquam terminum derelictum.

22 *Replic.* 1. Tranſitus à loco *A* in locum *B* non conſtituitur intrinſecè per terminos *à quo*, & *ad quem* : Ergò neque mutatio ſubſtantialis. *Reſp.* diſt. ant. Tranſitus mediatus, permitto ant. immediatus, nego ant. & conſeq. Licet enim tranſitus de uno in alium locum diſtantem ſoleat vulgariter accipi pro tendentia viali de uno in alium; adæquatè enim, ſi in rigore loquamur, includit ubicationem, à qua primò recedit corpus, & illam, quam ultimò acquirit : at verò tranſitus immediatus præcisè conſtituitur per deſitionem unius, & acquiſitionem alterius ubicationis, quæ ſunt

loca

loca intrinseca : ab extrinsecis namque ad principia intrinseca nulla est paritas.

23 *Replic.* 2. Si privatio principiat, quando non est in materia, non principiat secundùm suum esse negativum, sed secundùm suum non esse ; sed non esse privationis est ipsum esse formæ : Ergò. *Resp.* dist. maj. Si ly *secundùm* denotet principiandi exercitium, concedo maj. si denotet rem principiatam, nego maj. Principium, *ut quod*, & quasi in actu primo est privatio secundùm illud esse negativum, quod habet pro priori ad formam ; sed non denominatur actu principians in actu secundo, nisi à suo non esse immediatè sequenti.

24 Ex dictis *inferes* 1. Fieri Entis naturalis per mutationem non salvari simpliciter, & absolutè, nisi in instanti introductionis formæ, quod est ipsum instans exclusionis privationis ; quia tunc verificatur, mutari materiam, eamque transire de non esse ad esse. Nihilominùs mutatio est quodammodò successiva ; non quantùm ad exercitium principiandi, sed quantùm ad existentiam principiorum in materia. *Inferes* 2. Denominationem *principiantis* verificari actu de privatione in instanti introductionis formæ, & illius expulsionis ; cadit enim suprà ipsam, ut à materia præhabitam.

25 *Replic.* adhuc contra totam solutionem argum. Si privatio quocumque modo principiaret mutationem, seu *fieri* Entis naturalis, nullum fieri posset Ens naturale, sine privationis concursu ; sed hoc est falsum : Ergò. *Prob. min.* 1. In exordio Mundi potuerunt formæ Cœlorum, & Elementorum à Deo educi, ac proindè Elementa, Cœlique generari ; sed non præcessisset formam privatio in materia, quæ sine forma existere non potuit : Ergò. *Prob.* 2. *min.* Quandò ex speciebus consecratis generantur, aut vermes, aut cineres, aut aliud quidquam, non concurrit privatio: Ergò. Prob. ant. Ibi non datur subjectum privationis, scilicet materia prima : Ergò.

Ad

126 *Ad replic.* ſunt, (6) qui reſpondeant: In prima rerum productione Cœlorum, Elementorumque formas educi minimè potuiſſe. *Sed* quam falſum teneat hæc opinio, poſteà videbimus. *Alii* (7) *reſp.* In eo caſu, quo Deus materiam creaſſet, ſimùlque formam eduxiſſet, privationem formæ præceſſuram, non pro priori reali temporis, ſed naturæ ſolùm, & intelligentiæ. *Sed* hanc ſolutionem impugnavimus jam *num.* 12. *&* 13. *Alii reſp.* (8) In caſu argumenti intervenire privationem, non ut introductam in materiam, eamque afficientem; ſed ut ab illa expulſam, ſeu potiùs impeditam.

127 Dicunt itàque, privationem non fuiſſe in materia, eò quòd à forma, in eodem materiæ creationis inſtanti introducta, ejus ingreſſus fuerit impeditus; conſequenter, privationem concurrere per modum termini *à quo*, non poſitivè derelicti, ſed impeditivè. *Sed obſtat* 1. Quòd materia creata, & diſpoſita ad formam, naturaliter exigit formam; privationem reſpuit: Ergò privatio nullum jus naturale habet reſpectu illius materiæ; conſequenter licet à forma impediatur, impeditur purè negativè, ſicut quælibet alia forma; non privativè: Ergò non magis privatio, quam quælibet alia forma concurrit, ut terminus *à quo*, impeditus, ſeu impeditivè expulſus à materia.

128 *Obſtat* 2. Quòd, juxtà ſolutionem, illa generatio eſt tranſitus de *non eſſe*; non quod fuerit in materia, ſed quod non fuit in ipſa, ex impedimento formæ in primo inſtanti introductæ: Ergò illud *non eſſe* non eſt terminus, à quo materia tranſivit ad formam, ſed terminus à quo tranſiiſſet; niſi repentino formæ introitu impediretur. Conſeq. liquidò conſtat: Ergò illud *non eſſe* re vera non principiat illam generationem; ſed principiaret, niſi à forma impediretur.

(6) *Pal.* 1. *Phyſic. quæſt.* 3.

(7) *Aliqui apud Loſſad. tract.* 1. *diſp.* 1. *cap.* 6. *num.* 1.

(8) *Irrib.* 1. *Phyſic. quæſt.* 1. *art.* 2.

tur. Tenet hæc conſeq. nam eatenùs terminus *à quo* principiat, quatenùs ex eo fit, non quatenùs pro aliqua hypotheſi fieret tranſitus materiæ ad formam.

29 *Alii* (9) dicunt: Formæ carentiam, quæ etiam materiæ creationem præcedit, eſſe formæ privationem; non ſe ſola, ſed quatenùs connotat materiam poſſibilem capacem talis formæ, à qua proinde tranſivit materia ad formam. *Contrà* hanc ſolutionem faciunt ea ipſa, quæ obſtant contrà præcedentem: nàm ea carentia nullatenùs fuit in materia. *Deindè*: Licet carentia, non afficiens, ſed connotans ſubjectum formæ capax, ſit lato modo privatio; hæc tamen ſtrictè ſumpta, ut ſumi debet in præſenti, connotat ſubjectum exiſtens; quia *Privatio eſt negatio in ſubjecto*, ut ait D. Thomas: (10) Ideò antequàm daretur creatura, nec cæcitas, nec ignorantia, nec ſurditas erat; quia privatio eſt.

30 *Ad replic.* igitur poſitam *num.* 25. aliter juxta dicta *reſp.* diſt. maj. Nullum fieri poteſt Ens naturale, per mutationem, ſine privationis concurſu, concedo maj. per ſimplicem, & puram generationem, nego maj. Cum itàque eductio formæ Cœlorum, & Elementorum in eo caſu non eſſet rigoroſa mutatio, quæ eſt tranſitus de *non eſſe* ad *eſſe*; ſed ſimplex, & pura generatio, quæ eſt productio formæ dependenter à ſubjecto ſimùl creato; nihil mirùm, quòd ad illam non concurreret privatio: id enim ſtatuit ſecunda concluſio.

31 *Ad* 2. *min.* prob. quæ eſt de ſpeciebus conſecratis, variis etiam modis reſp. Authores noſtri; ſed horum duplex imprimis claſſis diſtingui poteſt: altera eorum, (11) qui ad illam generationem ex ſpeciebus novam, aut innovatam materiam primam requirunt: altera eorum, (12) qui materiam

(9) *Apud Loſſ. ubi ſup. à num.* 9. (10) 1. *p. q.* 11. *art.* 2.
(11) *Palanc. Manſ. P. Loſſ. & alii multi.*
(12) *Froy. Coll. Rip. Langa, cum aliis.*

teriam primam formaliter talem excludunt, totumque materiæ munus tribuunt quantitati, quam vocant muneraliter, & ſubſtitutivè materiam. Ex prima claſſi alii volunt reproductam, ſeu conſervatam priſtinam panis materiam; alii novam materiam à Deo creatam; alii quantitatem converſam in materiam primam.

32 Omnes autem ſecundæ claſſis Authores unanimi conſenſu affirmant, in generatione vermium, cinerum, aut alterius cujuſlibet ex ſpeciebus conſecratis concurrere privationem, quæ recipitur in quantitate, ſubſtantiæ vices gerente. Quemadmodùm enim vi miraculi Euchariſtici datum eſt quantitati gerere vices ſubſtantiæ; adeò, ut ſit ſubjectum cæterorum accidentium, habeatque virtutem nutritivam: ità ipſi datum eſt etiam, quòd recipiat diſpoſitiones ad novam vermium formam recipiendam; quòd ex illa ipſa quoque forma educatur, eamque recipiat, fiatque ex quantitate, & forma nova unum ens per ſe; quòd denique recipiantur in ipſa quantitate omnes formæ, quæ variarum generationum ſucceſſione uſque ad finem Mundi ſubſequentur.

33 Hæc tamen omnia fieri arbitrantur abſque novo miraculo, ſed vi miraculi priùs facti in Sacramento. Neque hoc continuari permittunt poſt eductionem primæ formæ ex ſpeciebus Sacramentalibus eductæ: hac enim facta vi primi, ſeu unici miraculi, jam de cætero reliquæ formæ naturaliter educuntur, & generantur. At verò illa omnia fieri volunt, non ex quantitate formaliter, ut tali; ſed ex ipſa, ut vicaria ſubſtantiæ, in virtute ſubſtantiæ, ſeu quatenùs muneraliter eſt ſubſtantia.

34 Et ſi illis *opponas* 1. Quòd quantitas eſt ens actuale, ac proindè non poteſt gerere munus materiæ primæ, quæ eſt pura potentia: 2. Quòd eſſe receptivum formæ ſubſtantialis eſt eſſentia materiæ primæ; ideòque non poteſt quantitati, aut cuilibet alteri convenire: 3. Quòd quantitas nequit

quit gerere vices formæ : Ergò neque materiæ : 4. Quòd ex quantitate , & nova forma , utpotè entibus in actu , non fieret unum ens per se : 5. Quòd etiam quantitas corrumpi potest , sicut cœtera accidentia : 6. Quòd in novo composito esset duplex quantitas : 7. Quòd illa quantitas deinceps sine subjecto conservaretur ; & alia plurima.

35 *Respondent* (13) *ad* 1. quod licet quantitas formaliter , ut talis , sit actus , & quidem accidentalis ; virtualiter tamen substitutivè , & in munere est pura potentia substantialis ; in ea autem generatione non exercet formalitatem actus , sed formale munus potentiæ. *Ad* 2. dicunt , esse receptivum formæ entitativè , & ex natura sua , seu connaturaliter , esse naturam , seu essentiam materiæ primæ ; non verò , esse receptivum substitutivè , & vicegerenter , ex suppositione miraculi ; quo solùm modo convenit quantitati: sicut , existere per se , esse subjectum *quod* accidentium , aut esse operativum ut *quod* naturaliter,& exactivè,est proprium, & privativum substantiæ ; non verò , talia esse per accidens, & ex suppositione miraculi ; cum ità competat quantitati.

36 *Ad* 3. negant conseq. Quia forma ex proprio munere causat dando esse simpliciter subjecto , quod efficere non potest quantitas , etiam per miraculum , nisi illud esse formaliter præcontineret , quo in eventu esset forma substantialis : Cœterùm materia causat recipiendo ; ad quod sufficit passiva capacitas ad recipiendam formam , quæ potest convenire quantitati ex precisa substitutione pro substantia. *Ad* 4. respondent , ex forma , & quantitate formaliter , ut tali, non fieri unum per se ; benè verò ex forma , & quantitate muneraliter sumpta , quatenùs materiæ vices , & potentiæ munus gerente.

37 *Ad* 5. asserunt , quantitatem corrumpi posse ; at non ità , ut in nihilum redigatur , sic enim anihilaretur ; sed ità

(13) *Coll. Rip.* 1. *Physic. dub.* 2. *à num.* 2. *Froyl. ibidem, quæst.* 1. *art.* 1. §. 3.

ut per diviſionem in minutiſſimas partes dividatur : illæ autem particulæ , aut illud quodvis remanens gereret materiæ vices. *Ad* 6. negant aſſumptum : Quia , ſicut ex quantitate, ut gerente vices materiæ , & ex forma genita unum numero ens ſubſtantiale fit ; ità ex eadem quantitate entitativè ſumpta , & ex nova quantitate à forma dimanante , per unionem , & continuationem fit una numero quantitas.

38 *Ad* 7. reſpondent, illud non eſſe inconveniens : Quia cum quantitas , ſuppoſito conſecrationis miraculo , maneat loco materiæ ; ſicut materiæ debetur perpetuò ſine ullo ſubjecto durare , ità debetur in hoc caſu quantitati , quatenùs illius vices gerenti : *Imò* , ſi quantitas illa per varias mutationes panis formam denuò reciperet , & conſecraretur, quantitas illa ſub munere ſubſtantiæ converteretur in corpus Chriſti , fieretque formalis , & adæquata tranſubſtantiatio. Omnia demùm , aut inconvenientia , aut repugnantia ſub his terminis : *virtualiter* , *ſubſtitutivè* , *muneraliter* , *vices gerens* , vitare conantur.

39 Hæc ſolutio , quæ probabiliſſima eſt in Schola Divi Thomæ , & quæ nobis minimè improbatur , deducitur ab his Authoribus ex eodem Angelico Doctore plurimis in locis ; præcipuè tamen aſſerit : (14) *Melius videtur dicendum, quòd in ipſa conſecratione miraculosè datur quantitati panis, & vini , quòd ſit ſubjectum ſubſequentium formarum ; hoc autem eſt proprium materiæ ; & ideò ex conſequenti datur prædictæ quantitati dimenſivæ omne illud , quod ad materiam pertinet. & ideò , quidquid poſſet generari ex materia panis , & vini, ſi adeſſet , totum poteſt generari ex prædicta quantitate panis, & vini ; non quidem novo miraculo , ſed vi miraculi priùs facti.*

40 Authoribus tamen primæ claſſis optimè viſum eſt, primas , & prævias ad generationem diſpoſitiones recipi in quantitate gerente vices materiæ primæ , eaſque retinere ipſam

(14) 3. *par. quæſt.* 77. *art.* 5.

ipsam toto tempore, quo permanet Sacramentum: at in primo instanti non esse Sacramenti, à Deo per creationem, aut per reproductionem, aut per quantitatis conversionem, de materia prima, quæ sit formæ genitæ subjectum, tum eductionis, tum informationis, provideri, non quidem novo miraculo, sed vi miraculi prius facti: quia, sicut fuit conveniens, naturæ ordinem impedire ad Sacramentum; ità congruum videtur, redire naturæ ordinem, cessante Sacramento.

41 *Ex quibus* ad arg. respondent, in illa nova materia concurrere privationem illis diversis modis, quibus eam concurrere dicunt ad eductionem possibilem formæ Cœlorum, & Elementorum, prout à *num.* 26. visum est. Sed eisdem rationibus, quibus ibi, displicent in præsenti solutiones illæ: solùmque tenenda est solutio posita *num.* 30. qua in forma resp. ad secundam probat. min. positam *num.* 25. concesso ant. nego conseq. Nam illa generatio non est rigorosa mutatio, sed simplex, & pura generatio, cum non transeat materia illa nova de privatione ad formam, sed in primo instanti, quo materia est, recipit novam formam. (15)

42 Hanc solutionem, quam utique probabilem arbitramur, ex Ang. etiam Doctore (16) deductam volunt Authores sui: ait enim: *Dicendum est, quòd secundùm quamlibet positionem, aliquid miraculosum est in hoc Sacramento, & aliquid naturale: reditus enim substantiæ, vel creatio materiæ, vel conversio dimensionum in materiam est aliquid miraculosum; sed, quòd materia, jam existens, suscipiat talem formam, cujus dispositiones præcesserunt in dimensionibus, hoc est naturale.* Ubi satis perspicuè apparet à D. Thoma admitti, vel permitti ad minùs novam materiam primam, sicut supra permittere solùm videtur, quantitatem in omnibus gerere

(15) *V. Coll. D. Thom. hìc, num.* 53.

(16) *In* 4. *d.* 12. *quæst.* 1. *art.* 2. *quæstium.* 4. *ad* 4.

rere vices materiæ, illis verbis: *Meliùs videtur dicendum, &c.*

43 Si contrà hanc ſolut. *opponas* 1. Quòd illa vermium generatio, cum naturalis ſit, requirit materiam diſpoſitam, qualis non eſt illa nova materia, in qua nullæ præceſſerunt diſpoſitiones: 2. Quòd, ſi nova materia ad illam generationem induceretur, nihil maneret de ſpeciebus conſecratis, ac proindè anihilarentur virtute agentis naturalis, quòd repugnat: 3. Quòd quantitas recipit diſpoſitiones ad novam formam: Ergò recipit ipſam formam, alioquin fruſtrà quantitas diſponeretur; neque ultima diſpoſitio ad formam connecteretur cum illa, ut communiter doceri ſolet.

44 *Ad* 1. *reſp.* in illa generatione à Deo nedùm de materia, ſed de materia diſpoſita provideri: Materia, nulla forma informata, qualis illa creatur, diſpoſita eſt ad cujuſcumque formæ eductionem. *Ad* 2. *reſp.* illud manere de formis accidentalibus, quod maneret, ſi ex pane fieret illa generatio. *Ad* 3. negant conſeq. Quia agens naturale illis diſpoſitionibus alterare intendit ſpecies Sacramentales, ac ſi eſſet ibi vera panis ſubſtantia; ut deinde vermium generationem conſequatur; at non eſt fruſtranea illa alteratio, ſine qua fieri non poſſet hæccine generatio. At ultima diſpoſitio, cum à nova forma dimanet, jam recipitur in materia; non in quantitate.

45 Ad nos quòd attinet, dicimus, utràque ſolutione, & quidem probabiliſſima, concluſionis intentum ſalvari. Si primam eligas, ut liberè poteſt; jam in quantitate recipitur formæ privatio: ſi ſecundum, ut per nos licet; non concurrit privatio, nam illa eſt pura, & ſimplex generatio; non rigoroſa mutatio, ad quam ſolùm requiritur privatio. Qua ratione, qua induſtria in alterutram Ang. Doctoris doctrinam declinari poſſit; qua facilitate ejuſdem authoritates pro altera adductas ab altera interpretentur; vide apud Patronos earum opinionum.

Si

46 Si denique interroges, quatenùs à Deo de materia nova provideatur? Eo modo, quo Deus vult: cum enim provisio illa miraculosa sit, ac Deo libera; nobis est inscrutabilis. Enim verò verosimiliùs videtur, quòd provisio fiat per quantitatis dispositæ conversionem in materiam dispositam: idque ex eo conjici potest, quòd magis naturale videatur, minùsque miraculosum, quantitatem in materiam converti, quàm, eam simpliciter creari: non sunt autem multiplicanda miracula sine necessitate.

47 *ARGUES* 2. Quando generatur ignis ex ligno, nedùm præcedit in materia privatio formæ ignis, sed etiam forma ligni; sed, quia præcedit illa privatio, est terminus *à quo*, atque principium mutationis: Ergò pariter illa forma. Idem fit argumentum in qualibet alia mutatione. *Conf.* 1. Principium est prius principiato; sed forma non præcedit privationem, seu *fieri* entis naturalis, cum illud subsequatur: Ergò. *Conf.* 2. Principium non fit ex alio; sed forma fit ex materia; ex ea enim educitur: Ergò. *Conf.* 3. Materia est subjectum mutationis: Ergò præsupponitur mutationi, atque adeò ab illa distinguitur adæquatè.

48 *Ad arg.* dist. maj. Præcedit forma ligni per se, ex intentione, & conceptu mutationis, nego maj. per accidens, & præter intentionem mutationis, concedo maj. & è contrà distincta min. nego conseq. Mutatio ex suo conceptu formali solùm est: *Transitus de non esse ad esse*; quòd itàque alia forma præcesserit, est præter intentum mutationis; solùmque pertinet ad conceptum conversionis, quæ est transitus de una in aliam formam. *Si dicas* 1. Generatio aceti per se præsupponit formam vini, & generatio cadaveris formam viventis. *Secundò*: Omnis mutatio naturalis necessariò importat conversionem: Ergò.

49 *Ad* 1. *resp.* eas generationes præsupponere prædictas formas, non ex formali conceptu generationis, aut mutationis; sed ex conceptu talis mutationis, quæ præcisè requirit

quirit illiuſmodi converſionem, & ratione hujus determinatam formam præcedentem. *Ad* 2. diſt. ant. Materialiter, connexivè, ſeu per connexionem, concedo ant. formaliter, & identicè, nego ant. & conſeq. *Reſp. jam ad* 1. *Conf.* diſt. min. Non præcedit mutationem, ſeu fieri cauſale, & effectivum, ſcilicet actionem generativam, concedo; formale, quod eſt adæquatus tranſitus de non eſſe, nego. Quouſque enim forma ingreditur, velut terminus *ad quem*, non eſt tranſitus ille adæquatè conſtitutus.

50 *Nec dicas*: Compoſitum eſſe terminum *ad quem* mutationis: Ergò non eſt forma. *Reſp.* enim compoſitum eſſe terminum *ad quem* totalem, & ultimatum, qui non principium, ſed principiatum eſſe debet: at forma eſt terminus *ad quem* partialis, & non ultimatus, qui eſt proindè mutationis principium. *Ad* 2. *Conf.* diſt. maj. Non fit ex alio tamquam ex parte, concedo; tamquam ex ſubjecto, à quo in fieri dependet, nego: & hoc modo fit forma ex materia. Non enim eſt contrà rationem primi principii, quòd in fieri ab alio dependeat, cum omnia dependeant à cauſa efficiente; ſed ſolùm exigit, quòd ex aliis, velut ex partibus, intrinſecè non componatur.

51 *Ad* 3. *Conf.* diſt. ant. Eſt ſubjectum mutationis adæquatæ ſumptæ, nego ant. inadæquatè acceptæ, concedo ant. & nego conſeq. Eſt itàque ſubjectum privationis, & formæ; at non eſt ſubjectum hujus concreti: *Tranſitus de non eſſe ad eſſe*; alioquin, cum illud materiam etiam includat, eſſet ſubjectum ſui. *Dices*: ſicut materia eſt ſubjectum privationis formæ, ità eſt privationis unionis: Ergò hæc etiam privatio eſt principium. *Sed* nego conſeq. Quià ſicut unio non eſt principium, per modum termini *ad quem* ob rationem adductam *num.* 17. ità, ob eamdem rationem, ejus privatio non eſt per modum termini *à quo*.

52 *ARGUES* 3. contrà 2. Concluſionem: Productio formæ ex materia in primo inſtanti hujus creationis, eſt, per

vos,

vos, simplex, & pura generatio; sed ad illam productionem concurrit privatio: Ergò. *Prob. min.* 1. In primo signo illius productionis materia non habet formam, cum hæc consequatur productionem: Ergò habet privationem. *Secundò*: Carentia formæ præcedit creationem materiæ, cum illa semper fuerit, quousque forma producatur: Ergò, cum materia capax formæ creatur, illa carentia debetur materiæ, ac proindè fiet privatio. *Tertiò*: Sicut forma, præsupponens materiam, fit ex suo *non esse*, ità forma, quæ simùl cum materia producitur; sed illius *non esse* est mutationis Principium: Ergò.

53 *Ad arg.* nego min. *Ad* 1. *ejus prob.* nego ant. Quià cum illud primum signum sit rationis, & intelligentiæ; pro illo signo materia formam habet; licet non intelligatur habere formam: Ergò in rei veritate non habet privationem, licet privatio intelligatur. *Vide sup. num.* 13. *Ad* 2. nego conseq. Quià materiæ formæ capaci, non formæ privatio, sed ipsa forma debetur; sicut illa formam appetit, non privationem. *Ad* 3 nego conseq. Disparitas est: Quia *non esse* formæ præsupponentis materiam reaptè recipitur in materia; consequenter est privatio, cum sit carentia formæ in subjecto capaci: Cæterùm *non esse* formæ simùl cum materia productæ non recipitur in materia.

54 *ARGUES* ultimò ex Atomistis, & Carteſianis. Et primò: (17) Materia prima, utpotè materialis, constat partibus: Ergò fit ex aliis; adeòque principium esse non potest. *Conf.* Materia prima est in specie physica materiali, cum spiritualis esse non possit; sed species materialis physica constat potentia, & actu physicis, & materialibus: Ergò materia prima fit ex aliis. *Urg.* De ratione primi principii est esse à Deo creatum; sed materia prima nequit à Deo creari: Ergò. Patet maj. Nam primum principium non debet aliud

(17) *Guzman, apud Lang. tom. 3. lib. unic. contr. Arist. quæst. 4. art. 1. à num. 15.*

aliud ſupponere, conſequenter fieri debet ex nihilo. Prob. min. Materia prima eſt compoſita: Ergò fit ex partibus, & non ex nihilo; ideòque creari non poteſt.

55 *Secundò*: (18) Prima rerum principia ea eſſe debent, quibus facilè, & perſpicuè naturalis effectus, ſeu naturæ phænomena valeant explicari; ſed per materiam, formam, & privationem ea explicari non poſſunt: Ergò. Patet min. Quis enim varios ſiderum, aliorumque cœleſtium corporum motus, & lucem; quis pluviarum, fluminum, & fontium originem; plurimorum etiam ſivè terreſtrium, ſivè aereorum Meteororum naturam explicet per recurſum ad materiam, & formam, de quibus nihil nobis certò conſtat; neque facilè intelligi, imaginarique poſſunt?

56 *Tertiò*: (19) Si materia, forma, & privatio eſſent Entis naturalis principia, triplici ferè nihilo tota inniteretur naturæ machina; quod mirùm prorſus, aut potius paradoxum omnibus videretur. Prob. aſſumptum: *In primis*, privationem nihil eſſe, diffitetur nemo. *Deindè*: Materia, juxta Ariſt. (20) *nec eſt quid, neque quantum, nec quale, neque aliquid eorum, quibus ens determinatur*: Ergò neque eſt ſubſtantia, neque accidens; ſubſtantiæ enim, accidentiſque differentiis determinatur ens adæquatè: Ergò non eſt ens, ſed nihil. *Demùm*: Forma educitur ex materia; quæ juxtà dicta nihil eſt; ſed ex nihilo nihil fit: Ergò forma eſt nihil.

57 *Ad primum*, nego ant. Materia enim prima, cum partibus non conſtet eſſentialibus, neque conſtat ex ſe, & ratione ſui partibus integralibus, niſi in potentia ſolùm, quatenùs poteſt informata forma fieri totum per quantitatem extenſibile, & diviſibile. *Materia autem non habet partem, niſi ſub quantitate*. (21) Neque materialis propriè di-

ci

(18) *P. Corſ. tract.* 1. *diſp.* 4. *cap.* 5. *num.* 10.
(19) *Ex Martin. dial.* 1. (20) 7. *Met. cap.* 3.
(21) *D. Thom. op.* 32. *cap.* 1.

ci potest, sed materia: Sicut lux propriè non est lucida, neque albedo alba; sed impropriè solùm, & *ut quo*. *Ad Conf.* nego maj. Materia enim ex se non est in specie materiali, sed est primum principium cujuscumque materialitatis: solumque est in specie negativa materiali, in qua constituitur per suam potentialitatem, & carentiam omnis actualitatis; per quod jam differt à re spirituali.

58 *Ad Urg.* nego utramque præmissam: *Majorem*; quia de ratione primi principii, solùm est aliud non supponere, in eo genere, in quo est primum; v. gr. forma in genere causæ formalis, & materia in genere causæ materialis: At verò in diverso genere potest aliud supponere, ut supponunt omnia suam ipsorum causam efficientem; ità etiam non est inconveniens, quòd forma materialis præsupponat materiam in genere causæ materialis eductivo: *Minorem* insuper, ejusque probationem, cujus falsitas ex nuper dictis satis constat.

59 *Ad secundum*; dist. maj. Quibus valeant effectus naturales, seu naturæ phænomena explicari immediatè, nego maj. mediatè, concedo maj. & distincta min. nego conseq. Quemadmodùm in scientiis prima principia non ea esse debent, quibus omnes illarum conclusiones immediatè probentur, & in quæ immediatè resolvantur; sed mediatè solùm, seu ea, quibus primò probari incipiant, & ultimo resolvi: ità in naturalibus non ea esse debent prima principia, quibus immediatè, sed mediatè solùm explicentur effectus naturales, tamquam per causas remotas, non proximas.

60 *Hinc* Peripatetici, & ipse Aristoteles, fatentibus adhuc Adversariis (22) in explicandis naturæ effectibus, variisque corporum affectionibus, non ad materiam primam, & formam substantialem immediatè confugere consueverunt; sed ad varias, easque mirabiles qualitates, ad motus diversos, ad vapores, & exhalationes, ad tenuissimas quoque, insen-

(22) *P. Cors. ubi sup. num.* 11.

inſenſibileſque particulas in aere, igne, vaporibus, halitibuſque repertis, quas *minima naturalia*, &, ſi velis *atomos* appellamus. Cæterùm, ibi ſiſtere, nulli unquam Peripateticorum licuit; ſed eorum omnium ulteriores, & ulteriores cauſas inquirentes, eo tandem deveniunt, ut materiam, & formam prima rerum principia dicant; ut, convictus fortaſsè, permittit jam Corſinus Noſter.

61 *Ad tertium*, quod indignum prorsùs cordati viri reflexione videtur, ſolùmque aptum, ut indocti rideant, irrideant Novatores, atque minùs in Ariſtotelica doctrina verſati in hujus neglectum conſpirent, *reſp.* negando aſſumptum. *Ad* ejus probationem dicimus privationem in primis eſſe nihil, non purum, ſed connotans ſubjectum formæ capax. At ſi privatio nihil eſt; quid, quæſo, erit vacuum formaliter, ut tale, quod inter rerum Principia numerant Atomiſtæ? (23) Dicimus inſuper, materiam primam neque eſſe quid, nec quantum, &c. ſed nego conſeq.

62 Licet enim materia, non ſit aliquid eorum, quibus ens determinatur completè, ſcilicet in aliquo prædicamento; eſt tamen ex ſe ipſa id, per quod ens determinatur incompletè in linea phyſica purè potentiali; habetque realem, & phyſicam entitatem, purè, & ſubjectivè potentialem. *Et* rogo: ſi materia ideò nihil eſt; quid erunt veſtræ Atomi, quibus ſingulas materiæ primæ proprietates, & ipſam Ariſtotelis expoſitionem attribuitis? (24) Forma denique actus eſt phyſicus ex materia quidem eductus, non extractus, ut contrarii ſupponunt; eductio enim ſolùm in eo conſiſtit, quòd forma ab agente fiat dependenter à materia, ſed per materiæ tranſmutationem, ut videbimus.

63 Ad ultimùm *nota* 1. Tria quoque eſſe corruptionis principia, formam videlicet, materiam, & privationem; quia, ſicut generatio naturalis eſt tranſitus de non eſſe ad eſſe,

(23) *V. art.* 2. *num.* 27.

(24) *P. Toſca, lib.* 1. *Phyſic. cap.* 2. *prop.* 20.

esse, ità corruptio est transitus de esse ad non esse. *Nota 2.* Inter principia entis naturalis, solas formam, & privationem esse contrarias; non quidem contrarietate stricta, & rigorosa, sed latè sumpta pro utriusque in eodem subjecto incompatibilitate; prout monuimus *Art. 2. num. 15. & 16.*

QUÆSTIO II.

DE MATERIA PRIMA.

ARTICULUS I.

An, & quid sit Materia prima?

1 MAteriæ nomine illud intelligi, deprehendique debet, quod ad aliquid efficiendum deservit; sic lapides, & ligna, materialia vulgò, propriè materia domùs appellantur. Sed alia materia est prima, alia secunda. Materia prima est prima illa portio, ex qua incipit rerum compositio, illaque proindè incomposita esse debet: Materia secunda est illa, quæ, cum jam ex præcedenti materia fiat, ad aliorum effectionem deservit. Undè, cum lateres, è quibus fit domus, ex alia materia fiant, pulvere nimirùm, aut arena; non prima, sed secunda domùs materia sunt: pulvis autem, cum ex aliis artificiosè non fiat; prima domùs materia artificialis dici potest.

2 Sic igitur per quamdam analogiam in rebus naturalibus est discurrendum; ut prima ligni, v. gr. materia non sit, hæc, aut illa pars, quæ veram ligni naturam habeat,

cum hoc ipſo jam conſtet materia, & forma ligni; ſed quædam illius portio, à qua ſi forma ſeparetur, ligni aut alterius compoſiti naturam minimè retineat; imò potiùs ſimplex adeò eſſe debet, ut ulteriorem non habeat compoſitionem; ità etiam, ut ex ſe apta ſit per cujuſvis formæ adventum ad quamcumque diſpoſitionem.

3 Quemadmodùm itàque primam artificiorum materiam per artefactorum reſolutionem videmus facilè; ità, ut eam, quæ artis induſtria ulterius reſolvi non poteſt, primam artificii materiam appellemus; ſic etiam materiæ primæ naturalis ideam facilè mens noſtra concipit, ſi ens naturale ſic reſolutum exiſtimet, ut id ſolùmmodo maneat, quod jam illius naturam non retineat; quodque in alia reſolubile minimè cenſeatur. Cum igitur lignum ſic reſolvitur, ut indè generetur ignis; ignem portionem aliquam ligni retinere neceſſe eſt, cum illud in nihilum redigi non potuerit; illa ergò portio, in quam fuit lignum ultimò reſolutum, ex qua fuit ignis primò compoſitus, dicitur utriuſque materia prima.

4 Quandoquidem verò Ens naturale ità reſolvitur, ut ejus partes ſenſibus jam percipi non poſſint, ſed ſola imaginatione concipi; ità adhuc, ut illas imaginatas particulas ex aliis fieri, perſpicua ratio convincat, ut ex præcedenti quæſtione liquidò conſtat: hinc fieri arbitramur, ut quemadmodùm ultima rerum reſolutio, ità prima rerum principia, quorum è numero eſt materia, non ſenſibus, non imaginatione, ſed mente ſolùm percipi, explicarique debeat, ac poſſit.

5 Atque hinc facilè colligi poteſt, materiam primam eſſe ſubjectum commune rerum corruptionis, & generationis; amittit enim formam unam vi corruptionis, aliamque vi generationis acquirit; eſtque proindè primum ſubjectum ex ſe indifferens ad quamcumque formam ſubſtantialem. Dari igitur materiam primam ſumptam pro hoc communi

ſubjecto,

subjecto, diffitetur jam Philosophorum nullus. At verò, quid sit, seu in quo consistat subjectum illud, non est una eorum omnium opinio. Nam Atomistæ suas atomos, Cartesiani portiunculas suas, Maignaistæ particulas Elementares Materiam primam appellant.

NOSTRA CONCLUSIO.

6 DICIMUS 1. Datur materia prima, ut sic, sumpta pro communi subjecto formæ corruptæ, & genitæ, quidquid *formæ* nomine intelligatur. *Ratio* conclusionis est *primò*: Quia in omni mutatione dari debet commune subjectum, in quo talis mutatio exerceatur; sed datur mutatio substantialis, quocumque demùm modo illa contingat, ut experientia constat: Ergò dari debet hujus mutationis subjectum, quod est Materia prima. *Secundò*: Ex nihilo nihil fit, atque in nihilum nulla res redigi potest naturaliter: Ergò, cum unum destruitur, ex quo generatur aliud; aliquid remanet illius, quod sit alterius principium, atque materia prima.

7 *Tertiò*: Inter agentia naturalia quædam sunt, v. gr. ignis, & aqua, quæ ità inter se pugnant, ut, debiliori destructo, aliquod bonum fortius acquirat; sed aliud esse non potest, nisi aliqua portio, quæ formam rei destructæ dum amisserit, vincentis formam acquirat: Ergò datur illa portio, quæ sit utriusque formæ commune subjectum. Patet Maj. Agens enim naturale numquam, malum intendens, operatur, ut ab omnibus admissum est: Ergò dum ignis aquam, aut aqua ignem intendit destruere, non alterius destructionem per se, & primariò intendit, sed sui ipsius propagationem in materiam alterius.

8 *Quartò*: Ecclesia Sanctorum reliquias, ac cineres veneratur: Ergò remanet in illis aliqua pars corporis illius Sancti, cujus erant reliquiæ; alioquin non essent veneratione

ne dignæ : atqui non remanent accidentia , quæ pereunt pereunte compoſito ; non forma , quæ ſeparata fuit in obitu: Ergò remanet ſubjectum commune , ſub quo fuit Sancti anima , & quod jam occupat cineris forma , aut alterius cujuſpiam.

9 *DICIMUS* 2. Atomi , ſeu particulæ Elementorum Carteſii non ſunt materia prima entis naturalis. Hæc concluſio ex his jam conſtat , quibus *quæſt.* 1. *art.* 3. *&* 4. eas atomos non eſſe prima rerum principia , probavimus. Si enim prima principia non ſunt , quia eas ex aliis fieri neceſſe eſt, neque poſſunt eſſe materia prima , quia aliam , ex qua fiant, debent præſupponere. *Vrg.* contrà Carteſium : Si particulæ illæ elementares eſſent materia prima , cum illæ , apud ipſum , per localem extenſionem conſtituantur , per hanc etiam materia prima conſtitueretur ; ſed hoc repugnat: Ergò.

10 Prob. min. Si materia prima per localem extenſionem conſtitueretur , ubicumque conciperetur extenſio , ibi eſſet materia prima , ut Carteſius prætendit ; ſed extenſio concipi poteſt nedùm in mundo , ſed extrà mundum etiam per ſpatia imaginaria , quæ infinita ſunt quodammodò : Ergò daretur materia quodammodò infinita ; ſed hoc repugnat: Ergò. *Deindè* : Antequam fieret mundus , concipi poterat extenſio localis : Ergò , ſi in hac extenſione conſiſteret materia prima , fuiſſet hæc jam ante mundi conſtitutionem; imò ab æterno , in quo concipi à Deo poterat extenſio localis.

11 *DICIMUS* 3. Quatuor Elementa, Ignis, Aer, Aqua, & Terra , aut horum particulæ non ſunt materia prima. Prob. Concluſio contrà Maignaniſtas : Materia prima eſt ingenerabilis , & incorruptibilis ; ſed quatuor Elementa generabilia ſunt , & corruptibilia : Ergò. Patet maj. Siquidem materia prima , cum prima ſit , nequit ex alia fieri , ut poſtulat rei generatio ; & , cum res corrupta in ea tandem abeat,

ex

ex quibus primò fit; ſi materia prima ex aliis non fit, in alia abire non poteſt.

12 Min. fit evidens ab experientia, qua videmus, Ignem quotidiè accendi, & extingui, generari, & corrumpi; Aquam, ex vaporibus, & nubibus procreari, & vi caloris abſumi; Terram, & Aerem è mortuis corporibus fieri: Ergò. *Conf.* Ex ligno generatur ignis, ut oculis ipſis conſpicimus; atqui non generatur materia prima; ergò generatur forma: Ergò ignis non eſt materia prima, ſed compoſitum ſubſtantiale ex materia, & forma. Idem confirmari poteſt de reliquis elementis, cum prædictis modis generentur, & producantur.

13 *Reſp.* contrarii, (1) quòd elementa pura ſunt ingenerabilia, & incorruptibilia: Dum autem ignis ex ligno accenditur (idem diſcurre de reliquis Elementis) non accenditur de novo; ſed ignis in ligno latens detegitur; & cum extinguitur, non corrumpitur, ſed in tenuiſſimas particulas ſpargitur, & occultatur. *Contrà* 1. Nam indè ſequitur, nihil in rerum natura generari, nihilque corrumpi; eadem enim facilitate dici poteſt, lignum, dum è terra pullulat, non generari; ſed in publicam lucem exire, cum anteà ſub terra lateret: neque corrumpi, cum igne comburitur; ſed in minutiſſimas partes diſſolvi; & ſic de aliis.

14 Ergò eadem ratione, qua elementa, ſunt res omnes ingenerabiles, & incorruptibiles; aut, ſi res aliæ quo quam modo generabiles ſunt, & corruptibiles, ſunt pariter elementa. *Adde* 1. Res aliæ, quæ mixtæ dicuntur, ideò, per vos, ſunt corruptibiles, quia in minutiſſimas particulas ſunt reſolubiles; ſed, per vos, etiam elementa ſunt ità reſolubilia: Ergò. *Adde* 2. Per vos, elementa tandem abire poſſunt in minutiſſimas particulas: Vel hæ particulæ retinent, adhuc veram naturam Elementi, aut non? Si ſecundum: Ergò ex his componitur elementum, ſicque fit ex aliis. Si primum:

(1) *Apud Pal. 2. Phyſic. queſt. 3. à num. 6.*

primum : Ergò illæ particulæ ulteriùs ſunt reſolubiles, ob eamdem rationem, uſque ad aliquid, quod non ſit elementum, ſed materia prima.

15 *Contrà* 2. Si, dum ex materia combuſtibili accenditur ignis, non generaretur de novo, ſed intùs latens explicaretur; ſub arida ſtupa totus lateret ignis, quem, dum comburitur, videmus; ſed hoc, & ſenſibus, & imaginationi, rationique ingenuæ videtur impoſſibile: Ergo. Min. patet: Mirum ſanè eſſet, ac ſenſibus inexpertum, quod tantus ignis, adeò ſtupæ proximus illam non urat, cum ſola ſcintilla extrinſecùs applicata illam accendat. Et quis non mirabitur, ſi quantus ignis apparet ex magna pulveris tormentarii congerie, ſub ipſo lateat, quin accendatur, cum minima ſcintilla illam incendat? (2)

16 *DICIMUS* 4. Materia prima conſiſtit phyſicè in quadam ſubſtantiæ particula, ſeu portione, ex ſe apta ad conſtituendum ens naturale, tamquam primum ſubjectum illius formæ. *Ratio* eſt: Quia materia prima nequit non eſſe ſubſtantia, cum ex ea ens ſubſtantiale fiat, ideòque talis indolis eſſe debet, ut huic generationi ſit apta, non ex aliquo adjuncto, ſed ſuaptè natura ab univerſali omnium Conditore per creationem accepta: &, cum ex ſe ſit indifferens ad hujus, aut alterius rei conſtitutionem; indiget, ut determinetur ab alio, quod proindè ſit determinatum.

17 Cum autem determinabile comparetur, ut ſubjectum, & potentia ad ſuum determinativum: Materia comparari debet ad formam, qua determinetur, ut potentia, & ſubjectum, non qualecumque, ſed primum; quia eſt primum, quod in rei productione formam recipit. Nec aliter materia prima explicari poteſt, quam in ordine ad formam, quam recipit, vel amittit; quia non aliter, quo ad nos ſaltem, eſt intelligibilis, ut docet D. Thomas. (3) Undè *ſua-*
debat

(2) *Pro aliis vide Pal. ubi ſupr.*

(3) 1. *par. quæſt.* 15. *art.* 3. *ad* 3.

debat vera ratio, ut omnis formæ qualeſcumque reliquias omninò detraherem, ſi vellem prorſus informe cogitare, inquit Auguſtinus. (4)

18 Indè jam facilè colligi, inferrique poteſt, non immeritò eam explicaſſe Ariſtotelicos omnes, atque Ariſtotelem ipſum per conceptus metaphyſicos, & abſtractos, ut rem illam, quæ ſenſus ſuperat, imaginationem prætervolat, mentis indagine tandem aliquando deprehendamus. Illam ſic primò definit: (5) *Quòd rei cujuſque ſubjectum eſt primum, è quo inſito, non ex accidenti, aliquid oritur; & in quod, ſi quidpiam inſerit, ultimum abeat.* Undè orta eſt vulgaris illa materiæ primæ definitio: *Primum ſubjectum, ex quo aliquid fit, cum inſit, primò, & per ſe, & non ſecundùm accidens.*

19 Dicitur materia primum ſubjectum; non quidem *inhæſionis*, qualis eſt paries reſpectu albedinis; aut *puræ denominationis*, qualis eſt Deus reſpectu creatæ cognitionis, vel amoris; aut *adhæſionis*, qualis eſt eſſentia reſpectu exiſtentiæ; ſed *ſuſtentationis*, & *receptionis*, ſeu *informationis*. Si enim materia prima comparetur ad formam ſpiritualem, eſt ſubjectum puræ receptionis, ſeu informationis: ſi autem ad formam materialem, eſt ſimùl informationis, & ſubſtentationis ſubjectum.

20 Aliter explicuit Ariſt. (6) materiam primam à negatione: *Materia, ſecundùm ſe, non eſt quid, nec quantum, nec quale, neque aliquid eorum, quibus ens determinatur. Non eſt quid*; quia non eſt ens completum: non eſt *quantum*; quia ex ſe non habet extenſionem: non eſt *quale*; quia nullius qualitatis ſe ſola eſt capax: *neque aliquid eorum, &c.* quia nullum eſt ens eorum, quæ in decem prædicamentis numerantur. Et, ſi clariorem exoptes materiæ primæ deſcriptionem, accipe: *Subſtantia incompleta entis naturalis, per modum primæ potentiæ, & ſubjecti, conſtitutiva.*

(4) 12. *Conf. cap.* 5. (5) 1. *Phyſic. cap.* 6.
(6) 7. *Met. cap.* 3. *t.* 8.

21 *PROPRIETATES* materiæ primæ ſunt. *Prima*: eſſe ingenerabilem, & incorruptibilem; quia, cum ſit primum ſubjectum, neque ex alio præſuppoſito fieri poteſt; neque valet deſinere, manente ſubjecto: Eſt itàque à Deo ſolùm creabilis, & anihilabilis; de facto tamen ab initio mundi creata, quanta eſt in rebus, ſi illam excipias, quam ad vermium ex ſpeciebus conſecratis generationem novam requirunt multi. *Secunda*: eſſe ſubſtantiam ſimplicem, & *ut quo* corpoream; quia ex ſe non eſt compoſita, ſed eſt prima vaſis ſubſtantialis compoſitionis corporis naturalis.

22 *Tertia*: eſſe puram potentiam: Sed de hoc attributo artic. ſequenti. *Quarta*: eſſe quantitatis radicativam; à qua proindè naturaliter ſeparari non poteſt. *Quinta*: eſſe ſubſtantiam omnium imperfectiſſimam, ex defectu actualitatis, quæ eſt ratio à priori perfectionis. *Hinc* hyperbolicè dici ſolet *ſubſtantiarum fæx*, *umbra*, *tenebræ*, *chaos*, *informitas*, *non ens*: Sicut ex eo, quòd omnium formarum ſit receptaculum, dicitur *formarum mater*, *commune gremium*, *noverca*, *adultera*. Eſt denique materia *ex qua* fit compoſitum, *in qua* forma recipitur, & *circa quam* agentia naturalia operantur: tria autem hæc ſunt ejuſdem materiæ munia, non membra diviſiva.

SOLVUNTUR ARGUMENTA CONTRARIA.

23 *ARGUES* 1. contra primam concluſionem: Si daretur materia prima, eſſet incorruptibilis; ſed hoc eſt falſum: Ergò. Prob. min. Si materia prima eſſet incorruptibilis, totum evaderet incorruptibile; ſed hoc eſt falſum: Ergò. Prob. maj. Quia materia eſt potentialis, totum eſt potentiale: Ergò. *Reſp.* neg. ultimam conſeq. *Primò*: Quia eſſe potentiale eſt de genere mali, & imperfecti, quod ex quocumque defectu conſurgit; eſſe autem incorruptibile eſt de genere boni, & perfecti, quod non conſurgit

git nisi ex integra causa. *Secundò*: Quia denominatio *potentialis* est affirmativa, ad quam sufficit, si de una parte verificetur; denominatio verò *incorruptibilis* est negativa, ad quam requiritur, verificari de utraque parte.

24 *Dices*: Ergò saltem homo, cujus utraque pars incorruptibilis est, erit incorruptibilis. *Nego* conseq. Quia, licet partes hominis sint entitativè incorruptibiles; ut unitæ, quatenùs hominem constituunt, sunt corruptibiles, quia earum unio corruptibilis est. *Instab.* Materia prima, si non reddit compositum incorruptibile, nequit ab alio fieri: Ergò. Prob. ant. Si non reddit compositum incorruptibile, erit primum ejus principium merè passivum; sed primum rerum principium passivum causari nequit, sicut neque primum principium activum, quod Deus est: Ergò. *Resp.* nego ult. min. Nam primum principium activum, utpotè summè perfectum, nequit causari; passivum autem est imperfectissimum.

25 Pro aliorum solut. *nota* 1. Materiam primam Deo assimilari, licet imperfectè, in esse entis; quod sufficit, ut à Deo, tamquam à causa æquivoca, producatur: non sic malitia peccati; quia hæc de sua ratione formali non est ens, cum consistat in privativo. (7) *Nota* 2. Ex materia, & forma non resultare unum unitate simplicitatis; sed compositionis. *Nota* 3. Materiam primam non esse terminum *qui*, & totalem creationis; esse tantùm terminum *quo*: quia, licet creatio per se primò tendat ad totum; per se secundò terminatur ad partes. *Nota* demùm, Scripturæ (8) locutiones, quibus homo *caro* dicitur, aut *anima*, esse figuratas, quibus pars sumitur pro toto.

26 *ARGUES* 2. cum Atomistis, (9) contrà 2. Conclusionem: Illud est prima rerum corporearum materia, cui ea omnia conveniunt, quæ, ex mente Aristotelis, sunt de es-

(7) *V. Irrib. 2. Physic. quæst. 2. art. 1.* (8) *Gen. 2. & 6.*
(9) *Tusc. tract. 1. lib. 1. cap. 2. prop. 20.*

ſentia materiæ primæ ; ſed ea omnia ſolis atomis conveniunt : Ergo. Prob. min. ſingulas materiæ proprietates percurrendo : In primis , juxta Ariſtotelem , materia prima neque eſt quid , neque quantum , neque quale , neque aliquid eorum , quibus ens determinatur ; ſed Atomi non ſunt *quid* phyſicum , & ſenſibile , cum nullo ſenſu ſint perceptibiles; non *quantum* , quia licet extenſitatem habeant , non tamen ſenſibilem ; non ſunt *quale* , quia nullam qualitatem ex ſe ſenſibilem habent , neque ſunt *aliquid eorum* , &c. videlicet phyſicum , & ſenſibile : Ergò.

27 *Secundò* : Atomi ſunt primum ſubjectum rerum corporearum , & ex quibus omnia corpora fiunt ; ſed hic eſt formalis , & primarius conceptus materiæ primæ : Ergò. Maj. patet ; corpora enim ex minutiſſimis ſuprà ſenſum particulis componi , plurimis comprobatur experimentis. *Tertiò* Atomi ſunt ingenerabiles , & incorruptibiles , ut dicitur de materia prima : Ergò Prob. ant. Atomi ſunt indiviſibiles, ſeu ſimplices ; ſed quod eſt ſimplex , & indiviſibile nequit fieri per generationem , juxtà expreſſam D. Thomæ doctrinam : (10) Ergò.

28 *Quartò* : Atomi ſunt commune ſubjectum omnium formarum corporearum ; ſed hoc eſt proprium materiæ primæ : Ergò. Maj. eſt certa : In eis enim , tamquàm in ſubjecto , quælibet forma recipitur. *Quintò* : Atomi actu , & phyſicè ſunt propè nihil , ſunt tamen omnia in potentia ; ſed hoc ſolùm dicitur de materia prima : Ergò. Maj. ex eo fit evidens , quòd atomi ex ſe nullum habent actum phyſicum, & ſenſibilem ; nam ſeorſim ſunt omninò inſenſibiles ; & neque ſunt hoc , neque illud , neque aliud ex his , quæ phyſicè , & ſenſibiliter obſervantur : ſunt tamen hæc omnia in potentia ; quia ex atomis omnia fieri poſſunt.

29 *Conf.* Principia naturæ inveſtigare debemus per ſimilitudinem deſumptam ex principiis artis , ars enim naturam imitatur;

(10) 1. *par. quæſt.* 118. *art.* 1.

imitatur; sed materia artis est tota entitas operis ex variis partibus compacta, quatenùs dererminatis subest dispositionibus: Ergò pariter. His, & aliis, quas impugnavimus jam quæst. præcedenti, rationibus conantur atomos pro rerum materia inducere; ac, velle prædicata metaphysica, quæ de materia asseruntur, sine alio addito, physicè in rebus ponere, nihil aliud ipsis videtur, quàm eas, quas ideas Platonis vocant, quasi quid reale, rebus inducere.

30 *Ad arg. resp.* neg. min. *Ad primam* prob. dicimus minimè verificari de atomis, quæ de materia prima docuit Aristoteles. Licet enim illæ non sint *quid*, *quantum*, & *quale* sensibile; sunt tamen physicè, & in re, cum sint entia in *actu* completo, utpotè existentes; *quantæ*, utpotè extensæ; *quales*, quippè, quæ sunt apud ipsos diversimodè figuratæ; ac denique sunt aliquid eorum, quibus ens determinatur, quia sunt species entis determinatæ. *Ad secundam* neg. maj. Nec obstat ejus probatio; quia, quamvis illis experimentis convinci possit, rem quamlibet minutissimis suprà sensum particulis componi; cœterùm has particulas ex aliis fieri, ex materia, & forma componi, necesse est. (11)

31 *Ad tertiam* prob. nego min. cujus falsitas satis constat: & quamvis admitterentur integraliter indivisibiles, sunt divisibiles essentialiter in materiam, & formam. *Ad quartam* dist. maj. Omnium formarum accidentalium, transeat; substantialium, nego maj. Etsi atomi recipere possint motum, dispositionem, situm, & figuram; hæc tamen omnia accidentalia sunt. *Ad quintam* nego maj. Imò actu, & physicè sunt compositæ ex materia, & forma; & solùm sunt in potentia ea aggregata, quæ ex ipsis fieri prætendunt Atomistæ. Et quid, si atomi non sint hoc, aut illud sensibile; cum tamen sint hoc, aut illud ens physicè, & realiter existens?

Ad

(11) *V. quæst.* 1. *art.* 3.

32 *Ad Conf.* diſt. maj. Per ſimilitudinem univocam, & perfectam, nego maj. analogam, & imperfectam, concedo maj. & permiſſa min. nego conſeq. Ars itaque naturam imitatur, illius tamen perfectionem minimè conſequitur. Cum enim forma artificialis ſit talis ſecundum quid; ejus quoque materia non eſt ſimpliciter in potentia, ſed in actu, forma autem ſubſtantialis dat eſſe actuale ſimpliciter; proindè ſupponere debet materiam naturalem in pura potentia, quales non ſunt atomi, ſed materia prima Ariſtotelicá.

33 *ARGUES* 3. cum Maignaniſtis contrà 3. Concluſionem: Innumeris experimentis compertum eſt, mixtis plurimis ineſſe formaliter elementa, atque ex aliis elementa fuiſſe educta; ſed hoc aliter evenire non poteſt, niſi omnia corpora ex elementis, veluti materia, fiant, atque in ea ultimò reſolvantur: Ergò. *Conf.* 1. Omne mixtum dicitur contrapoſitivè ad elementum; ſed non alia ratione, niſi quia mixta ex elementis commixtis componuntur: Ergò. *Conf.* 2. Definitio materiæ primæ convenit elementis, cum hæc, non minùs, quàm illa, ſint illud, in quod mixta ultimò reſolvuntur: Ergò.

34 *Urg.* Si mixtum non conſtaret formaliter elementis, ex illo nequirent educi elementa, niſi à cauſa ea generante; ſed poſſunt educi ſine cauſa generante: Ergò. Min. prob. *Tum*; quia, quando ex ſilice per colliſionem educitur ignis, nulla cauſa apparet, quæ repentino ictu valeat ignem generare. *Tum* etiam; quando ex lapide, aut ferro educitur aqua, nulla cauſa ad illius generationem apta concurrente: Ergò. Pro ſolutione recole, quæ diximus *quæſt.* 1. *art.* 3. *num.* 3. & 4.

35 *Ad arg.* reſp. permiſſa maj. nego min. Licet enim concedatur, ut ingenuè concedi poteſt, mixtis plurimis ineſſe formaliter elementa, ut viſualibus inſtrumentis ſe conſpexiſſe clamant Adverſarii; atque etiam è mixtis elementa

educi

educi posse : at non ità, ut mixta essentialiter ex elementis constituantur ; sed ità, ut, vel mixta non sint perfecta, habeantque aggregatas aliquas elementorum portiones, quæ ad mixti constitutionem non faciunt ; vel, si perfecta sunt, ipsis internentur partes elementi, quæ suis constent materia, & forma, à materia, & forma mixti realiter distinctis, attamen contiguis.

36 Hoc autem evenit, cùm mixtum non ex his elementis, quæ formaliter continet, generatur ; sed ex aliis, sivè aliorum materia : ea enim, ex quibus fit mixtum, aut compositum substantiale, non remanent formaliter in mixto, sed intereunt omninò ; cum generatio unius sit alterius corruptio. *Hinc* facilè fieri potest, ut in mixto conspiciantur elementa, eaque de mixto educantur, quin ex illis substantialiter compositum constituatur : Sicut è corpore viventi humores, lacrymæ, sudor, saliva, aliaque hujusmodi, quæ ad ejus constitutionem faciunt nihil, extrahuntur.

37 Hæc in experimentorum gratiam dicta sint. De cæterò autem negandum est, in omnibus omninò mixtis elementa singula quoquam modo formaliter reperiri : Quis enim credat ignem stupæ inesse, quin comburatur ; viventi, quin calorem sentiat ? Siquandò autem Chymicâ arte ex aliquo mixto educuntur elementa ; aut mixtum est de illorum indole, quæ formaliter prædictis modis continet elementa ; vel, ut frequentiùs accidit, non extrahuntur per nudam separationem, sed per mixti corruptionem, & generationem elementi vi caloris, quo frequenter utuntur Alchymistæ.

38 *Ad* 1. *Conf.* nego min. Nam, si mixtum non sit propriè tale, ac formaliter ex elementis genitum, sed aggregatum ; dicitur tale per contrapositionem formalem ad elementa, quibus constat : Cæterùm, si mixtum sit propriè genitum, dicitur contrapositivè solùm virtualiter ; quatenùs retinet virtutes similes virtutibus elementorum, ex quibus fuit genitum;

genitum ; frigus , nimirùm , calorem , ſiccitatem , & humiditatem. Undè , quia homo humorum virtutes habet ſimiles virtutibus quatuor elementorum , dicitur mixtum , virtuale tamen , ex quatuor elementis.

39 *Ad 2. Conf.* nego ant. Nec obſtat implicita probatio; quia materia prima eſt id , ex quo primo ſimpliciter fit , ac id , in quod ultimò ſimpliciter reſolvitur compoſitum : At verò elementa ſunt id , ex quo primò , veluti ente completo , ad cujus corruptionem mixta generantur ; & ultimum completum , in quod via corruptionis reſolvuntur : quia omnium generationum ſeries ex corruptione elementorum, quæ primò creata fuerunt à Deo , ut rebus gignendis miniſtrarent materiam , ſumpſit exordium ; atque corruptionum etiam ordo eò tandem deveniet , ut in elementa finiturus ſit.

40 Enim verò , ſicut mixtum ſubſtantialiter , non componitur elementorum formis ; ità immediatè non reſolvitur in elementa formalia : ſed , ſicut conſtat elementis virtualiter , ſeu rebus , elementorum virtutes continentibus ; ità reſolvitur in res eas virtutes habentes ; quod eſt reſolvi in elementa virtualiter. At mediatè per plures , & plures reſolutiones , devenire valet in elementa : ſicut per varias generationes ex elementis proceſſit. *Ad Urg.* ex dictis facilis eſt ſolutio. Nam , ſi mixtum illorum indolis ſit , ut intra poros, elementa contigua formaliter continere non poſſit , ex eo educi nequeunt , niſi à cauſa mixtum corrumpente , eaque generante ; ut cum ignis ex ſtupa generatur : ſi autem illud ſit mixtum , quod elementa modo dicto contineat , extrahi poſſunt ſine nova generatione elementa , ut accidit (ſi placet) in ſilice , &c.

*****
***

ARTI-

ARTICULUS II.

Utrum Materia prima ità ſit pura potentia, ut nullum eſſentialem actum includat?

1 CUm nihil frequentiùs in Scholis ſonet Peripateticis, quàm, Materiam primam eſſe puram potentiam, ſicut Deus eſt actus purus; (1) atque ita rerum ordo ſtatutus ſit, ut in ipſis inveniatur aliquid, quod ſit potentia tantùm, ut materia prima; aliquid, quod eſt actus tantùm, ut Deus; aliquid, quod eſt potentia, & actus, ut cæteræ res: (2) merito examinari ſolet, num materia prima aliquem actum poſſideat? Actus autem eſt duplex, alter ſubſtantialis, accidentalis alter: Actus *ſubſtantialis* eſt, qui ſubſtantiam in aliqua linea ſubſtantiali determinat, & actuat: *Accidentalis* eſt, qui ſubſtantiam determinat ad aliquam ſpeciem concreti accidentalis, ut *albedo*.

2 Actus ſubſtantialis, alter eſt eſſentialis, alter exiſtentialis: *Eſſentialis* eſt, qui rei eſſentiam per modum perfectivi eſſentialis conſtituit: *Exiſtentialis* eſt, qui reddit rem formaliter exiſtentem, eòque dicitur formalis rei exiſtentia. Actus eſſentialis, alter eſt phyſicus, alter metaphyſicus: Actus *phyſicus* eſt, qui rem in linea phyſica independenter à quavis intellectus conſideratione conſtituit: *Metaphyſicus* eſt, conceptus objectivus actualis rei, quem intellectus in re concipit cum fundamento per modum determinativi conceptus generici; v. gr. *rationalitas*.

3 Inſuper actus phyſicus alius dicitur entitativus, alius formalis, ſeu informativus. Actus *entitativus* eſt entitas de facto producta, ut condiſtincta à forma, qua in ſpecie determinata conſtituitur, & ab exiſtentia, qua exiſtit: *Formalis*

(1) *D. Thom. 1. par. quæſt. 115. art. 1.*
(2) *Idem, 1. Cont. cap. 43.*

est forma substantialis materiæ primæ informativa,& substantialis compositi constitutiva. *Atque* hinc jam *supponimus*, materiam primam ex se ipsa nullum habere actum physicum informativum, cum non componatur ex materia, & forma; alioquin jam non esset prima materia: neque actum accidentalem; accidens enim solùm recipi valet in subjecto aliqualiter completo, ut alibi fortasse dicemus.

PRIMA CONCLUSIO.

4 QUòd attinet ad actum entitativum magna solet esse inter Thomistas controversia, atque ea, nostro judicio, solùm de voce. *Proindè*, domesticas controversias egrè ferentes, internam pacem optantes; ut unanimi vinculo externum arceamus hostem, *dicimus* 1. quòd, si per *habere actum entitativum*, nihil aliud intelligatur, quàm *actu*, seu *de facto entitatem habere*, quævis illa sit: Materia prima habet ex se actum entitativum: si autem *habere actum entitativum*, sonet, *habere entitatem*, *quæ rationem actus physicè exerceat*; non habet illa actum entitativum.

5 *Primam* resolutionis partem eorum (3) rationes probant, qui materiæ tribuunt absolutè actum entitativum. *Ut*: 1. Quòd materia prima non est actu nihil, sed aliquid, & quidem primo actui, nempè Deo, simile; cui tamen assimilari nequit, nisi per actum: 2. Quòd materia prima per suam physicam entitatem est actualiter extra nihilum; at, si esset in pura potentia, esset nihil purum, ut alter mundus: 3. Quòd, si Deus de novo crearet materiam, simùlque educeret formam, ut potuit in exordio rerum; terminus creationis, ut distinctus à termino eductionis, non esse aliquid purè possibile, sed actuale.

6 Cæterùm rationes istæ nihil aliud probant 1. nisi quòd materia, cum non sit nihil, est aliquid productum, seu entitas

(3) *Massius, Ortiz, & alii.*

titas de facto creata, quæ rationem actus minimè exercet, sed puræ potentiæ subjectivæ respectu formæ; eaque est Deo similis in esse entis, & non aliter: 2. quòd per suam entitatem non est in pura potentia objectiva, ut alter mundus; est autem in pura potentia subjectiva, qua est extra nihil constitutæ, seu entitas purè subjectivè potentialis de facto creata: 3. quòd terminus creationis materiæ est illius entitas, quæ minimè actualitatem, sed subjectivam potentialitatem includit.

7 *Secundam* resolutionis partem convincunt eorum fundamenta, (4) qui materiæ actum denegant entitativum. V.g. 1. Quia materia prima est in potentia ad primum actum, nempè formam, adeòque nullum includit: 2. Quia materia prima, si actum haberet entitativum, cum hic purus non esset, faceret entitativam compositionem, esseteque materia entitativè composita: 3. Quia, si materia esset ens actu, ex duplici ente in actu, materia, scilicet, & forma, fieret unum ens per se; quòd repugnat.

8 His, inquàm, rationibus convincitur manifestè, materiam primam minimè gaudere entitate, quæ rationem actus includat; sed entitate exercita, & de facto producta, ac purè potentiali. *Undè*: 1. Est in potentia ad primum actum formalem, non ad entitativum: 2. Est enim actualiter pura, & simplex potentia subjectiva; quæ, licet actus entitativus dicatur, cum sua potentia, quæ est objectiva, nullam facit compositionem: 3. Accipit à forma primum esse formale, quo constituitur in determinata specie; entitativum autem, indifferens, & purè potentiale habet intransitivè per creationem: 4. Ac demùm est ens actu, seu actualiter ens; sed non ens in actu, seu ens, quod actualitatem aliquam includat.

9 Ex quibus facilè intelligi potest, actum entitativum, cum sit entitas de facto producta, seu ex nihilo sui extracta,

(4) *Coll. D. Thom. Rip. & alii.*

ſive exercitè effecta, eſſe propriè actum in rebus actualibus, ſeu, quæ actualitatem aut includunt, aut exercent; ut in forma ſubſtantiali: eſſe tamen impropriè actum, ſeu potiùs ſubjectivam potentiam in rebus purè potentialibus, iis nimirùm, quæ nullam actualitatem involvunt, qualis eſt materia prima. Totus igitur præſentis controverſiæ cardo eò innititur, ut inveſtigemus an materia prima habeat ex ſe actum metaphyſicum?

SECUNDA CONCLUSIO.

10 *DICIMUS* 2. Materia prima ex ſe, & independenter à forma non habet proprium actum metaphyſicum. Dicimus *proprium actum metaphyſicum*: nam in materia deprehendi poſſe conceptum quomodolibet differentialem, quo à rebus aliis differat, negavit nemo: at verò, in ea efformari poſſe cum fundamento actualitatem objectivam, ſive conceptum objectivum actuale, ex quo, & metaphyſica potentialitate fiat metaphyſica compoſitio, negant Thomiſtæ multi (5) contrà multos (6) quibus adhærent communiter Scotiſtæ cum Jeſuitis. Noſtra concluſio colligitur ex D. Thoma locis *num.* 1. relatis; cum oppoſitum ne leviter quidem innuerit.

11 *PROB.* 1. Concluſio: Si materia prima haberet proprium actum metaphyſicum, haberet propriam compoſitionem metaphyſicam; ſed hoc eſt falſum: Ergò. Prob min. Ubi nulla eſt realis, & phyſica compoſitio, nulla eſt vera, & propria metaphyſica compoſitio; ſed in materia, & forma, juxta Thomiſtas, cum quibus agimus, nulla eſt phyſica, & realis compoſitio, neque ex materia, & forma, neque ex eſſentia, & exiſtentia, neque alia quæpiam: Ergò. Prob. maj. Ubi nulla eſt realis, & phyſica compoſitio, nullum eſt fundamentum reale ad metaphyſicam compoſitionem; ſed, ubi nullum eſt metaphyſicæ compoſitionis reale fundamentum,

(5) *Coll. Div. Thom. Coll. Rip. Irribar. & alii.*
(6) *Palanc. Larm. Lang. & alii.*

tum, non alia est metaphysica compositio, nisi rationis ratiocinantis: Ergò.

12 *Resp.* Contrarii (7) Materiam primam non esse physicè compositam, *ut quod*, ita, ut ex partibus physicis componatur: esse autem physicè compositam, *ut quo*, quatenùs est pars physica per se ordinata ad physicam compositionem; quod sufficit ad fundamentum compositionis metaphysicæ. *Contra* 1. Compositio physica, *ut quo*, non est fundamentum metaphysicæ compositionis: Ergò. Prob. ant. Physica simplicitas formaliter, ut talis, non est fundamentum metaphysicæ compositionis, sed potiùs simplicitatis; sed compositio physica, *ut quo*, est formalissimè physica simplicitas: Ergò.

13 Utraque præmissa probatur: *Maj.* sic: Physica simplicitas est fundamentum oppositum physicæ compositioni, ut clarum est; sed physica compositio est fundamentum metaphysicæ compositionis: Ergò. *Prob.* jam min. illa hoc modo: Physica compositio, *ut quo*, est formalis, & per se ordinatio ad physicam compositionem, ut explicat solutio; sed formalis, & per se ordinatio ad physicam compositionem, est formaliter physica simplicitas: Ergò. Prob. min. Formalis ordinatio ad compositionem est illud, quo constituitur aliquid per se ordinatum ad physicam compositionem; sed ita constituitur per physicam formalem simplicitatem: Ergò. Min. patet: Sola enim pars simplex, ut talis, per se ordinatur ad componendum.

14 *Contrà* 2. Eo ipso, quòd materia sit solùm physicè composita, *ut quo*, caret omni actu physico propriè tali: Ergò caret etiam actu metaphysico. Ant. patet: si enim haberet actum physicum propriè talem, cum aliundè potentiam physicam habeat, esset ex actu, & potentia physicè, *ut quod*, composita. Prob. conseq. Si materia caret omni actu physico propriè tali, caret fundamento ad actum metaphysicum; Ergò

(7) *Lang.* 1. *Phys. qu. est.* 3. *art.* 2. *num.* 196.

gò. Prob. ant. Quia Deus caret physica potentialitate, caret etiam omni fundamento potentialitatis metaphysicæ: Ergò.

15 *Nec* valet effugium, quo asserunt, Deum, cum careat physica potentialitate, non ordinari ad alterius compositionem, ut materia; qua ratione non habet ille potentialitatem metaphysicam, sed ista habet metaphysicam actualitatem. *Non*, inquam, obstat: *Tum* propter dicta: *Tum* etiam, quia ordinari ad physicam compositionem per modum partis purè potentialis, potiùs est fundamentum ad concipiendam puram potentialitatem, quam actualitatem ullam.

16 *PROB.* 2. Conclusio: Si materia prima haberet actum metaphysicum propriè talem, hic esset ratio, seu conceptus puræ potentialitatis physicæ, sed hic conceptus non est propriè actus metaphysicus: Ergò. Maj. est certa; nam nullo alio conceptu differt materia ab omnibus aliis, inter quæ sunt multa potentialia, licet non purè. Prob. min. Conceptus puræ potentialitatis physicæ, est conceptus carentiæ omnis actus physici; sed hic conceptus non est propriè actus metaphysicus: Ergò. Prob. min. Ille conceptus solùm dicit ex parte objecti carentiam omnis actus physici, sed hæc nullus est actus metaphysicus; alioquin omnis carentia haberet, seu esset actus metaphysicus: Ergò.

17. Explicatur hæc ratio: Non aliter meliùs definiri potest materia prima, quàm: *Substantia physicè incompleta purè potentialis*; sed per esse substantiam physicè incompletam, & potentialem convenit cum forma substantiali, quæ utique potentialis est; alioquin esset actus purus: Ergò solùm differt per esse *purè* potentialem. Atqui esse purè potentialem, solummodò addit suprà esse potentialem carentiam omnis actus physici, ut per se patet: Ergò, dum intellectus concipit in materia prima conceptum objectivum differentialem, solummodo concipit ex parte objecti carentiam omnis physicæ actualitatis.

Nunc

18 *Nunc sic* : sed carentia omnis physicæ actualitatis, concepta ad modum differentiæ non est propriè actus metaphysicus : Ergò. Prob. min. Actus metaphysicus debet esse actus positivè contrahens, actuans, & perficiens potentiam metaphysicam : sed carentia ita concepta ea non præstat positivè, sed negativè, aut privativè : Ergò. Maj. patet ; siquidem actus metaphysicus cum sua potentia efficit positivam compositionem. *Urg.* Actus metaphysicus non est aliquid conceptum ad modum actualitatis contrahentis, & determinantis, sed est vera, & realis actualitas concepta ad modum contrahentis, & determinantis ; sed in materia prima nulla est vera, ut realis actualitas: Ergò.

19 Patet maj. Quia compositio metaphysica non fit ex actu, & potentia fictis ; sed ex actu, & potentia realibus fictè distinctis, & unitis ; non enim fit hominis compositio ex ficto animali, fictoque rationali, sed ex realibus animali, & rationali fictè cum fundamento distinctis, & unitis ; estque rationalitas realis actualitas animal fictè cum fundamento contrahens. Prob. min. In materia prima solùm concipi potest, velut differentia, privatio omnis actus physici ; sed illa privatio non est vera, & realis actualitas, licet concipi possit velut realis actualitas: Ergò.

20 Ex quibus intelliges, quemcúmque conceptum in materia prima excogitabilem, veluti illius differentiam, esse ex parte objecti puram privationem, quæ licet concipi possit ad modum differentiæ privativæ, non tamen positivæ; solùmque sine fundamento concipi potest velut actus metaphysicus. *Mitto*, quascumque rationes genericas materiæ primæ assignabiles, esse analogas : *Tum* ob transcendentiam. *Tum* præcipuè, quia inæqualiter participantur à materia, & forma.

SOL-

SOLVUNTUR ARGUMENTA CONTRARIA.

21 *ARGUES* 1. contrà 1. concluſionem : Materia prima ex ſe, dum terminat creationem, habet actualitatem entitatis : Ergò habet ex ſe, proprium actum entitativum. *Prob. ant.* 1. Materia prima ex ſe, dum terminat creationem, habet actualiter entitatem : Ergò. *Secundò*: Materia ex ſe, dum terminat creationem, actualiter differt à nihilo ; ergò habet actualitatem, qua differat, nam actus eſt, qui diſtinguit. *Tertiò* : Materia prima ex ſe eſt ſubjectum formæ capax ; ſed, ſi non haberet actualitatem entitatis, potiùs eſſet nihil, quam ſubjectum formæ: Ergò. *Quartò* : Materia prima ex ſe dicit ordinem poſitivum ; ſed quod actu non habet poſitivam entitatem, illum ordinem dicere non poteſt: Ergò.

22 *Ad arg.* quod ſufficienter ex dictis ſolutum eſt, *reſp.* nego ant. *Ad* 1. *prob.* diſt. ant. habet actualiter entitatem actualem, nego ant. entitatem purè ſubjectivè potentialem, concedo ant. & nego conſeq. Licet materia prima ex ſe vi ſuæ productionis habeat actualiter, ſeu de facto entitatem : at non habet entitatis actualitatem, ſeu actualem entitatem, ſed purè potentialem ; quia illius entitas, licet actu producta, eſt pura potentia, non objectiva, ſed ſubjectiva : Undè materia prima ex ſe actù eſt, ſed non eſt actus ; actù eſt ens, ſed non eſt ens actuale ; actù habet eſſentiam, ſed non habet eſſentiam actualem ; nam ea eſt ſubjectum purè potentiale, ſeu entitas producta purè potentialis, ſive ſolam potentialitatem exercens.

23 Ex quibus conſtat ad alias probat. *Ad* 2. nego conſequentiam. Materia namque per ſuam ipſius exercitam entitatem ſubjectivam purè potentialem ſatis differt à nihilo: Actus autem eſt, qui diſtinguit ; at in rebus actu libus eſt potentia ſubjectiva, quæ actus impropriè, & reſpectu nihili dici

dici potest. *Ad* 3. nego min. Sat enim est, materiam actù habere entitatem subjectivè potentialem, quàm *nihil* non habet, ut potiùs sit formæ subjectum, quam nihil. *Ad* 4. dist. min. Quod actù non habet positivam entitatem, sive actualem, sive purè potentialem, concedo: præcisè actualem, nego: Solutio satis constat. (8)

24 Duo nota. *Primum* est: materiam esse ante productionem in purà potentia objectiva, quæ consistit in mera non repugnantia, ut materia actù, exercitè ponatur à parte rei; post productionem autem, quantùm est ex se, est etiam in pura potentia, non quidem objectiva, è qua fuit extracta, sed subjectiva, in qua per quoddam esse exercitum, & actù productum constituitur. *Secundum* est: Illud esse productum, & exercitum dici posse, ac debere actum respectu potentiæ objectivæ: sed, quia actus iste præcisè est talis, quatenùs illius potentiæ terminus; est actus impropriè talis, cum rationem actus minimè exerceat.

25 *ARGUES* 2. contrà 2. Conclusionem: Quòd componitur actù ex genere, & differentia, habet actum metaphysicum; sed materia prima componitur ex genere, & differentia: Ergò. Prob. min. Materia prima componitur ex conceptu communi substantiæ incompletæ, & conceptu puræ potentialitatis; ex conceptu communi partis physicæ, & speciali conceptu potentialis; ex conceptu principii, & talis principii, &c. Ergò. *Conf.* Materia prima cœlestis specie differt à sublunari; sed quæ specie differunt, habent actum specificum, seu metaphysicum: Ergò.

26 *Ad arg.* dist. maj. Quod componitur ex genere, & differentia actuali, & positiva, concedo maj. quod componitur ex genere, & differentia purè potentiali, & privativa, nego maj. & sic dist. min. nego conseq. Differentia itaque, quæ actus non est, non est actus metaphysicus: cum autem differentia materiæ primæ sit privatio omnis actualitatis,

(8) *Vide Ripens.* 1. *Phys. dub.* 4. *num.* 18. *&* 19.

tatis, actus eſſe non poteſt. Etenim pura potentialitas, quæ differentia eſt materiæ, eſt potentialitas, & nihil actualitatis; quæ, licet concipi poſsit, velut quid ſpeciale contrahens rationem communem partis phyſicæ, eſt differentia privativa, non poſitiva, & actuativa.

27 *Dices*: Licet differentia materiæ primæ ſit privatio omnis phyſicæ actualitatis, non tamen eſt privatio omnis actualitatis metaphyſicæ: Ergò. *Prob. ant.* 1. Juxtà Philoſophum actus eſt, qui diſtinguit; ſed privatio actualitatis metaphyſicæ non eſt actus: Ergò. *Secundò*: Diſtinctio inter materiam, & formam eſt poſitiva, quippè quæ poſitivis intereſt entitatibus; ſed hæc diſtinctio ſumitur à differentia metaphyſica: Ergò. *Tertiò*: Privatio actus metaphyſici nequit metaphyſicè conſtituere poſitivam entitatem materiæ: Ergò.

28 *Reſp.* nego ant. quia ſupra privationem actus phyſici ſolummodò fundari poteſt privatio actus metaphyſici; ſicut fundatur metaphyſicus ſupra phyſicum. *Ad* 1. *prob.* diſt. maj. Actus eſt, qui diſtinguit poſitivè, concedo; privativè, ſeu negativè, nego maj. Differentia enim ſpecifica materiæ eſt privativa ab actus privatione deſumpta. *Ad* 2. diſt. maj. Diſtinctio tranſcendentalis inter materiam, & formam, concedo maj. diſtinctio formalis, nego maj. Diſtinctio tranſcendentalis materiæ ab omni alio, deſumitur à poſitiva potentialitate materiæ, quæ actus entitativus impropriè dici poteſt; ideoque eſt poſitiva: formalis autem ſumitur à privatione omnis actualitatis; adeoque illam dicimus privativam.

29 *Ad* 3. diſt. ant.: Nequit materiam poſitivè conſtituere, concedo ant. privativè, nego ant Ita etiam diſtinguit materiam ab aliis, non poſitivè, ſed privativè. Cum enim materia prima ſit ſubſtantia purè potentialis conſtituitur metaphyſicè inadæquatè ex conceptu communi ſubſtantiæ potentialis, & conceptu ſpeciali puritatis in eſſe potentiæ:

hæc

hæc autem puritas conſiſtit in privatione omnis actualitatis; proinde conſtituitur inadæquatè ex poſitivo generico, & inadæquatè ex privativo differentiali: hoc igitur privativè conſtituit, & privativè diſtinguit materiam ab aliis.

30 *Inſtab.* (9) Diſtinctio tranſcendentalis poſitiva materiæ à forma eſt ejus actus metaphyſicus, cum actus ſit qui diſtinguit: Ergò. *Urg.* Materia prima formaliter poſitivè differt à forma: Ergò per differentiam, quæ ſit actus poſitivus. Prob. ant. Eo modo unum differt ab alio, quo non eſt illud; ſed materia prima formaliter poſitivè non eſt forma: Ergò. *Ad inſt.* nego anteced. Nec obſtat ejus probatio; nam actus eſt, qui diſtinguit modo ſuprà explicato; non aliter.

31 *Ad urg.* nego ant. Ad prob. nego min. Quia materia prima ex ſe formaliter poſitivè neque eſt forma, neque non eſt forma, cum repugnet materia ex ſe formalis poſitiva; ſicut ens rationis realiter poſitivè, neque eſt ens reale, neque non eſt ens reale, quia repugnat ens rationis reale poſitivum. *Nec dicas*, eas eſſe contradictorias, quarum altera debet eſſe vera. *Nàm* hujus propoſitionis falſæ: *Materia prima realiter poſitivè eſt forma*, eſt contradictoria hæc vera: *Materia prima non eſt realiter poſitivè forma.* (10) *Ad conf.* poſitam *num.* 25. dicimus, materiam primam cœleſtem, & ſublunarem differre ſpecie negativa, non poſitiva, ut dicemus.

ARTICULUS III.

Utrum Materia prima propriam habeat exiſtentiam?

1 DICIMUS: Materia prima non habet propriam exiſtentiam, ſed exiſtit per exiſtentiam compoſiti,

(9) *Lang. quæſt.* 3. *ar.* 2. *n.* 184.

(10) *Dial. lib.* 2. *quæſt.* 3. *art.* 2. *num.* 8.

ſiti, mediante formâ. Sic D. Thomas: (1) *Materia prima non exiſtit in rerum natura per ſe ipſam, cum non ſit ens in actu, ſed potentia tantùm:* (2) *Manifeſtum eſt enim, quòd materiæ, & formæ unum eſt eſſe; non enim materia habet eſſe in actu, niſi per formam.* Undè: (3) *Idem eſt eſſe formæ, & materiæ, & hoc idem eſt eſſe compoſiti.*

2 *PROB.* 1. Concluſio ratione fundamentali: Si materia prima propriam haberet exiſtentiam, eſſet ens in actu, cum exiſtentia ſit actus; ſed hoc eſſe non poteſt: Ergò. Prob. min. Si materia ex ſe eſſet ens in actu, ex ipſa,& forma non fieret unum ens per ſe; ſed hoc eſt falſum: Ergò. Prob. maj. Ex duplici ente in actu nequit fieri unum ens per ſe, ut fert commune proloquium Philoſophi à D. Thoma (4) approbatum: Ergò. *Reſp.* Contrarii: (5) ex duplici ente in actu completo, & conſummato non poſſe fieri unum ens per ſe; fieri tamen poſſe ex duplici ente in actu incompleto, quales ſunt materia, & forma.

3 *Impug.* 1. ſolut. Si materia prima haberet propriam exiſtentiam, eſſet ens completum; ſed ex duobus, quorum utrumque, vel alterum eſt completum nequit fieri unum ens per ſe: Ergò. *Prob. maj.* 1. Quælibet res completur per ſuam exiſtentiam: Ergò. Patet anteced. Nam quælibet res completur per ſuum ultimum actum, qualis eſt exiſtentia. *Prob. 2. illa maj.* Quælibet res eo modo exiſtit, quo producitur; ſed, ſi materia prima habet propriam exiſtentiam, hoc ipſo ſeorſim à quolibet alio producitur completè: Ergò, ſi habet propriam exiſtentiam, per ſe ipſam exiſtit completè. Prob. min. Illa productio completa eſt, quæ ita producit effectum, ut in illo, ad hoc, ut abſolutè exiſtat, nihil deſiderat producendum; ſed, ſi materia prima habet propriam exiſtentiam, ejus productio, utpotè ad materiæ exiſtentiam

(1) 1. *part. quæſt.* 7. *art.* 2. (2) 4. *Cont. cap.* 81.
(3) 1. 2. *quæſt.* 4. *art.* 5. (4) *Metaph. lect.* 13.
(5) *P. Loſſ. tr.* 1. *diſp.* 2. *c.* 4. *n.* 14. *Poyn. l.* 1. *diſp.* 2. *ſec.* 3. *n.* 65

tiam terminata, nihil ampliùs producendum desiderat, ut materia absolutè existat: Ergò.

4 *Resp.* Contrarii: (6) Materiam primam per suam existentiam compleri tantùm secundùm quid, & in esse entis, prout à nihilo distincti; at non compleri simpliciter, & absolutè, quousque habeat omnia complementa sibi in suo genere debita, quorum unum est forma substantialis. *Undè* existentia est ultimus actus de linea entitativa, non de linea physica, & informativa: ideoque materia per suam existentiam est completa in esse entis, prout à nihilo distincti; non tamen in esse entis, prout habentis omnem perfectionem sibi debitam in genere substantiæ: ideò etiam illius productio nihil ultrà desiderat, ut materia in rerum natura sit absolutè; desiderat autem, ut sit cum debita perfectione.

5 *Contrà* 1. Existentia materiæ est ultimus actus de linea physica, & informativa: Ergò nulla est solutio. Prob. ant. Existentia materiæ præsupponit actum primum physicum, & informativum, qualem appellant Adversarii formam substantialem; sed aliundè physicè actuat, & perficit essentiam: Ergò. Min. patet: nam in præsenti ab Adversariis supponitur, aut saltem permittitur realis distinctio essentiam inter, & existentiam, sub qua hypothesi existentia recipitur in essentia, ut actus physicus, & physicum perfectivum, in sua potentia physicè perfectibili.

6 Prob. maj. Existentia præsupponit materiam sub aliqua specie physica determinata, & infima; sed constituitur sub specie physica determinata, & infima per formam: Ergò. Maj. est certa: Nam existentia reddit materiam existentem in individuo; nulla enim species à suis individuis existit separata. Prob. min. Quod ex se est indifferens physicè, ut constituatur sub hac, vel illa specie physica, quousque per formam ad unam, præ alia, determinetur, constituitur sub specie physica determinata, & infima per formam; sed materia

(6) *P. Lossad. ubi supr. 3 num. 27.*

materia prima est ex se physicè indifferens, ut constituatur sub hac, vel illa specie, v. gr. lapidis, aut ligni, quousque per lapidis, aut ligni formam determinetur: Ergò.

7 *Urg.* Quia materia metaphysica, nempe genus, est ex se indifferens, ut per differentias infimas ad hanc, vel illam speciem infimam metaphysicè determinetur; neque constituitur sub infima specie metaphysica, nisi per infimam differentiam; neque formaliter includit formalem illius speciei individuationem: Ergò, si materia prima est ex se indifferens modo dicto; neque constituitur sub determinata specie physica, nisi per formam; neque ex se ipsa habet existentiam, quæ non, nisi individuis alicujus speciei, convenire potest.

8 *Si dicant*, (7) Materiam primam ex se non existere sub determinata specie physica completa, v. gr. lapidis, aut ligni, esse tamen sub specie infima incompleta scilicet materiæ primæ; ut à simili dici potest de forma substantiali. *Instæ*: Species incompleta ea solùm dicitur, quæ per se ordinatur, velut pars specificans, ad speciem completam componendam; sed materia prima non ordinatur ad speciem completam componendam per modum partis specificantis, sed specificabilis: Ergò. Patet min. Non enim ordinatur ad ens naturale per modum principii activi, sed passivi; ad compositum vivum, seu animatum, non per modum vivificantis, seu animantis, sed vivificabilis, & animabilis, &c.

9 Prob. maj. Solùm dicitur homo incompletè, & *ut quo*, illa pars, quæ sit formaliter humanativa, seu formaliter reddens humanum subjectum, cui adhæret, scilicet anima rationalis; secùs autem materia ex se ipsa; alioquin omnis etiam materia esset homo incompletè, & *ut quo*: idem etiam parificari potest in igne, aliisque compositis naturalibus, quorum formæ capiunt partialem totius denominationem; neutiquam verò materiæ. *Ex quibus* clara est dispari-

tas

(7) *P. Loss. disp. 3. cap. 4. num. 33.*

tas inter materiam, & formam, ut hæc, & non illa, sub partiali, & incompleta specie infima constituatur. Atque his consonat D. Thomas, (8) asserens: *Materia prima nullam speciem habet.*

10 *Contrà* 2. Si materia prima haberet propriam existentiam, omnem posset perfectionem in suo genere sibi debitam: Ergò esset ens completum simpliciter, & absolutè. Prob. ant. Si propriam haberet existentiam, constitueretur, per vos, existens per se substantialiter incompletè; hoc ipso tantam haberet perfectionem, quanta sub genere suo sibi debetur: Ergò. Prob. min. Substantia solummodò existens substantialiter incompletè, nedùm incompletione existentis, sed etiam existentiæ, continetur tantùm sub genere substantiæ partialis, & incompletæ; atqui sub hoc genere non illi debetur ulterior perfectio, qua compleatur, atque ex illo genere extrahatur: Ergò.

11 *Nec dicas* 1. materiam ex se existentem habere perfectionem, quæ sibi debetur sub genere substantiæ incompletæ; at non, quæ sibi debetur sub genere substantiæ præscindentis à completa, & incompleta. *Nam contrà*: Nulli individuo speciei infimæ debentur ea omnia, quæ sub genere remoto continentur; alioquin substantiæ completæ etiam deberentur accidentia, quæ sub ratione entis continentur; & bruto deberetur perfectio animæ rationalis, quæ sub genere substantiæ collocatur: Ergò materiæ primæ, si sub genere substantiæ incompletæ realiter existit, non debetur ei ulterius complementum.

12 *Urg.* Quia quantitas debetur physicè substantiæ completæ materiali, tamquàm perfectio in suo genere immediato non contenta, debetur ipsi, velut perfectio accidentalis, licet illa contineatur sub genere remotiori, nempe ente; sed, si materia prima existit incompletè sub immediato genere substantiæ incompletæ, quævis alia perfectio illam complens,

8) *Lib. 7. Metaphys.*

plens, eſt ſub ejus genere immediato non contenta: Ergò. *Nec dicas* 2. hæc omnia inſtari poſſe in anima rationali ſeparata: *Nam* hæc, licet incompleta, non exiſtit per exiſtentiam incompletam, & ſuam, ſed completam, & totius; atque eſt, *ut quo* homo, habetque actum primum, ut indè habere poſsit actum ultimum.

13 *Contrà* 3. Si materia prima pro priori ad formam exiſtit, eadem exiſtentia exiſtit unita formæ; non enim amittit ſuam ipſius exiſtentiam, neque exiſtit ea partiali exiſtentia, qua exiſtit forma; ſed unita formæ dicitur exiſtens completè: Ergò etiam ante formam. *Hìc nota*: Materiam primam ex ſe habere quidem eſſe exercitum ſubſtantiale ſub genere ſubſtantiæ incompletæ contentum; at, cum in hoc genere habere non poſsit exiſtentiam, quæ natura ſua eſt de linea ſubſtantiæ completæ, cum ſit ultimum rei complementum; materiæ primæ, ut exiſtat, debetur forma, velut primum complementum, ut tandem acquirat exiſtentiam: è contrà verò, ſi ſub genere ſubſtantiæ incompletæ exiſteret. (9)

14 *Impug.* jam 2. prima, & principalis ſolutio poſita *num.* 2. Ex duplici ente in actu incompleto nequit fieri unum ens per ſe: Ergò nulla eſt illa ſolutio. Prob. ant. Ex duabus formis ſubſtantialibus, licet ſolùm ſint in actu incompleto, nequit fieri unum ens per ſe: Ergò. *Dices*: (10) duas formas ſubſtantiales, licet in actu incompletas, non eſſe mutuò proportionatas per modum actus, & potentiæ, vel alio titulo naturali; qualiter ſunt materia, & forma. *Sed contrà*: Forma embrionis, & corporeitatis comparantur, ut potentia ad formam viventis, cum ſint quodamodò diſpoſitio, & via ad formam viventis; ſed nequit ex alterutra, & forma viventis fieri per ſe unum: Ergò.

15 *Urg.* Si materia, & forma in actu poſitæ eſſent naturali

(9) *V. aliàs. Pal.* 1. *Phyſ. quæſt.* 7. *à num.* 11.
(10) *P. Loſſ. ubi ſup. num.* 25. *Pey. num.* 66.

turali titulo proportionatæ ad unum per ſe componendum; etiam utriuſque exiſtentiæ eſſent æquo jure proportionatæ ad componendam exiſtentiam per ſe unam; ſed hoc eſt falſum: Ergò. Prob. min. Ex duobus actibus incompletis, & ultimis ejuſdem lineæ neuter comparatur ad alterum, ut potentia ad actum; ſed exiſtentiæ materiæ, & formæ ſunt duo actus ultimi incompleti ejuſdem lineæ: Ergò. Patet min. Siquidem exiſtentia formæ eſt actus ultimus de linea entitativa, non ſecùs, ac exiſtentia materiæ; quod enim alter ſit de linea informativa, alter de linea informabili de materiali ſe habet, ſicut, quòd hominis exiſtentia ſit de linea vitali, ſecùs exiſtentia lapidis.

16 Prob. maj. Ex duplici actu ultimo incompleto ejuſdem lineæ neuter comparatur ad alterum, ut perfectibile ad ſuum perfectivum: Ergò. Prob. ant. Quilibet actus ultimus incompletus habet omnem perfectionem, quæ alteri in ratione actus ultimi incompleti convenire poteſt; ſed hoc ipſo non poteſt ab alio perfici: Ergò. *Conf.* Exiſtentia materiæ, & exiſtentia formæ univocè conveniunt in perfectione actus exiſtentialis incompleti: Ergò non eſt major ratio, ut formæ exiſtentia perficiat exiſtentiam materiæ, quàm exiſtentia materiæ exiſtentiam formæ.

17 *Reſpondent* (11) exiſtentiam materiæ perfici, & actuari non poſſe per exiſtentiam formæ in ſua ſpecie partiali, & incompleta; ſed tantùm in ſpecie phyſica completa; v. gr. ignis, lapidis, &c. *Contrà*: Exiſtentia formæ, prout à forma diſtincta, qualiter à vobis permittitur, non eſt de linea phyſica informativa, alioquin eſſet forma, & diſtincta à forma: Ergò non perficit exiſtentiam materiæ in ſpecie phyſica completa. *Deindè*: Exiſtentia formæ non eſt perfectior exiſtentia materiæ in ratione formali exiſtentiæ, ſed quatenùs eſt exiſtentia formæ reduplicativè: Ergò non exiſtentia formæ, ſed forma, qua illa exiſtit, perficit exiſtentiam materiæ primæ;

(11) *P. Loſſ. ubi ſuprà cap. 5. num. 17.*

18 *Si aliter* (12) dicant, per exiſtentiam formæ reddi exiſtentiam materiæ exiſtentem non extra cauſas, ſed in compoſito. *Cur* exiſtentia formæ non redditur etiam exiſtens in compoſito per exiſtentiam materiæ, cum utraque in ratione actus, & exiſtentiæ extra cauſas univocè conveniant? Præcipuè, ſi *quævis exiſtentia partialis eſt in potentia ad aliam* ut docet Peynado. At verò, ideò materia determinatur per formam, quia illa purè potentialis eſt, indifferens, ac inexiſtens. Jure igitur dixit D. Thomas: (13) *Nec intelligendum eſt, ut ei, quod dico eſſe, aliquid addatur, quod ſit eo formalius, ipſum determinans, ſicut actus potentiam.*

19 Atque inde jam inferes, partiales materiæ, & formæ exiſtentias, ad ſummùm uniendas fore integraliter, ac continuativè, ſicut duæ partes ejuſdem quantitatis; atqui exiſtentiæ illæ cum eſſentiis materiæ, & formæ proportionantur; imò, per vos, identificantur: Ergò pariter materia, & forma ſolùm integraliter uniuntur. Advertenter notaveris; quòd, cum exiſtentia rei, cujus forma eſt integraliter diviſibilis, ſit pariter diviſibilis integraliter; (14) dantur partiales exiſtentiæ: at ſolùm partialitate integrali; non eſſentiali: ita, ut quælibet pars integralis exiſtentiæ ſit eſſentialiter completa, cum parti integrali eſſentialiter completæ correſpondeat, ut patet in diviſione ligni: at non ita ut pars correſpondeat materiæ, & pars formæ.

20 *PROB.* 2. Concluſio multiplicitèr. *Primò*: Exiſtentia, ut nomen ipſum indicat, eſt extra nihilum, & extra cauſas ſiſtentia; ſed materia prima, ante formam, non eſt extra cauſam formalem, neque extra nihilum formale, & phyſicum, cum adhuc ſit nihil formale: Ergò. *Secundò*: Si Materia prima ex ſe haberet propriam exiſtentiam, & quidem à ſua ipſius eſſentia diſtinctam, componeretur ex potentia ſubjectiva eſſentiali, & ex actu exiſtentiali actuante, &

(12) *P. Peyn. ubi ſup. n. 68.* (13) *Quæſt. 7. de Pot. art. 2.*
(14) *V. 1. Metaph. quæſt. 3. art. 5. num. 91.*

& informante potentiam ; ſed conſtans potentia , & actu ſubſtantialibus , non eſt primum ſubjectum ſubſtantiale , neque primum rei naturalis principium , ſed principiatum: Ergò.

21 *Tertiò*: Exiſtentia eſt actus ultimus de linea entis , & forma , utpotè actus eſſentiæ , eſt primus in eadem linea; (15) ſed actus ultimus eſſentialiter ſupponit actum primum: Ergò. *Si dicant* , formam eſſe actum primum in perfectione ſolùm. *Contrà* : Quia perfectior eſt exiſtentia , quæ formam ipſam perficit , actuat , & determinat. *Si aſſerunt*, non exiſtentiam , ſed ſubſiſtentiam eſſe actum ultimum. *Contra*; quia ſubſiſtentia non eſt de linea entis , ſed ſubſtantiæ : atque , exiſtentiam ſubſtantiæ ſupponere ſubſiſtentiam , probavimus in Metaphyſica. (16)

22 *Quartò*: Licet materia prima ſit cauſa materialis formæ , non debet exiſtere ante formam : Ergò. Prob. antecedens : Quidditas materiæ primæ eſt ſuæ ipſius exiſtentiæ cauſa materialis ; eſt inſuper , juxta Contrarios , cauſa receptiva actionis ſui creativæ ; ſed materia , neque ante ſuam exiſtentiam , neque ante actionem ſui productivam debet exiſtere : Ergò. *Quintò* : Materia , & forma lapidis eadem quantitate extenduntur , eadem albedine dealbantur : Ergò pariter.

23 *Sextò* : Plura realiter diſtincta non poſſunt fieri ſimpliciter unum , niſi quatenùs aliquid unum per identitatem participant , aliàs enim ſemper manent plura ; ſed materiæ, & formæ nihil eſt commune per identitatem , niſi eadem ſit exiſtentia: Ergò. (17) Recurſus ad unionem utrique communem , non prodeſt Scotiſtis , qui duplicem etiam unionem admittunt : Jeſuitis parum favet ; ſiquidem partes quantitatis unione etiam copulantur , at non fit ex eis unum per ſe,

(15) *V. Metaphyſ. ubi ſupra à num.* 82.

(16) *Ibidem , num.* 11.

(17) *V. Colleg. S. Thom.* 1. *Phyſ. queſt.* 3. *art.* 5, *num.* 151.

veluti ex potentia, & actu. *Imò* partes aggregati uniuntur, quin ex eis fiat unum simpliciter.

SOLVUNTUR ARGUMENTA CONTRARIA.

24 ARGUES 1. Materia prima existit pro priori ad formam; sed non per existentiam formæ, alioquin priùs reciperet materia existentiam formæ, quam ipsam formam: Ergò. Prob. maj. Omnis causa etiam materialis, quæ univocè participat rationem causæ, existit pro priori ad suum effectum; sed materia est causa materialis formæ: Ergò. Huic argumento, tot, tamque diversis modis respondent Authores nostri, ut jam ferè major sit inter ipsos de vero respondendi modo, quàm de re principali contrà Adversarios controversia.

25 Omissis autem aliorum solutionibus (18) videndis, & explicandis apud Colleg. Rip. (19) cum eodem respondeo, concessà majori, quam Adversarii multis probare nituntur; negando minorem, quam evidentem appellant, ejusque subjunctam probationem. Quia, ut alibi dicebamus, prioritas naturæ, solummodò importat rationis antecedentiam in priori respectu posterioris; quæ tamen non impedit realem utriusque simultatem: Undè, quamvis materia pro priori ad formam non intelligatur existens, neque cum forma; re tamen vera informata est, & existit per existentiam formæ.

26 Ratio est: quia, cum priùs, & posteriùs naturæ sit idem instans reale, si pro posteriori existit, & informata est, etiam informata est, & existit pro priori, ne simul tempore informaretur, & non informaretur, existeret, & non existeret. Igitur pro priori naturæ existit, & informatur; at non intelligitur existens, neque informata; pro posteriori, & existit,

(18) *Colleg. D. Thom. hìc à n.* 178. *Froyl. hìc. Pal. hìc à n.* 51.
(19) *Colleg. Ripenſ. hìc à num.* 30.

existit, & intelligitur existens, informatur; & intelligitur informata, quia prioritas, seu antecedentia rationis, & intelligentiæ non impedit, quominùs materia, forma, & utriusque existentia sint simùl realiter, licet materia sit causa receptiva formæ.

27 *Si mavis*, claritatis gratia, dist. maj. argum. Materia prima pro priori ad formam existit, & intelligitur existens, nego maj. & non intelligitur existens, concedo maj. & nego min. Nec obstat ejus implicita probatio; quia, cum pro priori ad formam (ideſt antequàm forma intelligatur) jam re vera sit forma cum existentia, non priùs recipit materia existentiam, quàm formam, sed simul tempore, & pro priori naturæ formam, quàm existentiam. *Nota*, quòd materia pro priori ad formam intelligitur causans in genere causæ purè potentialis; adeòque non debet intelligi existens. Quæ huic solutioni opponi possunt invenies soluta in Metaphysica. Vide ibi. (20)

28 *ARGUES* 2. Quæ distinctis actionibus fiunt, habent distinctas existentias; sed materia, & forma fiunt distinctis actionibus: Ergò. Min. patet: Nam materia fit per creationem; forma verò, anima dempta rationali, per generationem. Maj. prob. Omnis actio productiva terminatur ad ponendam sub existentia rem productam, ut docet D. Thomas: (21) Ergò. *Si dicas*: ea, quæ fiunt distinctis actionibus completis, habere distinctas existentias: secùs autem, quæ distinctis actionibus incompletis producuntur; præcipuè, si terminus utriusque productionis non sit actus, sed alter actus, alter potentia, ut materia, & forma.

29 Instant *primò*: (22) Creatio materiæ vel habet alium effectum, præter materiam, vel non? *Si primùm*: talis effectus, aut erit forma, aut existentia. *Si secundùm*: Ergo talis actio plenè obtinet suum effectum, adeòque non erit actio

(20) *Met. q. 3 art. 5. à n. 63.* (21) *Quæst. 1 de pot. art. 3.*
(22) *Pater Loſſ. hic, num. 17.*

actio incompleta. *Aliter* : *Omnis actio activæ potentiæ terminatur ad esse*, ut docet D. Thomas, ubi suprà ; sed actio creativa materiæ non terminatur ad existentiam formæ, nisi hæc absurdè dicatur creata simùl, & educta : Ergò. *Secundò* : Actio creativa materiæ est actio Dei ; sed actio Dei incompleta esse non potest, ne diceretur imperfectissima: Ergò.

30 *Tertiò* : Duæ animæ rationales procùl ab omni materia fieri possunt, & quidem actionibus incompletis ; sed fierent cum suis existentiis : Ergò. *Resp.* 1. approbando solutionem suprà positam : siquidem actio completa rem totam producit à primo subjecto, quod efficit, aut præsupponit, usque ad ultimum actum, qui est existentia ; at verò actio incompleta ad materiam terminata, solùm producit primum rei subjectum purè potentiale, cui nequit ultimum actum tribuere, nisi vi ejusdem, aut alterius actionis totius completivæ recipiat primum actum, qui est forma substantialis.

31 *Ad* 1. *inst.* dicimus, quòd si illa procedat de materiæ creatione, prout de facto contigit in exordio rerum, illa fuit completa, quippè quæ immediatè fuit terminata ad totum compositum ; ejusque effectus fuit etiam existentia : Si autem procedat de creatione, qua materia sola simùl cum eductione formæ fieri potuit, aut de actione, qua conservatur de facto quiddiras materiæ ; sic habet alium effectum, qui neque est forma, neque existentia materiæ propria, sed materia ipsa, non quoad esse, sed quoad adesse, seu passivam formæ receptionem : influit enim actio creativa, seu conservativa materiæ ad passivam formæ receptionem, qua fit capax existentiæ.

32 *Nec* inde inferas, unionem materiæ cum forma esse creatam. *Quia* unio formalis, quæ distincta est à materia, & forma, genita est: unio autem radicalis, quæ ex parte materiæ est ipsa entitas materiæ, prout actione creativa,

aut

aut conservativa inclinata, & quasi impulsa ad recipiendam formam, & in qua illud *adesse* consistit, creata est. *Ad* alteram formam ex D. Thoma, dist. maj. Omnis actio completa, concedo maj. incompleta subdist. Si ejus terminus sit actus, concedo maj. si aliqua pura potentia sit, ut materia prima, nego maj. Solutio ex dictis constat.

33 *Ad* 2. *inst.* dist. min. Nequit esse icompleta subjectivè, concedo; terminativè, nego min. Licet enim actio Dei ex parte ipsius completa sit, cum influat infinita virtute: quia tamen non ita influit, ut terminum producat sub omnibus perfectionibus, ab ipso naturaliter exactis, ut locum relinquat agenti creato; dicitur illa terminativè incompleta absque imperfectione. Cum autem terminus ille completur per formam, & existentiam inde advenientem; concurrit etiam illa creatio, non quidem activè producendo existentiam, ne simùl hæc creata esset, ac educta, sed conservando materiam; atque tunc ideò actio illa dicitur terminativè compleri.

34 *Ad* 3. nego conseq. Quia, cum anima rationalis sit primus actus per se sua natura subsistens, ac semisuppositum, ut dici solet; est capax actus ultimi, qui est existentia, non quidem incompleta, sed incompletè communicata: at non ita materia prima ob evidentem, eamque oppositam rationem. *Si dicas*: Quæ fiunt distinctis actionibus completis, habent distinctas existentias completas: Ergò, & quæ fiunt distinctis actionibus incompletis, habent distinctas existentias incompletas. *Nego* conseq. & suppositum. *Conseq.* quia existentia sua ratione formali, cum sit actus ultimus, supponit actum primum, quo ens, cujus est, compleatur. *Suppositum*; quia hoc ipso, quòd sequatur præcisè ens completum, repugnat, quòd existentia sit incompleta.

35 *Nec dicas*: Dari existentiam divisibilem, seu totalem, ut diximus in Metaphysica: (23) Ergò componitur ex incom-

(23) *Quæst.* 3. *artic.* 5. *num.* 91.

incompletis, & partialibus existentiis. *Deinde*: Si existentia proportionatur cum essentia completa, sicut hæc ex partibus componitur, ita componi debet existentia: Ergò. *Nam* datur existentia divisibilis integraliter, seu in partes integrales, quarum quælibet communicatur integrali essentiæ parti, quæ tamen est completa essentialiter, ut patet in divisione ligni; at non est divisibilis essentialiter: ut etiam forma ligni est integraliter, & non essentialiter divisibilis. Undè, licet dentur existentiæ partiales partialitate integrali; secùs partialitate essentiali.

36 *Ad* aliam formam, nego ant. quia illiusmodi proportio est quantùm potest, non omnimoda. Existentia itaque, cum sit actus ultimus, sua ratione formali solùm proportionari potest cum essentia, quæ sit, aut habeat actum primum; quæ proinde debet esse completa: at verò, cum nulla existentia comparari possit ad aliam, ut potentia ad actum; nequit in compositione essentiali cum essentia proportionari. *Atque* hinc jam inferes, solùm habere propriam existentiam, quæ propriam habent essentiam completam, aut admintis actualem; non materia prima, quæ illam habet incompletam, ac purè potentialem.

37 *ARGUES* 3. Materia prima est ingenerabilis, & incorruptibilis; sed esset generabilis, & corruptibilis, si per existentiam formæ existeret: Ergò. Prob. min. Id, cujus existentia generatur, & corrumpitur, est generabile, & corruptibile; sed existentia formæ, qua materia existit, generatur, & corrumpitur: Ergò. *Resp.* dist. maj. prob. Cujus existentia corrumpitur per transitum rei existentis de existendo, ad non existendum simpliciter, concedo; per illius transitum de una in aliam existentiam, nego maj.

38 Generatio est transitus de non esse simpliciter ad primum sui esse: Corruptio est transitus de esse ad non esse simpliciter. Quando itaque compositum generatur, transit ipsum, ejusque forma de non esse simpliciter ad primum

esse;

esse ; è contrà , dum corrumpitur : at materia prima , licet, dum primò creatur , transeat de non esse ad primum sui esse ; de cæterò tamen de uno transit ad aliud esse ; de una existentia , ad aliam existentiam. Ex quo solùm sequitur, eam mutari; neutiquam generari, aut corrumpi.

39 *Dices* 1. (24) Ergò , si prima existentia materiæ generetur , materia propriè generabitur , cum transeat de non esse simpliciter ad primum esse : atqui potuit in exordio rerum existentia formæ generari , cum forma educi potuerit: Ergò , si per illam existit materia , existentia prima materiæ, ac per consequens materia ipsa , potuit generari. *Secundò*: Ergò saltem materia prima per generationem accipit suam conservationem , cum per illam habeat existentiarum successionem , qua conservatur ; sed hoc repugnat , quia ejusdem virtutis est conservare , ac producere , cum conservatio sit continuata productio : Ergò.

40 *Ad* 1. *resp.* dist. conseq. Si prima existentia materiæ generetur eadem omninò actione , qua materia ipsa producitur , concedo ; quia sic utriusque productio esset generatio: si diversa actione generetur, nego conseq. Et ita contigisset, si in rerum exordio forma,ejusque existentia educerentur, ut suo loco videbimus. *Ad secundum* , dist. conseq. suam conservationem existentialem , & completam, concedo ; incompletam , & essentialem, nego conseq. Sicut enim agens creatum producit esse formale, & existentiale materiæ, ita ipsum conservat sine inconvenienti.

41 Cæterùm illius quidditatem incompletam , sicut non producit , ita non propriè, & immediatè conservat , sed solùm impropriè, & mediatè , quatenùs conservat ejus complementum , sine quo illa persistere non potest : Sicut cibus hominis vitam , & animam quodamodò conservare dicitur, non quoad esse , sed quoad adesse. *Si dicas* , quòd essentiæ ingenerabili correspondet existentia ingenerabilis. *Resp.* Id

(24) *P. Loss. tract. 1. disp. 2. cap. 3. num. 31. & 32.*

verum esse de essentia completa ; secùs de incompleta : Sicut substantiæ completæ ingenerabili correspondet similis subsistentia ; non autem incompletæ , qualis est materia prima , adhuc juxta Contrarios. (25)

42 *ARGUES* 4. multipliciter *primò* : Materia , & forma distinguuntur existentialiter : Ergò distinguuntur penes existentias ; sicut distinguuntur penes essentias , quæ essentialiter distinguuntur. *Secundò* : Animæ rationalis existentia, utpotè spiritualis , nequit hominem materialem reddere existentem : Ergò; *Tertiò* : Intellectio, licet actus ultimus in linea intelligendi , ordinari potest ad alium actum ultimum, ordinatur enim ad verbum;& assensus præmissarum ad assensum conclusionis : imò forma embrionis ordinatur ad formam viventis: Ergò,& una ad aliam existentiam.

43 *Quartò* : (26) Si materia existeret per existentiam formæ , posset homo primò creari , & existere , quin ulla denuò pruducatur existentia : ut, si Deus hominem formaret ex nova materia , & antiqua anima rationali. *Sequeretur* insuper , quòd , si Deus animam cum sua existentia separaret à materia , quam simul anihilaret , posset aliquid anihilari, quin ulla existentia deficeret. *Quintò*: Si materia existeret per existentiam, formæ , esset causa sui esse : Ergò esset causa sui ipsius. *Tandem* materia prima per se ipsam excludit suum contradictorium ; sed illud excludit per existentiam: Ergò.

44 *Ad* 1. instò arg. Pater , Filius , & Spiritus Sanctus distinguuntur æternaliter : Ergò distinguuntur penes æternitatem ? *Resp.* dist. maj. ita ut ly *existentialiter* denotet exercitium , seu existentiam distinctionis , concedo; ita , ut significet rationem , in qua distinguuntur , nego. Existentia materiæ , & formæ est existentia , seu exercitium distinctionis earum ; at non est ratio , in qua , aut penes quam distinguuntur.

(25) *P. Loss tract. 1. Phys. dis. 7. cap. 4. num. 9. & 12.*
(26) *Pater Lossad. à num. 34.*

guuntur. Nec obstat paritas de distinctione essentiali: quia adverbium additum distinctioni, quandòque denotat rationem, in qua extrema distinguuntur; sæpè etiam exercitium tantummodò distinctionis.

45 *Ad* 2. nego ant. Quia sicut anima, etsi spiritualis, constituit corpus, eò quòd sit corporea *ut quo*, ita illius existentia reddit corpus existens, ob similem rationem. *Ad* 3. dist. ant. quoad omnes partes: ordinatur, ut potentia ad actum, nego ant. alio modo, concedo ant. & nego conseq. Intellectio ordinatur ad verbum per modum efficientis ad effectum; sunt autem diversæ lineæ, illa de linea activa, hoc de linea passiva. Eodem modo ordinatur assensus præmissarum ad assensum conclusionis: forma embrionis ordinatur ad viventem, tamquàm imperfectum ad perfectum, quo etiam modo illius existentia ad hujus existentiam ordinatur. Cæterùm non ordinatur, ut potentia receptiva ad actum receptum, qualiter deberent duæ existentiæ ordinari, ut ex iis fieret compositio.

46 *Ad* 4. concesso ant. nego conseq. Non est enim impossibile, aut absurdum, hominem illo modo produci, quin denuò producatur existentia, si jam producta de novo illi communicaretur; ut de facto contigit in productione humanitatis Christi. *Ad* alteram sequellam, dist. illam: Posset quid anihilari essentialiter, quin ulla deficiat existentia, concedo; existentialiter, nego. Sufficit enim si existentia separetur à materia, ut hæc ab anima separata anihilari possit essentialiter, seu quoad essentiam.

47 *Ad* 5. dist. ant. Esset causa materialis mediata, concedo; immediata, aut in aliquo genere, nego ant. & conseq. Materia enim est solùm causa sui *esse* existentialis, non quidem immediata, nam existentia immediatè recipitur in tota essentia, sed mediata: Sed inde non est materia causa sui ipsius. *Advertè*, quòd, sicut in genere causæ materialis materia est causa formæ, & è conversò in genere causa formalis

malis; ita est causa existentiæ, & è contrà existentia causa materiæ. *Ad ultimum*, dist. maj. Suum contradictorium essentiale, concedo maj. existentiale, nego maj. & è contrà distincta min. nego conseq.

48 In fine *advertè*, quod licet existentia, qua materia existit, propriè loquendo, sit compositi, quia per se primò, & *ut quod*, solùm composito competit existere; dicitur communiter existentia formæ, quia hæc est ratio formalis, qua compositum, & materia redduntur existentiæ proximè capacia. *Advertè* 2. Materiam primam pro priori ad formam, nullas habere physicas proprietates, quas causet effectivè; sed solùm metaphysicas, & cum ipsa realiter identificatas, ingenerabilitatem, incorruptibilitatem, &c. Quantitas autem est proprietas substantiæ materialis completæ.

ARTICULUS IV.

Utrum Materia prima possit existere sine forma?

1 MAteriam primam non posse naturaliter existere sine forma, ut certum supponimus; etsi contrarium decantaverit rara avis in terris. (1) Ratio est: quia, cum agens naturale numquam, malum intendens, operetur; dùm unam formam corrumpit, non hujus destructionem per se primò intendit, sed alterius generationem: Unde prodiit proverbium illud: *Corruptio unius est generatio alterius.* Deinde: Materia existere non potest naturaliter sine quantitate, ut fatentur omnes: Ergò potiori titulo sine forma substantiali.

NOSTRA CONCLUSIO.

2 DICIMUS: Materia prima, nec divinitùs valet existere sine forma. Sic D. Thomas: (2) *Dicere igitur,*

(1) *Aliqui veteres ap. P. Suar. dis.* 15. *Met.* 8. (2) 1. *p. q.* 66. *a.* 1.

igitur, materiam præcedere sine formâ, est dicere ens actu sine actu; quod implicat contradictionem. Et iterum: (3) *Quòd aliquid simul sit, & non sit, à Deo fieri non potest, neque aliquid contradictionem involvens; & hujusmodi est, materiam esse in actu sine forma ::: Dicere ergò, quòd materia sit in actu sine forma, est dicere, contradictoria esse simùl.* Sed, quia in re præsenti à D. Thoma se modestè discedere fatentur Contrarii; (4) ratione S. Doctoris, potiùs quàm authoritate, nobis incedendum est.

3 *PROB.* Conclusio ratione D. Thomæ: Repugnat ex terminis, materiam habere actum ultimum, seu ultimum complementum de linea entis, sine actu primo, seu primo complemento de eadem linea; sed existentia est actus ultimus, ultimumque de linea entis complementum, forma autem est actus primus de eadem linea: Ergò. Major patet: *Tùm*, quia alioquin materia esset in actu ultimo, ut supponitur; & non esset, cum ipsi deficeret actus primus essentialiter præsuppositus ante ultimum: *Tùm* etiam, quia ea ratione repugnat intellectio, quæ est actus ultimus de linea intelligendi, sine intellectu, qui est actus primus de eadem linea.

4 *Ref.* 1. Adversarii: (5) Existentiam esse actum ultimum entitativum respectu potentiæ objectivæ, quam terminat: formam autem esse actum primum physicum, & informativum: at nullam esse repugnantiam in eo, quòd materia sit in actu ultimo entitativo, quin sit in actu primo informativo; quia *esse in actu, & non esse in actu* non verificatur secundùm idem. *Secundò* resp. existentiam esse posteriorem forma ordine intentionis, priorem autem ordine executionis. *Tertiò* resp. existentiam connaturalem materiæ esse actum secundum, seu ultimum, formam præsupponentem;

(3) *Quodlib. 3. art. 2.*

(4) *P. Loss. tract 1. dis. 3. c. 4. num. 24.*

(5) *Pater Lossad. ubi suprà, num. 26.*

(1)

tem; non autem existentiam supernaturalem à Deo ipsi communicabilem.

5 *Sed* contra 1. solutionem ea faciunt directè, quæ articulo antecedenti *à n. m.* 5. tradidimus: Ex ibi enim dictis constat, existentiam esse actum physicum, formam essentialiter præsupponentem. *Deinde*: Existentia, quocumque demùm nomine illam vocaveris, supponit essentialiter materiam capacem existendi, sed materia prima redditur capax existendi per formam: Ergò. Prob. min. Materia prima redditur capax existentiæ cujusque per actum primum physicum; sed per vos, forma est actus primus physicus: Ergò. Prob. maj. Existentia est actus ultimus physicus, cum per eam sit res ultimò determinata, ut physicè aparte rei existat; sed materia redditur capax ultimi actus physici per primum actum physicum, ut per se patet: Ergò.

6 *Urg.* Implicat ex terminis, materiam primam existere in rerum natura, quin existat in individuo sub aliqua specie physica, & determinata contento; sed continetur sub specie physica per formam: Ergò. Sed hanc rationem *art. præced. à num.* 6. prosequuti sumus. *Urg.* 2. Materia prima, per vos, (6) nec divinitùs valet existere sine forma accidentali, scilicet quantitate, ubicatione, duratione, &c. Ergò. *Prob. conseq.* 1. Implicat, materiam habere formam physicam accidentalem ante formam physicam substantialem; aliàs haberet actum secundum informativum ante actum primum informativum: Ergò.

7 *Prob.* 2. conseq. Implicat, formam substantialem invenire materiam quomodocumque informatam, & in quavis linea compositam; sed forma accidentalis informaret materiam, & cum ea faceret compositionem: Ergò. Prob. maj. Ex materia prima, & forma substantiali, veluti ex primis principiis, fit verum ens naturale; sed ex materia accidentaliter informata, & composita non fieret ens naturale, ve-

luti

(6) *Pater Lossad. ubi supr.à, num.* 31.

luti ex primo principio : Ergò. Prob. min. *Tùm*, quia sic materia jam fieret ex aliis : *Tùm* etiam, quia ex materia informata forma substantiali, & ex formâ accidentali non fit, velut ex primis principiis, ens naturale : Ergò pariter.

8 *Impugnatur* jam secunda solutio posita *num.* 4. Agens naturale non reddit existens ens naturale, ut informatum sit ; sed illud informat, ac constituit, ut existat : Ergò ordine intentionis prior est existentia, & ordine executionis forma est prior : Ergò in executione priùs informatur materia, quàm existat. Probat. anteced. Agens naturale res omnes producit, ut existant, cum productio ultimò tendat ad existentiam, clamantibus etiam Adversariis: Ergò.

9 *Impugnatur* tertia solutio : Si existentia connaturalis materiæ supponit essentialiter existentiam ; ideo est, quia per formam redditur materia capax existendi ; sed etiam existentia supernaturalis supponere debet materiam capacem existendi : Ergò. Prob. min. Licet existentia supernaturalis præstare possit munus existendi, non tamen munia capacitatis ad existendum : Ergò. Prob. ant. Capacitas ad existendum est de genere causæ formalis, maximam dicentis imperfectionem ; sed existentia supernaturalis nequit præstare imperfectissimam causæ formalis causalitatem: Ergò.

SOLVUNTUR ARGUMENTA CONTRARIA.

10 *ARGUES* 1. Potest Deus dare materiæ primæ existentiam independenter à forma : Ergò. Prob. ant. Potest Deus dare materiæ primæ existentiam distinctam ab existentia formæ, ut patet in materia prima humanitatis Christi, quæ de facto existit, juxta Thomistas, per existentiam Verbi : Ergò. *Resp.* dist. ant. probat. Potest dare materiæ primæ informatæ, & capaci per formam, existentiam distinctam ab existentia formæ, concedo antec.

Mate-

materiæ non informatæ, seu incapaci ex defectu formæ, nego ant. & conseq.

11 Licet enim forma essentialiter requiratur in materia ad hoc, ut existat: non requiritur præcisè ut materiæ suam communicet existentiam; sed, ut reddat materiam intrinsecè proximè capacem existentiæ. Deus autem præbere valet materiæ per formam capaci, quam voluerit, existentiam: at verò, eam facere capacem non aliter potest, nisi per formam; quia, ut sit capax ultimi actus, qualis est existentia, poni priùs debet sub actu primo, qui alius esse non potest, nisi forma; cum sit ejus essentia.

12 *Dices primò*: Materia prima non redditur essentialiter capax existentiæ per formam: Ergò. *Prob. ant.* 1. Forma non est causa formalis materiæ; alioquin ex materia, & forma componeretur materia: Ergò. *Prob.* 2. idem antec. Materia prima Christi Domini in triduò mortis habuit existentiam Verbi; sed non ratione formæ cadavericæ, aut alius: Ergò. Prob. min. Verbum Divinum non assumpsit formam cadavericam: *Tùm*, quia illam amisit; *quòd* autem *semel assumpsit*, *numquàm dimisit*, teste Damasceno: *Tùm* etiam, quia assumptio formæ cadaveris quamdam indecentiæ speciem afferre videretur: *Tùm* denique, quia illiusmodi assumptio jam non esset naturæ humanæ singulare beneficium: Ergò.

13 *Secundò*: Sicut forma est actus primus in linea entis, ita species intelligibilis est actus primus de linea intelligendi; sed Deus se solo suplere potest munus speciei intelligibilis, ut intellectus sit proximè potens ad intelligendum: Ergò. *Urg.* (7) Materia ratione sui est possibilis; sed eo modo, quo est possibilis, est capax existentiæ: Ergò. *Adde*: Existentia Divina, mediante forma, potest reddere materiam existentem: Ergò etiam se sola. Prob. conf. Quòd valet Deus, media causa secunda, potest se solo facere: Ergò.

Ad

(7) *Pater Lossad. ubi supra, num.* 22.

14 *Ad primam inſt.* nego ant. *Ad 1. prob.* diſt. ant. Non eſt cauſa conſtitutiva, ſicut eſt compoſiti, concedo ant. informativa, nego ant. & conſeq. *Ad 2. prob.* nego min. ad ejus prob. nego min. quia fuit exiſtentiæ capax ratione formæ cadavericæ, quam utique aſſumpſit ſine inconvenienti. *Nam* dictum Damaſceni: *Quod ſemel aſſumpſit, &c.* intelligendum eſt de aſſumptione permanente, eorumque ad integritatem naturæ humanæ pertinentium; non de aſſumptione tranſeunte, aut eorum, quæ ad integritatem naturæ non pertinent, qualis fuit forma cadaverica: ſicut etiam unio inter materiam, & animam, quam abs dubio dimiſit.

15 *Neque* fuit indecens Verbo Divino cadavericam formam aſſumere: quia, ſicut mortuus eſt propter nos homines; ita mortuus eſſe voluit, atque cadaver propter noſtram ſalutem. *Utque* humanitatis materiam retineret, aſſumpſit cadaveris formam, qua illa poſſet exiſtere: totum itaque beneficium in hominis naturam refundebatur. *Adde*, multò imperfectiorem eſſe materiam primam forma cadaverica: ſi igitur materiam ſolam retinere, non videtur indecens Contrariis; minùs indecens apparet, aſſumpſiſſe formam cadavericam.

16 *Ad 2. inſt.* nego conſeq. Quia munus cauſæ formalis ex ſua ratione formali dicit imperfectionem, tum incompletionis, & partialitatis, tum informationis: at munus ſpeciei intelligibilis ex ſua ratione formali nullam dicit imperfectionem, cum eſſentiæ Divinæ reſpectu Divini intellectus conveniat; illudque eſt terminare, actuare, perficere. Quòd enim ſpecies inhæreat, aut informet, convenit ipſi, non ex conceptu *ſpeciei*, ſed ex conceptu *creatæ*: Sic conceptus exiſtentiæ, & ſubſiſtentiæ nullam dicunt imperfectionem; licet illam dicat exiſtentia, aut ſubſiſtentia, quatenùs creata eſt: propterea exiſtentiæ, & ſubſiſtentiæ munia præſtare poteſt Verbum humanitati.

17 *Ad urg.* diſt. maj. Materia prima ratione ſui eſt poſſibilis, ut exiſtat ratione ſui, nego maj. ut exiſtat, mediante forma, concedo maj. Sicut intellectus ratione ſui eſt poſsibilis, ut ſit in actu intelligendi, non per ſe ipſum; ſed per intellectionem; & eſſentia ratione ſui eſt poſsibilis, non, ut per ſe ipſam exiſtat, ſed per exiſtentiam. *Ad addit.* nego conſeq. & diſt. ant. prob. Quòd valet, media cauſa ſecunda efficienti, quæ in modo cauſandi non involvit imperfectionem, concedo antec. media cauſa ſecunda formali, quæ ſine imperfectione cauſare non poteſt, nego ant. & conſeq.

18 *ARGUES* 2. multipliciter. *Primò*: Accidens poteſt exiſtere ſine ſubſtantia, ut nos docet Euchariſtiæ miraculum: Ergò. *Secundò*: Forma materialis poteſt divinitùs exiſtere ſine materia: Ergò. *Tertiò*: Priùs non dependet à poſteriori; ſed materia eſt prior forma, cum illa præſupponatur hujus generationis: Ergò. *Quartò*: Nulla eſt forma, à qua non poſsit materia ſeparari, & ſine qua non poſsit exiſtere: Ergò. *Quintò*: Poteſt Deus materiæ communicare formam ſine prævиis diſpoſitionibus: Ergò exiſtentiam quoque ſine forma.

19 *Sextò*: Iſtæ propoſitiones ſunt contrariæ: *Omnis forma poteſt informare materiam exiſtentem*: *Nulla forma poteſt informare materiam exiſtentem*; ſed ambæ ſunt falſæ juxta Thomiſtas: Ergò ſunt in materia contingenti, in qua ſolùm inveniri poſſunt duæ contrariæ ſimul falſæ: Ergò contingens eſt, nullam formam informare materiam exiſtentem; adeoque poteſt exiſtere ſine formà. *Ad primum*, nego conſeq. Quia *accidens, cum ſit forma, eſt actus quidam, materia autem ſecundùm id, quod eſt, eſt ens in potentia: undè magis repugnat eſſe in actu materiæ ſine forma, quàm accidenti ſine ſubjecto.* (8)

20 *Ad ſecundum*, nego ant. aut permiſſo ant., nego conſeq. Quia forma, cum ſit actus primus, capax eſt ultimi actus:

(8) *D. Thom. 1. p. quæſt. 66. artic. 1. ad 3.*

actus : at materia , quæ pura potentia est , non habet ex se actum primum , quo sit capax actus ultimi. *Ad* 3. dist. min. Est prior forma in genere causæ materialis , & ordine successionis , concedo ; in genere causæ formalis , ad quod pertinet existentia , nego min. In hoc enim genere prior est forma , quàm materia. *Ad quartum* , dist. ant. in sensu divisivo , concedo ; in sensu collectivo , nego. A quavis divisivè separari potest , atque sine illa existere ; non tamen ab omni collectivè, ac sine omni existere.

21 *Ad quintum* , nego conseq. Quia dispositiones accidentales ad formam sunt puræ conditiones connaturaliter à materia exactæ respectu agentis naturalis ; at forma est ratio formalis essentialiter requisita , ut materia sit capax existendi : Deus autem operari potest suprà rerum exigentias ; sed non contra illarum essentias : Sicut potest facere, quòd ignis sine approximatione comburat ; non tamen sine calore ; quia hic est ratio formalis , illa pura conditio. *Ad sextum* resp. eas propositiones esse contrarias , si prima faciat sensum distributivum , seu divisivum , quem facit secunda ; sed ita prima est vera , secunda falsa : si tamen faciat sensum collectivum ; ita falsa est sicuti secunda ; at non sunt contrariæ, neque oppositæ, quia variatur suppositio.

ARTICULUS V.

Reliqua de Materia prima exponuntur.

22 INQUIRES 1. Quas formas appetat materia prima? RESP. Materiam primam appetitu naturali , seu innato , & quidem efficaci , appetere formas non amissas, eas nimirùm , quas aut habet , aut adhuc non acquisivit; amissas autem , ut tales , solùm appetit inefficaciter. *Ratio* primæ partis est : Quia appetitus innatus est naturalis inclinatio , seu congenita propensio ad bonum sibi connaturale,

& poſsibile ; atquì materia prima ejuſmodi propenſionem habet ad omnes formas , ad quas ſua indole , tamquàm ad ſuum perfectivum, ordinatur: Ergò.

2 *Ratio* ſecundæ partis eſt : quia non minùs amiſſæ formæ , quatenùs formæ ſunt , quàm non amiſſæ , ſunt materiæ perfectivum : Ergò illas quoque appetit materia prima. Cæterùm quia appetitus ille , qui terminum habet naturæ viribus conſequibilem , dicitur *efficax* , eò quòd Agenti naturali ſint media , quibus illum conſequi poteſt ; è contra verò ille , cujus terminus agentis naturalis induſtria acquiri non poteſt , dicitur *inefficax* ; appetitus materiæ ad formas non amiſſas dicendus eſt *efficax* , cum eas illa naturaliter conſequi valeat , appetitus autem ad formas amiſſas eſt dicendus *inefficax* , ob oppoſitam rationem.

3 *Sed nota* 1. appetitum innatum eſſe impropriè , & metaphoricè appetitum ob quamdam proportionem cum appetitu elicito, qui eſt inclinatio ab bonum prævìè cognitum; cum tamen innatus ſit ad bonum inclinatio abſque ulla prævia cognitione. Ideò, ſi appetitus elicitus præſupponat cognitionem purè ſenſitivam , ut in brutis , dicitur appetitus *ſenſitivus* ; &, ſi præſupponat cognitionem rationalem , ut in homine , dicitur *rationalis*, qualis eſt voluntas. *Nota* 2. utrumque appetitum, ſi de re ſit præſenti , appellari *Gaudium*, ſive *Fruitionem* ; ſi tamen ſit de re abſenti , ſeu futura , aut poſſibili , dici *Deſiderium*.

4 Ex quibus *inferes* , Materiam primam appetere appetitu gaudii , ſeu fruitionis , formam , quam actu poſsidet; quas tamen non acquiſivit , appetit deſiderio. Enim verò inter formas non habitas non plùs , minùſve unam , quàm aliam appetit, ſi materia ſecundum ſe, & præciſivè ab omni diſpoſitione ſpectetur , quia omnibus, & ſingulis ſuam æquè conſequitur conſervationem , quam illo appetitu ſolummodò intendit. *At* , ſi materia conſideretur diſpoſita certis diſpoſitionibus ad hanc potiùs, quàm ad illam formam ; ad hanc potiùs, quàm ad illam inclinatur.

OPPO-

5 *OPPONES primò.* Materia prima non potest habere omnes formas : Ergò non appetit illas. *Secundò*: Maria, dum est sub una forma , illa perfectè satiatur , nec alias simul habere potest: Ergò. *Tertiò*: Ideò materia appetit formas, quia per eas perficitur , sed plùs perficitur per perfectiores : Ergò plùs appetit perfectiores. *Quartò* : In materia manet capacitas ad formam amissam : Ergò , & appetitus. *Demùm*: appetitus innatus præscindit à circunstantiis posſibilitatis, aut impoſsibilitatis : Ergò, licet unio formæ amissæ,non sit materiæ posſibilis , appetit materia formam amissam.

6 *Ad* 1. *resp.* dist. ant. Non potest habere omnes formas simùl , & collectivè , concedo ; divisivè , nego antec. & dist. conseq. Non appetit illas , ut simùl habendas , concedo ; ut habendas divisivè , nego conseq. *Ad* 2. dist. ant. Illa perfectè satiatur pro tunc , & intensivè , concedo antec. pro semper, & extensivè,nego ant. Quia, cum illa forma, quam habet , sit defectibilis , reliquas appetit , ut habendas sub implicita conditione deffectus præsentis , cum qua , licet habere non posſit alias simùl, potest habere divisivè. *Ad* 3. dist. min. Plùs perficitur in ratione existentiæ , & durationis, quam per se illo appetitu intendit , nego ; in specie determinata, quam per se non intendit , concedo. Æquè durat , & conservatur quacumque formà.

7 *Ad* 4. neg. conseq. Quia appetitus innatus non est quæcumque capacitas , alioquin daretur in aqua ad calorem appetitus , sicut inest ipsi capacitas: sed est capacitas exactiva, & propensiva, quæ non est in materia ad formas amissas,utpotè sibi impoſsibiles naturaliter , quia natura non tendit ad impoſsibile. *Ad ultim.* nego ant. Nam appetitus innatus nequit præscindere à termini connaturalitate respectu sui ; connaturale autem alicui esse non potest , quin sit sibimet ipsi posſsibile.

8 Pro aliis solvendis plurimùm *observa* 1. Materiam primam , appetentem formas futuras , non appetere destructionem

ctionem præſentis, cum qua illas habere non poteſt: quia, licet ſimùl cum præſenti appetat illas; at non appetit illas habere ſimùl cum præſenti, ſed pro caſu, quo præſens deficiat. *Obſerva* 2. Quandò res aliquæ appetunt aliquid naturaliter inaſſequibile, ut cæcus viſum, damnatus ſuam deſtructionem, homo ſuam beatitudinem ſupernaturalem, amens uſum rationis, &c. ejuſmodi appetitum, aut eſſe inefficacem, aut elicitum, de quo non loquimur in præſenti.

9 *INQUIRES* 2. Qua unitate, & diſtinctione gaudeat materia prima? *RESP.* 1. Materiam primam ex ſe nullam habere unitatem formalem poſitivam, ſive ſpecificam, ſive numericam; benè tamen negativam. Dicimus *formalem*; quia, illam habere tranſcendentalem, cum ſit ens reale poſitivum, nemo dubitat. *Ratio* reſolutionis eſt: Quia unitatem poſitivam in quacumque linea vocamus illam, quæ provenit ab aliquo actu ejuſdem lineæ; negativam autem dicimus, quæ provenit à carentia actus, quo differat res una ab alia, adeoque multiplicetur in eadem linea.

10 Atquì materia prima ex ſe nullum habet actum ſpecificum, neque metaphyſicum, neque phyſicum, ut ex ſuperioribus conſtat, neque quantitatem, ex cujus ſigillatione individuetur, aut multiplicetur numericè; ideo neque habet unitatem ſpecificam, neque numericam poſitivam, ſed tantùm negativam, ſeu propriùs privativam. Idem dicimus de unitate generica, quia propriè non conſtat genere, & differentia.

11 *RESP.* 2. Omnes materiæ ſublunares ſunt ejuſdem ſpeciei negativæ. *Ratio eſt* 1. Quia unitas ſpecifica negativa ſumitur ab actu adæquato, quem materia reſpicit, & non habet: Omnis autem materia ſublunaris æquè reſpicit, & appetit formas omnes vagè, & diviſivè, quibus utiquè ex ſe ipſa caret. *Secundò*: Quia nullum eſt fundamentum ad illas diverſificandas; cum omnes dicant ordinem ad eaſdem formas; inter quas, etſi detur diverſitas ſpecifica, mate-

ria

ria ex ſe non reſpicit illas, ut ſpecie diverſas; ſed præcisè quatenùs ſunt actus phyſici.

12 *RESP.* 3. Materia prima cœleſtis, & ſublunaris ſpecie negativa differunt. (1) *Ratio* eſt: Quia actus adæquatus materiæ cœleſtis eſt forma cœleſtis, cum illa, utpotè informans inamiſsibiliter, quia Cœlum eſt incorruptibile, perfectè ſatiet intenſivè, & extenſivè appetitum materiæ: actus autem adæquatus materiæ ſublunaris eſt omnis forma ſublunaris; atquì forma cœleſtis, & ſublunaris ſpecie differunt, cum ſint rationes formales diverſitatis ſpecificæ cœleſtis corporis à ſublunari: Ergò materia cœleſtis, & ſublunaris reſpiciunt actus adæquatos ſpecie diverſos, quos ex ſe non habent; in quo ſtat diverſitas ſpecifica negativa.

13 *Nec dicas*, Materiam primam cœleſtem, & ſublunarem æquè eſſe puras potentias; ergò non habent undè diſtinguantur. *Nam*, diſting. conſequen. Non habent undè diſtinguantur poſitivè, concedo; quia æquè carent omni actu: unde diſtinguantur negativè, ſeu privativè, nego; quia ſunt privatæ actibus adæquatis ſpecie diverſis, quos ex ſe reſpiciunt, & innatè appetunt.

14 *RESP.* 4. Omnes materiæ cœleſtes ſunt ſpecie negativa diverſæ. *Quia* quælibet reſpicit ſuam formam, ut actum ſibi adæquatum, cum vi incorruptibilitatis, qua gaudet, quælibet informet inamiſsibiliter; ſed omnes formæ cœleſtes ſpecie differunt, ut dicitur libro de Cœlo: Ergò. *Nec dicas*, omnes formas cœleſtes informare inamiſsibiliter, ſicut ſublunares amiſsibiliter. *Nam* ſublunares hoc ipſo habent omnes eumdem terminum adæquatum, ſcilicet omnium formarum collectionem: è contrà autem materiæ cœleſtes, ob formarum inamiſsibilitatem.

QUÆSTIO

(1) *Ita D. Thom. 1. p. quæſt. 66. artic. 2.*

QUÆSTIO III.

DE FORMA SUBSTANTIALI.

ARTICULUS I.

An, & quid ſit Forma ſubſtantialis?

1 FOrma generaliſsimè uſurpata illud dicitur, quod rem aliquam format, actuat, perficit, illique quomodolibet eſſe communicat. Dividitur *primò* in extrinſecam, quæ eſt exemplar, cujus adinſtar formatur aliquid, ut idea mente concepta; & intrinſecam, quæ rem in ſuo eſſe conſtituit, ut anima rationalis. *Secundò* dividitur in ſubſiſtentem, & informantem. Forma ſubſiſtens eſt illa, quæ per ſe ſubſiſtit abſque eo, quòd alicui inſit ſubjecto; ut Angelus: quo ſenſu Deus etiam prima forma dicitur aliquandò. Forma informans eſt, quæ in aliquo ſubjecto, quem actuat, perficitque, recipitur; ut forma equi.

2 Forma informans ſubdividitur in ſubſtantialem, & accidentalem. Subſtantialis eſt, quæ dat eſſe ſimpliciter, & ſubſtantiale; ideſt primum eſſe, aliud in eodem ſubjecto non præſupponens, ut forma plantæ. Accidentalis eſt, quæ ſubjecto ſubſtantialiter conſtituto dat eſſe ſecundum, & accidentale: ſic albedo eſt accidentalis forma, quia parieti, non eſſe ſimpliciter parietis, ſed eſſe albi communicat. De forma accidentali agemus ſequenti quæſtione, nunc agimus de ſubſtantiali; non quidem per ſe ſubſiſtenti, ſed informan-

ti;

ti ; non metaphysica , quæ dici solet formalis differentia, sed physica.

3 At verò , quid nomine formæ physicæ sit intelligendum , maximum est veteres inter , recentioresque Philosophos dissidium, ut ex his,quæ suprà (1) diximus intelligi,deprehendique potest. Corpuscularesenim (hoc nomine comprehendimus Atomistas, & Cartesianos , & quoscumque alios rerum naturam ex variis particulis , quocumque demùm nomine illas vocaverint , componentes) ut materiæ nomine particulas situ , figura, motuque varias intelligunt; sic etiam, non aliam noverunt substantialem formam, quam , aut multiplicem particularum motum à Deo in ipso rerum exordio , præter earum exigentiam , illis impressam , perpetuòque durantem ; aut vim motricem cum atomis realiter identificatam ; aut denique atomorum dispositionem , proportionem , convenientiam , & armoniam , quibus illæ inter se sic , aut aliter vinciuntur, & combinantur. (2)

4 Nam , cum atomos diversimodè figuratas , ac inæqualem habentes extensionem , motusque diversos admittant ; eas posse hac vel illa dosi diversimodè miscerí , latiùs, aut compressiùs vinciri ; ut majora quædam , alia minora corpuscula componantur , è quorum varia , ac diversimodè facta combinatione omnia corpora fiant, arbitrati sunt. Non aliter , ac artificialis forma domùs , quæ in variis lapidum, lignorumque plexu , figura , situ , atque ordinatione sita est.

5 Præter hanc tamen omnibus cujusvis generis corporibus communem combinationem , quam ideò *generalem formam* appellant , aliam admittunt plurimi (3) *specialem formam*, quamdam videlicet materiæ portionem perfectiorem, actuosiorem , & nobiliorem , quæ cæteras ejusdem compositi partes perficit , actuosioresque reddit. Sic , inquiunt , in

R homi-

(1) *Sup. q.* 1 *art.* 2. (2) *V. Tosc. tract* 3 *lib.* 1 *c.* 2 *prop.* 27.
(3) *Maig. Sang. Casim. apud Tosc. ubi sup. prop.* 27.

homine eſt anima rationalis vera, ac ſpecialis, tum corporis, tum hominis forma: ſic etiam in brutis eſt, aut ſanguis per ſubtiles ductus excurrens; aut ſpiritus celeri motu per artus diffuſi, aut ignis, vel aliud quidpiam. Hanc autem ſpecialem formam pleriſque compoſitis, iis præſertim, quæ nobiliora ſunt, ineſſe profitentur.

6 Sed longè altiùs, ſubtiliùſque ſenſit Ariſtoteles de ſubſtantiali forma, nobilioremque illius ideam nobis expreſſit, atque diſtinxit. Is enim, poſtquam veterum, Democriti præſertim, & Empedoclis, opiniones aſſerentium, omnia ex præexiſtentibus atomis, aut elementis, non alia forma, quàm congregatione quadam, & ſegregatione, aut figuræ poſitioniſque varietate diſtinctis, confutaverat: (4) admittendam eſſe, docuit, præter materiam, aliam ſubſtantiam, quæ ſit forma rerum; quia inquit: *Fieri non poteſt, ut è non ſubſtantiis ſubſtantia conſtet.* (5)

7 Eſt itaque forma ſubſtantialis, juxta univerſam Ariſtotelicorum ſententiam ſubſtantia quædam natura ſua incompleta, determinata, & actualis, de ſe apta, ut unita materiæ primæ, ipſam primò actuet, perficiat, ac determinet, atque ſimùl cum illa compoſitum naturale in determinata ſpecie phyſica, ignis, v.gr. vel plantæ conſtituat. Cum enim agens naturale, ex præſuppoſita materia ſubſtantiali compoſitum ſimpliciter efficiat; neque materiam ipſam, quæ ſuo effectu cum aliis omnibus communis eſt, valeat producere: perindè eſt, ut materiæ præjacenti partem aliam, quà illa determinetur, ac effectus ipſe in eſſe talis ſubſtantialiter conſtituatur, atque ab aliis omnibus ſecernatur, adjiciat quæ dicitur forma ſubſtantialis.

8 Atque hinc optimè appellatur *actus primus*, tum materiæ, tum compoſiti; materiæ quidem *informativus*, & compoſiti *conſtitutivus*: dicitur etiam *prima radix* proprietatum uniuſcujuſque ſpeciei compoſiti naturalis; quia omnia acciden-

(4) 1. *Phyſ. c.* 3. & 4. (5) *Cap.* 6. *text.* 52. & *cap.* 7.

dentia, quæ speciem aliquam naturaliter comittantur, ut calor ignem, à forma dimanant. Solet itaque definiri: *Actus primus materiæ primæ, cum ipsa componens unum ens per se.* Aut, si mavis: *Substantia simplex, & absoluta entis naturalis, tamquàm primus actus, constitutiva.*

NOSTRA CONCLUSIO.

9 *DICIMUS*: Forma compositi substantialis non est atomorum, aut particularum quarumlibet combinatio, & dispositio, sed substantia simplex, & absoluta, à tota materia præjacente realiter entitativè distincta. Sic Aristotelici omnes cum suo Principe Arist. (6) quem fideliter sequutus, ac legitimè interpretatus est D. Thomas asserens: (7) *Antiqui Physici non cognoverunt, nisi causam materialem; de aliis autem parùm tetigerunt: ponebant autem, formas naturales esse accidentia, sicut, & artificiales :: Et omnes hi decepti fuerunt; quia nesciverunt distinguere inter potentiam, & actum.*

10 Et alibi (8) dicit: *Democritus ponebat, principia rerum materialium esse corpora indivisibilia :: diversitatem autem rerum constituunt propter differentiam positionis, figuræ, & ordinis :: Nulla differentiarum prædictarum est substantia, neque aliquid substantiæ affine, quasi pertinens ad genus substantiæ.* Ideò, præter illas differentias, assignanda est, inquit, *causa formalis essendi, sivè substantia formalis.* Tamdem, ut innumera (9) omittamus, asserit. (10) *Forma, quæ per artem inducitur, est forma accidentalis :: Unde corpora naturalia sunt magis substantiæ, quàm corpora artificialia; sunt*

(6) 1. *Phys. cap.* 6. *&* 7. 8. *Met. cap.* 2. *lib. de gen. &c.*
(7) 1. *Physic. cap.* 6. *lect.* 2. *&* 9. (8) 8. *Met. cap.* 2. *lect.* 2.
(9) *V. g.* 1. *de Gen. lect.* 5. *&* 10. 2. *de Gen. lect.* 7. *&* 7. 8. *&* 9. *Met.* 2. *de An. lect.* 1.
(10) 2. *De Anim. cap.* 1. *lect.* 1.

enim ſubſtantiæ, non ſolùm ex parte materiæ, ſed etiam ex parte formæ.

11 *PROB.* 1. Concluſio: Niſi admittatur forma entitativa ſubſtantialis, nullum dari poteſt ſubſtantiale compoſitum; ſed hoc eſt evidenter falſum: Ergò. Majoris ſequella *prob.* 1. Niſi admittatur formale conſtitutivum compoſiti ſubſtantialis, nullum dari poteſt ſubſtantiale compoſitum; ſed formale conſtitutivum compoſiti ſubſtantialis debet eſſe forma entitativè ſubſtantialis: Ergò. Prob. min. Compoſitum ſubſtantiale eſt formaliter entitativum; ſed à ſuo ipſius formali conſtitutivo convenit ipſi formalis denominatio: Ergò.

12 *Prob.* 2. primæ maj. ſequella: Nullum admitti poteſt compoſitum ſubſtantiale, niſi admittatur ſubſtantialis ſpecifica diſtinctio inter plura entia naturalia, v. gr. inter aurum, & ferrum; ſed formalis ſpecifica diſtinctio ſolùm provenit à forma entitativè ſubſtantiali: Ergò. Prob. min. Quælibet forma, quæ non ſit entitas ſubſtantialis, aut erit accidentalis, aut ſubſtantialis modificatio; atqui, ſi accidens ſit, nequit ſpecificam ſubſtantialem præſtare diverſitatem, ut clarum eſt; &, ſi ſubſtantialis ſit modificatio, nequit per illam unum ab alio ſubſtantialiter entitativè differe, ut debet, ſed purè modaliter: Ergò.

13 *Reſp.* Atomiſtæ: (11) Compoſitum ſubſtantiale non ex partibus, quarum utraque ſit entitas ſubſtantialis, coaleſcere; ſed ex his, quorum altera ſit ſubſtantialis entitas, materia nempè, ſeu atomi; altera purè modalis, diverſa nimirùm atomorum diſpoſitio, combinatio, & armonia; ut, quemadmodùm è diverſis lapidum, & lignorum poſitione, & figura abſque ulla prorſus ſuperaddita forma entitativa, domùs, aut turris efficitur, atque ab aliis artefactis ſecernitur; ſic etiam ex diverſa atomorum diſpoſitione, diverſum efficitur ſubſtantiale compoſitum; eaque diſpoſitione, quà

(11) *P. Toſc. pro.* 27. 29. & 30.

quà tali, constituitur, & ab aliis corporibus specificè diversificatur.

14 *Impug.* 1. solutio: Si forma substantialis consisteret in diversa atomorum dispositione, combinatione, & armonia, nulla esset specifica, & essentialis diversitas inter artis opera, & naturæ, inter compositum substantiale, & accidentale; sed hoc esset temerè rerum naturas confundere: Ergò. Patet maj. Siquidem artis opera utique consistunt in varia partium substantiæ textura, & dispositione. *Resp.* (12) Composita substantialia etiam esse artificialia, cum opera naturæ sint Divinæ artis artefacta: neque aliter differre, nisi quatenùs ars agit circa materiam sensibilem, natura verò circa insensibiles atomos.

15 *Contrà*: Nam, juxta solutionem, eò solum differunt opus naturale, & artificiale, quòd illud circa insensibilem materiam versetur, hoc autem circa sensibilem: at verò ex parte formæ, sicut ars procedit per partium combinationem, texturam, & armoniam, ita natura; etsi subtiliori modo procedat; sed hæc nulla est diversitas specifica, & essentialis: Ergò. Patet min. Nam, materiam esse sensibilem, aut insensibilem solùm procedit ex majori, aut minori atomorum congerie; formalem itidem dispositionem esse rudiorem, aut subtiliorem, est differentia penes magis, & minùs, quæ non variat speciem, ut omnibus ratione utentibus est manifestum.

16 *Conf.* Juxta solutionem non magis differunt compositum naturale, & artificiale, quàm statua ruditer sculpta, à subtiliter exarata; non aliter, inquam, nisi quatenùs differunt imago ingenioso, subtilique penicillo in debilissima papyro depicta, ab imagine rudi Minerva, rudique linteo coloribus expressa; sed hæc, aliaque similia specificè conveniunt in esse artificiali: Ergò. *Urg.* Cur horologium non est compositum naturale? Num, quia non Dei, sed hominis

(12) *Tosc. prop.* 27.

nis est opus ? Ergò, si Deus solus illud efficeret, esset compositum substantiale. An, quia minùs artificiosum, quàm ens naturale ? Ergò hoc ipso erit ens naturale, cum sit magis, quàm domus, aut turris artificiosum. Estnè, quia fit ex materia sensibili ? Utiquè planta è sensibili semine procreatur.

17 *Si dicant*: (13) Magis, & minùs speciem variare, quoties sensibiles dispositiones sensibiliter variantur : *Infer*: Ergò fructus maturi essentialiter, & specificè à se ipsis virescentibus differunt ; cum herbaceum colorem amisserint, quantitatem auxerint, figuram non rarò, odorem sæpè, saporemque mutaverint : Ergò etiam homo senex à se ipso puero specie differt ; cum ita accidentales commutaverit dispositiones, ut vix idem appareat, quibus vissus est puer. Quibus nihil absurdiùs unquàm excogitari potuit. *Adde*: dispositiones singulas esse substantiæ, aut saltem materiæ accidentales, cum possint esse, aut abesse absque ejus destructione : Ergò illius variatio essentialis non pendet à sensibili dispositionum varietate.

18 *Urg.* Inter ceram duram, & mollem, inter mollem, & liquidam, nulla est substantialis specifica distinctio; Ergò neque inter ceram liquidam, & evaporatam, seu in vapores resolutam ; *tum*, quia non apparet minor figuræ, situs, dispositionis, & texturæ diversitas inter duram, & mollem, quàm inter liquidam, & evaporatam : *tum* etiam, quia cerei vapores re vera sunt entia naturalia ex variis atomis eamdem, quam antea habebant, servantibus texturam, & dispositionem ; atquì cera evaporata atomorum congeriem habet eò usque diversam, ut in ipsa jam non appareant eædem sensibiles effectiones, quas antea habebat: Ergò.

19 *Impug.* 2. principalis solutio posita *num.* 13. Ex diversa atomorum textura, & dispositione, nulla infertur substan-

(13) *Mart. Mart. Dial.* 3.

ſubſtantialis, aut eſſentialis diverſitas inter lapidem, & lignum: Ergò. Prob. ant. Diverſitas lapidis à ligno eſt entitativa, & ſubſtantialis; ſed hujuſmodi diverſitas nequit ab illa atomorum diſpoſitione provenire: Ergò. Min. patet; nam illa diverſa diſpoſitio accidentalis eſt, vel adſummùm eſt modalis ſubſtantialis; accidens autem ſolùm accidentalem, & modus ſubſtantialis modalem ſubſtantialem inducere valet diverſitatem; ſecùs autem ſubſtantialem entitativam.

20 Prob. maj. Major eſt differentia, major diverſitas inter lapidem, & lignum, quàm inter ceram quadratam, & rotundam, aut inter aquam fluidam, & gelidam; ſed hæc differunt modaliter, & quidem veſtro diſcurrendi modo ſubſtantialiter: Ergò. *Conf.* Figura, ſitus, diſpoſitio, & combinatio non aliter ſubſtantiales ſunt, niſi quatenùs modificant ſubſtantiam; ſed quadrificatio, pyramidificario, ſeſsio, ſtatio, & curſus modificant quoque ſubſtantiam: Ergò non plùs differunt ratione diſpoſitionis, & combinationis lapis, & lignum, quàm cera quadrata, à pyramidata, quàm etiam homo currens à ſtante, aut ſedente.

21 *Urg.* Juxta Contrariorum ſyſtema non aliam diverſitatis ſpeciem ſecum afferunt aurum, & plumbum, quàm intervenientem inter parietem, & parietem, quorum alter ex lateribus diverſimodè figuratis, atque ſic ordinatis; alter verò ex ſimilibus, aut diſſimilibus lateribus aliter diſpoſitis extructus; ſed nemo unquam inter illiuſmodi parietes ſubſtantialem agnovit, niſi liberè, & pro libito, diverſitatem: Ergò. *Urg.* 2. Juxta plures Adverſariorum, atomi inter ſe ipſas ſunt diverſimodè figuratæ, atque diverſis motibus citæ; ſed diverſitas in figura, & motu non affert atomis ſubſtantialem diverſitatem, juxta illos, qui atomos dicunt homogeneas, ejuſdemque ſpeciei: Ergò pariter.

22 *Nec* recurras cum aliquibus ad hæterogeneas ſpecieque

que diverſas atomos : *Nam* plura mixta , quæ conſtat ſpecie diſtingui , v. gr. lupus , & ovis , non differunt in atomorum ſubſtantia , ſed in earum armonia , & diſpoſitione ; præſertim , ſi lupus ſolis nutriatur ovibus ; cum unumquodque iiſdem conſtet , quibus nutritur , clamantibus Adverſariis: (14) Ergò non alia cauſa ovis ſpecificè non eſt lupus , niſi ob figuræ, ſitus , & diſpoſitionis diverſitatem. *Nec* recurras inſuper ad diverſam vim motricem atomis impreſſam , & ab illis indiſtinctam : *Quia* , cum ab atomis ſit indiſtincta ; diverſitas , quæ ab atomis provenire non poteſt, neque ab illa virtute motiva valet provenire.

23 *Nec* tandem proderit effugium ad illam ſpecialem formam , de qua *num.* 5. Ea enim , ut ejus Authores fatentur , nihil eſt aliud , niſi quædam actuoſior , & nobilior materiæ , ſive atomorum portio ; atqui ea major perfectio, majorque actualitas non aliundè provenire poteſt , negata ſubſtantiali entitativa forma , quàm à perfectioribus atomis hæterogeneis, aut à perfectiori quarumdam homogenearum atomorum diſpoſitione : Ergò, ſi ad ſubſtantialem diſtinctionem , neque diverſa atomorum diſpoſitio, neque hæterogeneitas ſufficit , ut non ſufficit re vera, neque ſufficit illa ſpecialis forma.

24 *PROB.* 2. Concluſio: In generatione ſubſtantiali, producitur forma ſubſtantialis entitativa : Ergò. Prob. ant. In generatione ſubſtantiali aliquid ſubſtantiale denuò producitur ; ſed non materia ſubſtantialis: Ergò, *Reſp.* 1. (15) Contrarii , agentia creata , nec materiam, nec formam producere , ſeu generare ; ſed compoſitum : idque ex Ariſt. & D. Thoma auſi ſunt confirmare. *Reſp.* 2. (16) per ſubſtantialem generationem non produci novam ſubſtantiam ; ſed tenuiſsimas veteris ſubſtantiæ partes novo quodam ordine ita

(14) *Maig. cap* 21. *num.* 8. *& cap.* 22. *num.* 22.
(15) *P. Toſc. tract.* 3. *lib.* 1. *cap.* 2. *prop.* 9. 30. *&* 36.
(16) *P. Corſ. tract.* 1. *Phyſ. diſp.* 4. *cap.* 2. *n.* 3. *& cap.* 4. *n.* 7.

ita permiſceri, diſponi, & conjungi, ut exindè nova ſenſibilium proprietatum congeries, quæ ſenſibus noſtris novam ſubſtantiam à veteri ſubſtantia ſenſibiliter diverſam exhibet, exoriatur.

25 *Impug.* prima ſolutio: Implicat produci compoſitum, quin aliqua ejus pars producatur, aut de novo uniatur præexiſtenti, ut in hominis generatione contingit; ſed, per te, in ſubſtantiali compoſiti generatione nulla partium de novo producitur, aut nova aliqua entitas unitur præexiſtenti: Ergò. Prob. maj. Niſi aliqua nova pars, aut de novo producatur, aut de novo uniatur compoſito, nihil entitatis acquirit illud per generationem; ſicut nihil per corruptionem amittit, ſi nulla illius pars corrumpitur, aut ſeparatur; ſed compoſitum nihil entitatis acquirens, & amittens, nec propriè generatur, neque corrumpitur: Ergò.

26 Quòd attinet ad Ariſt. & D. Thomam, verum quidem eſt, eos plurimis in locis (17) aſſerere, ſubſtantialem formam propriè non produci, ſeu fieri, quatenùs *fieri* ſumitur pro *componi*, ut textum legenti patebit. De cæterò autem *Formæ corporales, quas in prima productione corpora humana habuerunt, ſunt immediatè à Deo productæ*:: *Sic igitur formæ corporales cauſantur, non quaſi influxæ ab aliqua immateriali forma; ſed quaſi materia reducta de potentia ad actum ab aliquo agente compoſito.* Unde, licet formæ non generentur, aut corrumpantur, *ut quod*, ſeu ſecundùm ſe ipſas, generantur, & corrumpuntur, *ut quo*, *compoſitis generatis, aut corruptis.* (18) *Sicuti accidentia, & formæ, & hujuſmodi, quæ non ſubſiſtunt, magis ſunt coexiſtentia, quam entia, ita magis debent dici concreata, quàm creata.* (19)

27 *Impug.* jam ſecunda ſolutio, ad quam confugiunt tandem Authores primæ ſolutionis: Vel nova illa earumdem partium diſpoſitio, & combinatio, ſubſtantialis ſit, aut ac-

 acciden-

(17) 7. *Met. text.* 64. *lect.* 7. *apud Toſc. prop.* 9.
(18) *D. Thom.* 1. *p. q.* 65. *art.* 4. (19) *Idem ibi, q.* 45. *ar.* 4.

cidentalis, eſt aliqua vera entitas à materia diſtincta, vel non ? *Si primum* : Nihil erit obſtans, quominùs illa dicatur forma entitativa, & ſubſtantialis. *Si ſecundum* : Ergò compoſitum, dum producitur, nihil propriæ entitatis acquirit, ſed tota illius entitas præſupponitur ante generationem : Ergò compoſitum fiet ex ſe toto entitativè; quod eſt inauditum.

, 28 *Conf.* Si per generationem ſubſtantialem nihil entitatis producitur, ſolùmque fit ſenſibile, quod nullatenus, aut non ita ſentiebatur, detegitur, quod latebat, redditurque de ſtatu diſperſionis, ad collectionis, & combinationis ſtatum; non magis erit generatio ſubſtantialis, quàm diſperſorum militum collectio, & ordinatio, ſive eorum mutatio de quadro in circum, aut de occulto loco in apertum campum repentinus exitus; vel non magis, quàm horologii è diverſis rotis compoſitio, cui lamina calybea *ſua elaſticitate toti illi corpori organico motum tribuit ordinatiſſimum: ideòque eſt præcipua horologii forma, ac veluti anima.* (20)

, 29 *Urg.* Nam inde ſequeretur, agens creatum ſolo locali motu atomos ordinans, ſeu diſponens, operari : atquì Maignanus (21) expreſsè docet, *Motum non eſſe aliquid phyſicè ante opus mentis diſtinctum à movente, à quo eſt, & à mobili, cujus eſt, & à ſpatio, in quo eſt* ; juxta Carteſium, totus fuit à Deo in ortu mundi citra exigentiam materiæ, quæ deinceps nihil aliud præſtat, quàm illum pati, & deponere: apud Atomiſtas, (22) in omni corpore ita eſt ad motum indifferentia, ut non valeat motum elicere propria virtute, ſed illum debeat à Deo, vel ab alio motore ſpirituali recipere : Ergò Agens creatum nihil omninò agit, ſed merè paſsivè ſe habet, aut receptivè in quacumque operatione.

, 30 Id autem aſſerere de agentibus liberis expreſsè damnatum eſt apud Tridentinum; (23) & de agentibus neceſſa-

r iis,

(20) *Toſc. cap. 2. prop. 34.* (21) *Phil. Nat. cap. 10. prop. 20.*
(22) *Toſc. tract. 3. lib. 5. cap. 1.* (23) *Seſſ. 6. can. 4.*

riis, absurdum. *Nec* impactio, qua unum corpus aliud impellit, dici potest actio physica movendi propria impacti corporis: quia nec est à virtute, seu exigentia ipsius corporis ratione sui, sed ratione motus aliunde recepti; nec causat physicè motum corporis percussi, sed tantùm exigit, ut Deus causet; sicut materia debitè organizata, & disposita à Deo exigit animæ creationem.

31 *Urg. insuper*: Dum ex semine generatur planta; incredibile est, tantam entitatem, tantamque diversam atomorum congeriem, quanta tota arbor constat, hujusque procreabiles fructus, & rami, imò quotquot ex fructibus illis seminandis, iisque ramis plantandis, atque inserendis arbores, & fructus gigni, procrearique possunt, sub minimo seminis granulo contineri. Sin autem; non erit difficile dictu, è grano sinapis mundum alterum per varias illius atomorum combinationes construi posse. Si arboris semini terræ atomos adjungas: junge itaque grano sinapis terræ, marisque atomos, & ex illo Orbem Terraqueum procreabis.

32 *Tandem*: Quoties evenit, hominem vehementissimum animi eoùsque subire deliquium, ut nova jam sensibilium cadaveris proprietatum congeries, nullo vitæ sensibili signo manente, quo vel peritissimi Medici vivum dijudicent corpus illud, nostris sensibus obversetur? Numquid eo ipso nova est jam facta generatio cadaveris; cum potiùs sæpissimè corpus illud non sit exanime? Ergò substantialis generatio cadaveris non in eò consistit, quòd partes corporis ita alterentur, ac disponantur, ut exinde nova proprietatum sensibilium congeries exoriatur

33 *Impug.* aliter secunda solutio posita *num.* 24. Corruptio substantialis nequit consistere in mera partium substantiæ, sive atomorum separatione, & dissolutione: Ergò neque substantialis generatio in earum nova conjunctione, & ordinatione. *Prob. ant.* 1. Juxta Maignanum, Elementorum atomi dissolvuntur, ac segregantur ad mixtorum ge-

nerationem ; quin tamen ideò corrumpantur elementa : Prima etiam materia , ſive atomorum cumulus in rerum exordio à Deo productus , juxta Gaſſendiſtas , diviſa fuit adeò, ut ejus particulis varia mixta generarentur ; at neutiquàm ſuam materiam corruptam fuiſſe , dicent : Materia demùm illa apud Carteſium à Deo diviſa in particulas proximè inter ſe æquales , atque hæ in ramenta varia comminutæ, numquàm eo ipſo corrumpi dicta ſunt à Carteſianis : Ergò.

34 *Prob. 2. illud ant.* Quando mixtum ex aqua , & oleo ita revolutis , ut viſu diſcerni non poſsit inter utrumque , in utrumque reſolvitur ; nihil ſubſtantiale corrumpitur : Ergò. *Urg.* Ex viſualibus , ſenſibilibuſque experimentis naturæ arcana , & phænomena explicare nituntur Corpuſculares ; ſed vident oculis , manibus attrectant, lignum , v. gr. etſi minutiſsimis ramentis abſciſum , ſemper ligni ſervare naturam : Ergò , quamtumvis ipſum imaginatione deprehendant in ramenta ſuprà ſenſum minutiſsima comminutum ; genuina ratio eos , velint nolint , appellit , ut ſub illis minutiſsimis atomis veram ligni naturam imaginentur , quoùſque ratio quidditatatis , ſeu forma entitativa corrumpatur.

35 *Impug.* 3. principalis argumenti ſolutio : Si generatio ſubſtantialis eſſet ſola materiæ diſpoſitio , aut atomorum diverſa à præexiſtenti copulatio ; poterit Angelus propriis viribus quodlibet animal generare : cum enim cujuſlibet animalis ſtructuram perfectè noverit, ubinam etiam lateant atomi ſeminales ; facilè eas poterit ita colligare , prout ad animalis generationem exigitur. *Imò* hominis etiam corpus eodem modo efformare poterit in materno utero, cui naturæ legibus deberetur anima rationalis ; aut maneret corpus ſenſitivum , & brutum. *Quidni* etiam quamlibet aliam , aut cæteras omnes creaturas corporeas multò faciliùs efformare poſſet?

36 Ecce jam Angelus totius mundi corporei Fabrica-

tor,

tor, & Author, cui facillimum esset corpusculis omnibus debitum motum imprimere ad illam texturam, & armoniam, quam Atomistæ requirunt pro rerum omnium efformatione: *Et*, quid refert, si Angelus primam materiam creare non possit, ut rerum artifex, & verè Author esse posset, dummodò è materia à Deo producta singula posset producere: sicut domi verè esset Author, & Artifex, qui ex præparatis lapidibus, & lignis ipsam extrueret. At sequella ista cui non videtur absurda?

137 Sed, qui talia posset, cur non posset etiam canem mortuum suscitare; cum posset dispersas atomos iterùm eademque textura colligare, vitalesque spiritus, aut igneas particulas, quibus texebatur canis anima, iterùm conducere? Cur non posset etiam naturali virtute repentè curare cæcos, surdos, mutos, & ægros quoscumque; cum eorum infirmitas unicè stare posset in aliqua atomorum dissolutione? *En*, ut nullum esset miraculosum opus, cum hæc jam fieri possent naturaliter; aut ecce jam Angelorum Authorem supernum, cujus est solùm mirabilia adeò perficere.

138 *PROB.* 3. Conclusio multipliciter. *Primò*: In brutis datur forma substantialis, à materia realiter entitative distincta: Ergò etiam in aliis compositis substantialibus. Conseq. tenet à paritate. Prob. ant. In homine datur anima rationalis realiter entitativè à materia distincta: Ergò. Tenet conseq. quia materia, dispositio, & armonia ejusdem, aut similis rationis est in homine, ac in bruto: imò perfectior est in homine, quin ideò sufficiat ad hominem constituendum. *Deinde*: corpus humanum nullam vitalem exercet operationem independenter ab anima ex præcisa atomorum dispositione; alioquin illa non esset vera forma corporis, prout definit Concilium Lateranense: Ergò pariter. Sed de his iterùm in lib. de Anima redibit sermo.

139 *Secundò*: Experientia testatur, composita naturalia suas habere speciales proprietates, quas, si vi agentis extrinseci

trinseci dimisserit, statim recuperat, ac extrinsecum agens removetur: sic aqua, igne depulso, pristinam recuperat frigiditatem; leo etiam, humore maligno cessante, salutem reparat: atquì evenire id aliter non potest, nisi aliqua sit pars naturalis ejusmodi radicans, & exigens proprietates, quæ esse nequit communis omnium materia, quin communes sint rebus omnibus proprietates ipsæ: Ergò debet esse forma substantialis.

40 *Si respondeas* (24) sanitatem eò recuperari, quòd humor, morbum inducens, expellatur; & aquam ideò frigiditatem restaurare, quia igneæ particulæ ejus calorem efficientes, procùl pelluntur. *Agè*: Quonam impellente, aufugit humor ille; &, quonam extrinseco procurante, exulat ignis, ut expoliatam recuperet aqua frigiditatem, nisi adsit principium intrinsecum id exigens, & jus fundans, ut leoni sanitas, aquæ frigiditas restituatur? Licet enim atomi diversimodè figuratæ conditiones esse possint, ut sunt rotarum figuræ in horologio: sicut autem istæ non sunt per se activæ, sed instrumenta, quibus agit nativa vis ponderis, aut virtus elastica laminæ calibeæ; ita illæ instrumenta, & conditiones erunt, quibus vis naturalis specialissima, & substantialis operetur.

41 Atque hinc *colliges* 1. Formam substantialem non solùm esse veram entitatem à materia ex parte rei distinctam, verùm etiam entitatem absolutam, non purè modalem; quia puris materiæ modificationibus nequit tanta vis, & activitas attribui, quanta convenit naturæ specificæ, primæque radici proprietatum, & operationum compositi: sunt enim modi tenuissimæ entitates materia utique imperfectiores, quibus, licet specifica diversitas utcumque salvari posset, ut in artificialibus, dummodò veræ entitates substantiales essent; quin tamen sint absolutæ, agentium activitas, & specifica naturæ nobilitas salvari non potest.

Colliges

(24) *Tosc. lib. 1. cap. 2. propos. 36.*

142 *Colliges* 2. Formam ſubſtantialem nedùm eſſe entitatē abſolutam, ſed verè ſubſtantialem; non accidentalem, ut nonnulli ex Peripateticis opinavere. Sicut enim modali forma entitativa diverſitas inter ſubſtantias ſalvari non poteſt; ſic etiam per formam accidentalem fieri non poteſt, ut illæ differant ſubſtantialiter. *Inſuper*: In tranſubſtantiatione Euchariſtica non ſola materia prima, quæ ex ſe panis non eſt ſubſtantia, ſed forma etiam in Corpus Chriſti convertitur; at convertitur tota ſubſtantia panis, manentibus dumtaxat ſpeciebus, ut Tridentinum (25) definit: Ergò forma panis, atque alia quælibet, cum una ſit omnium ratio, eſt entitas ſubſtantialis.

SOLVUNTUR ARGUMENTA CONTRARIA.

43 ARGUES 1. (26) Ariſtoteles multis in locis docet, formam *non fieri*, nec *generari*; &, omne quòd fit, eſſe compoſitum: D. Thomas etiam docet, quòd *forma non generatur, neque fit, niſi per accidens*, nec *propriè habet eſſe*. Atquì, ſi forma eſſet vera entitas abſoluta à materia præjacente diſtincta, verè fieret, generaretur, haberetque eſſe: Ergò. *Conf.* Forma appellatur ab Ariſtotele *ratio eſſentiæ*, ſeu *quidditatis*, diciturque eſſe *anum*, *ut ordo*, *& muſica*: Ergò forma conſiſtit in habitudine, & proportione; non in abſoluta entitate.

44 *Ad arg. reſp.* apud Ariſtotelem, & D. Thomam *fieri*, & *generari* non ſumi pro qualibet veræ entitatis productione, ſed tantummodò ſonat productionem entis per ſe ſubſiſtentis, nempè ſuppoſiti, ſeu compoſiti, quòd ſolùm propriè dicitur eſſe, ſeu habens eſſe, apud D. Thomam; (27) atque ideò forma non dicitur propriè eſſe, nec fieri, ſed confieri, ſeu fieri per accidens, non per ſe, quatenùs *per ſe fieri*

(25) *Seſſ.* 13. *can.* 2. (26) *P. Toſc.* 1. *Phyſ. cap.* 2.
(27) *Quæſt.* 3. *de Pot. artic.* 1.

fieri ſignificat fieri per modum ſubſiſtentis ; ſeu , ut aliis terminis explicari ſolet , non fit per ſe , *ut quod* ; benè verò , *ut quo*. Cæterùm , in rigore loquendo, *forma tota præexiſtit in potentia , & poſtmodùm tota producitur in actu* ; ut totidem verbis docet D. Thomas. (28)

45 *Dices* : Si forma ſubſtantialis verè producitur , vel producitur per creationem , quod negamus ; vel per generationem , quod negat D. Thomas cum Ariſtotele. *Aliter*: Forma non ſolùm eſt id , quo compoſitum habet tale eſſe, ſed etiam habet in ſe ipſa aliquod eſſe , ſi eſt entitas abſoluta: Ergò. *Reſp.* quod *forma exiſtit in eſſe per generationem* : (29) actio autem , qua producitur , quæ ſimùl eſt generatio compoſiti, & eductio formæ , non denominat formam *generatam*, ſed *eductam* : eò quod *geniti* denominatio ſoli compoſito propriè attribuatur.

46 *Ad alteram inſt.* reſp. formam eſſe id , quo compoſitum habet eſſe completum ; habet autem in ſe ipſa eſſe incompletum : Unde in eſſe completo , quod ſolum abſolutè, & ſimpliciter dicitur *eſſe* , habet eſſe *ut quo* ; *ut quod* autem in eſſe incompleto. Sicut , juxtà D. Thomam, (30) nec materia propriè dicitur fieri , ſeu creari : at nullus Atomiſtarum dicet , materiam primam non eſſe entitatem abſolutam per ſe creatam , ſed purè modalem. *Imò* nomen *geniti* , aut *generati* in rigore extendi poteſt ad illud omne , quod incipit eſſe virtute agentis creati , ut authores ſunt Ariſtoteles , & D. Thomas. (31)

47 Ad conf. reſp. quòd *forma ratio nominatur* , *quia ex ipſa ſumitur ratio ſpeciei*; (32) quatenùs quærenti , cur hoc, v. gr. ſit lapis , & non aurum ; redditur pro ratione forma lapidis. Dicitur autem forma *unum* , *ordo* , *muſica* , aut *diapaſon* , id eſt conſonantia , ex more Philoſophi paſſim explicantis

(28) *Ibid. art.* 8. *ad* 10. (29) *D. Thom. ubi ſup. art.* 9.
(30) *Quæſt.* 3. *de Pot. art.* 1. *ad* 12.
(31) 1. *De Cœlo, tex.* 113. *lec.* 24. (32) *D. Thom.* 8. *Met. lect.* 1.

cantis formam substantialem exemplo, & analogia formæ accidentalis, & artificialis: *Quia formæ substantiales, cujusmodi sunt formæ corporum naturalium, sunt latentes, manifestat hoc per formas artificiales, quæ sunt accidentales :: quia formæ artificiales accidentia sunt, quæ sunt magis nota, quoad nos, quàm formæ substantiales.* (33)

48 *ARGUES* 2. (34) Formæ substantiales peripateticæ sunt prorsùs inutiles: Ergò. *Prob. ant.* 1. quia nullum physicum experimentum, nullum naturæ phænomenon earum ope explicari potest. *Secundò*: quia sunt illarum vires occultæ, nec qualiter operentur, explicari potest. *Tertiò*: quia virtus, quæ his formis tribuitur, faciliùs atomis attribui potest, quin entitates frustrà multiplicentur. *Quartò*: quia posita corporea ordinatarum atomorum, sive cujusvis generis particularum molle; salvatur quidquid est de ratione compositi naturalis.

49 *Resp.* neg. ant. Nam formas entitativas substantiales, nedùm utiles, sed necessarias esse, nostra suadent argumenta. *Ad* 1. *prob.* nego ant. imò potiùs, sublata forma peripatetica, tollitur compositum naturale, ipsaque rerum natura, hujusque substantiales generationes, & corruptiones, ac proindè omnis naturalis philosophia, cujus objectum est ens naturale; ut ex probationibus constat. Licet ergò sine recursu ad substantialem formam plura Atomistæ explicare velint anatomicè, & integraliter; nihil tamen philosophicè, & naturaliter, per recursum videlicet ad primas causas intrinsecas; ne invenire cogantur materiam, & formam peripateticam.

50 *Ad secundam* resp. formarum vires esse occultas, quatenùs per se immediatè sensibus principi non possunt; *quia nulla forma substantialis est sensu perceptibilis, sed solùm intellectu*: (35) manifestantur autem per effectus sensibiles; ut

T virtus

(33) D. *Thom.* 2. *de Anim lect.* 2. (34) *P. Tosc. ubi sup.*
(35) D. *Thom.* 1. *de Gen. lect.* 7.

virtus formæ ignis per calorem, & formæ aquæ per frigiditatem. Modus autem operandi, aut est per veram actionem, aut per simplicem emanationem, quibus nihil clariùs Peripateticis. Neque aliter noverant Atomistæ, aut potiùs fixerant ignis naturam, nisi per calorem; ideo enim inferunt ignem atomis longis, seu rotundis componi, quia ejus tactu patitur corpus divisionem. Et sic de aliis discurrunt.

51 *Ad tertiam*, nego ant. Nam atomis, quibus ne ad motum quidem virtutem intrinsecam tribuunt, sed illum habere volunt à motore spirituali, quamnam virtutem, ut propriam, attribuere possunt? *Deinde*: Cum omnes ejusdem indolis sint, atque naturæ, quonam pacto ipsis concedi potest tanta virtutum varietas, quantam in rebus ipsis experimur? *Et*, si atomos hæterogeneas cum Maignanistis admittas; iisdem ad motum tantùm localem, quæ sit tota agendi ratio, virtutem esse, fatearis, necesse est. At, cum motus, juxta Maignan, non sit ex natura rei ab atomis, & loco distinctus, ad nihil re vera concedis virtutem atomis.

52 *Ad quartam*, nego ant. Quia in primis illa atomorum, particularumve moles non magis est substantiale compositum, quam lapidum acervus, aut horologium rotis variè figuratis, combinatisque compositum: non magis est mixtum, quàm massa ex caseo, farre, atque zacaro concreta; aut non aliter, quàm frustrum ex melle, amigdalis, & farina; non autem propriè, & naturaliter, quo sensu mixtum est compositum ex materia prima elementi, & nobiliori forma.

53 *Deinde*: Per solam atomorum dispositionem, & armoniam nullus effectus explicari potest, nisi anatomicè mechanicè, & more artificiali; non physica, & naturali methodo, immediatè nimirùm per causas proximas, & mediatè, ac ultimò per prima, & radicalia rerum naturalium principia. Nam, si ab ipsis exquiras, quare ignis, & non aqua calefacit: ideò, inquiunt, quia constat atomis oblongis,

gis, aut rotundis sic dispositis, ut materiæ combustibilis divisione sint idoneæ. At, si iterum quæras, cur hujus, & non alius configurationis atomi ad ignem componendum fuerint aggregata, nullam causam intrinsecam invenire poterunt, confugientque absdubio ad sacrum Divinæ Providentiæ templum, ut ibi atomos impunè cogitent, utque ab antiquorum Atomistarum erroribus occultentur.

54 *ARGUES* 3. Forma substantialis Aristotelica, excepta anima rationali, est materialis, & corporea: Ergò potiùs est materia, quàm à materia entitativè distincta. Prob. conseq. *Tum*; quia omnis substantia immaterialis, & incorporea est spiritus: Ergò à pari. *Tum* etiam; quia inter materiam, & spiritum non datur medium: Cum ergò forma materialis non sit spiritus, erit materia. *Conf.* 1. Illa forma, si materialis est, & corporea, erit quanta, & extensa: Ergò erit corpus cum materia impenetrabile.

55 *Conf.* 2. Illa forma substantia est, ut asserimus; aliunde non est substantia: Ergò. *Prob. min.* 1. Si esset substantia esset quidem completa; sed hoc per nos falsum est: Ergò. Prob. maj. Si esset substantia, ipsi conveniret substantiæ definitio; at, si illi convenit substantiæ definitio plenè, & completè substantiæ naturam habet, sicut est plenè homo, cui convenit hominis definitio: Ergò. *Prob.* 2. *prima min.* Forma materialis nequit per se existere, & sine subjecto: Ergò non est substantia, cui debetur per se existere.

56 *Ad arg.* nego consequent. nisi materiæ nomine capias quidquid est à materia per se dependens. *Ad conseq. prob* nego primam paritatem: quia omnis substantia immaterialis, & incorporea est substantia intellectiva, cum immaterialitas sit ratio à priori intellectivitatis, ideòque spiritus est: at verò materiale, & corporeum est, quidquid à materia pendet, estque cum quantitate naturaliter conexum; potestque optimè dari substantia, quæ sit à materia dependens, quin sit primum subjectum, seu materia. *Ad* alteram prob.

nego ant. Siquidem intellectio, volitio, gratia, charitas, aliaque hujuſmodi, neque materia ſunt, neque ſpiritus, ſed accidentia ſpiritualia; ità non repugnat ſubſtantia à materia diſtincta, & ab illa dependens, ſitque non-ſpiritus, aut materia, ſed ſubſtantia materialis.

57 *Dices*: Quare forma lapidis dicitur materialis? An, quia naturaliter unitur materiæ? Ergò anima rationalis erit materialis, quia unitur materiæ, & materia erit ſpiritualis, quia unitur animæ. An, quia nequit naturaliter exiſtere ſine materia? Ergò etiam materia erit formalis, & accidentalis, quia nequit ſine forma, & accidentibus exiſtere. *Urg.* Forma lapidis eodem modo eſt materialis, quo eſt ſubſtantialis; ſed ita eſt ſubſtantialis, ut ſit entitativè ſubſtantia; ergò ita eſt materialis, ut ſit materia.

58 *Ad inſt.* reſp. Formam lapidis dici materialem, non præcisè, quia unitur materiæ; non quia ſine materia exiſtere non poteſt; ſed, quia exigit in eſſe, fieri, & conſervari à materia dependere; ſicut ſpirituale eſt, quod à materia exigit independentiam: ſic autem, nec anima à materia, nec materia ab anima dependet. At verò, licet materia exiſtere non poſsit ſine forma, & accidentibus, dici non debet *formalis*; aut *accidentalis*; nam ens formale ſignificat, quod gerit munus formæ, & accidentale, quod eſt, aut includit accidens. *Et*, ſi quid valet argumentum, cur veſtra materia non dicitur modalis, cum ſine modo, figura ſaltem, non poſsit exiſtere?

59 *Ad urg.* inſto arg. Forma atomiſtica ita eſt materialis, ſicut eſt modalis; ſed ita eſt modalis, ut ſit modus. Ergò ita eſt materialis, ut ſit materia? *Iterùm*: Intellectio eodem modo eſt ſpiritualis, quo eſt vitalis, ſed ita eſt vitalis, ut ſit vita: Ergò ita eſt ſpiritualis, ut ſit ſpiritus? *Reſp.* itaque, nego maj. Quia forma lapidis ita eſt ſudſtantialis, ut ſit quidditas ſubſtantiæ ſubſtantivè: at non eſt ita materialis, ut ſit quidditas materiæ ſubſtantivè, ſed ſolùm adjectivè, id eſt à materia dependens. *Reſp.*

60 *Resp. jam ad* 1. *Conf.* positam *num.* 54. dist. antec. erit quanta, & extensa per se ipsam, vel per quantitatem, & extensionem sibi propriam, & peculiarem, nego ant. per quantitatem, & extensionem sibi, & materiæ communem, concedo ant. & nego conseq. Quantitas enim solùm reddit substantiam impenetrabilem cum alia substantia distinctam habente quantitatem. Materia autem, & forma seorsim sumptæ, licet corporeæ sint, non sunt corpora; quia corpus propriè, & simpliciter dictum est substantia completa exigens quantitatem.

61 *Ad* 2. *Conf.* nego min. *Ad* 1. *prob.* dico formæ materiali convenire definitionem substantiæ, non prædicamentaliter sumptæ, quo sensu significat substantiam completam; sed sumptæ quasi transcendentaliter, prout significat *ens per se* perfectate oppositæ *inalietati*; quo modo forma est plenè substantia, non plenitudine physicè completa; sed plenitudine distinctionis ab accidenti. Et instatur facilè argumentum in anima rationali, quæ utique incompleta est, cum tamen sit quidditativè substantia.

62 *Ad* 2. *prob.* dist. ant. Perfectate completa, & sine subjecto sustentationis, concedo ant. perfectate incompleta, & sine subjecto inhæsionis, nego ant. & conseq. Itaque forma substantialis solùm pendet à materia, tamquàm à subjecto sustentante, atque simul cum ipsa unum per se substantiale constituente; non autem, veluti à subjecto aliundè completo, simulque cum ipsa constituente aliquid accidentale. Licet autem de ratione substantiæ completæ sit substare, & non sustentari; de ratione incompletæ est sustentari à sua comparte, itaque compleri, & substare accidentalibus.

63 *ARGUES* 4. Totum universum corporeum nihil est aliud, quàm variæ partes localiter ordinatæ: Ergò quodlibet corpus nihil est aliud, quàm variæ particulæ locali nexu copulatæ. *Conf.* Unumquodque componitur ex his, in quæ resolvitur; sed quodlibet compositum resolvitur, aut in atomos,

mos, aut in particulas elementares : Ergò. *Urg.* Si semel admittatur entitas substantialis absoluta, quæ separata à materia suapte natura existere non possit; qua ratione anima rationalis à materia separata non intereat, sed persistat ? Ergò nulla ratione philosophica animæ rationalis immortalitas probari potest.

164 *Ad arg.* nego consequent. quæ non magis valet, quàm ista : Respublica non est aliud, nisi multi homines morali ordine sociati : Ergò quilibet homo nihil est aliud, quàm multæ partes moraliter conjunctæ. Rationes itaque, in quovis composito probantes formam substantialem, non militant in universo. *Ad conf.* constat solutio ex dictis, *quæst.* 1. *art.* 3. *num.* Nunc addimus, unumquodque componi ex iis, in quæ resolvitur, aut iis perseverantibus, aut cum composito pereuntibus : itaque perit forma materialis, composito pereunte; sicut perit, juxta Atomistas, modalis forma, specialisque forma insensibiliter avolat.

165 *Ad urg.* quæ Patri Tosca, (36) omnium maximo fundamento est, *resp.* inter formam materialem, & spiritualem maximum esse discrimen : quia licet utraque sit entitas substantialis entitativa; materialis tamen est à materia in omni operatione dependens; atque inde rectè infertur, saltem à posteriori, quòd in esse dependeat, sitque entitativè materialis : cæterùm forma spiritualis, cum in operationibus intellectione, & volitione sit à materia formaliter independens, atque operatio perfectior esse non possit suo principio substantiali; evidenter infertur, formam ipsam esse à materia independentem, ac proindè spiritualem.

66 *ARGUES* 5. (37) Si forma substantialis esset entitas substantialis, materia per adventum formæ haberet plùs substantialitatis, & entitatis; sed hoc est falsum : Ergò. *Resp.* dist. maj. Haberet plùs substantialitatis, & entitatis per

(36) *Tract.* 3. *lib.* 2. *cap.* 2. *prob.* 4.

(37) *Guzman, ap. Lang. t.* 3 *l. un. cõt. Atõ. q.* 3 *ar.* 1. *à n.* 132.

per identitatem, nego maj. per unionem intrinsecam, concedo maj. & sic dist. min. nego conseq. *Dices*: Ergò materia per adventum formæ intrinsecè mutatur: Ergò intrinsecè non est, quod anteà erat. *Dist.* secundam conseq. Non est intrinsecè adæquatè, concedo; inadæquatè, nego conseq. Materia informata est jam compositum, quod anteà non erat, nisi inadæquatè, & in actu primo.

67 *Instab.* Nulla est major unio, quàm ea, quæ est inter corpus, & animam; sed corpus non redditur perfectius per illam unionem, nec intrinsecè mutatur, quia corpus semper est corpus, & nihil aliud: Ergò. *Resp.* nego min. evidenter falsam; quia perfectius est corpus vivum, seu animatum, quàm inanimatum; etsi autem corpus semper sit corpus, non semper, sed dum est animæ unitum, est animatum. *Si adhuc* inferas 1. Formam recipiendam esse in materia, ac futuram esse accidens: 2. Formam non esse *ens per se*, sed *ens in alio*: facilis est solutio ex dictis *num.* 62. (38)

68 *ARGUES* 6. (39) D. Bonaventura (40) expressè docet, *quòd agens creatum nullam quidditatem, nec accidentalem, nec substantialem producit omninò; sed entitatem sub una dispositione facit esse sub alia.* Secundò: Forma substantialis non est principium unitatis, & diversitatis operationum naturæ; sed ad hoc præcipuè statuitur ab Aristotele: Ergò. Prob. maj. experimentis: 1. In argento vivo, seu Mercurio vulgari, invariata forma, experiuntur operationes variæ, quas ex se non habet Mercurius: 2. Vitrum aliqualiter attributum, & perfectè molitum habet, per vos, eamdem formam; sed primo modo necat, secundo autem medetur assumenti: Ergò.

69 *Tertiò*: Ars, naturam imitando, vitriolum facit ità natu-

(38) *V. Lang. ubi sup. à num* 119.
(39) *Zap. apud Lang ubi sup. à num.* 154.
(40) *In* 2. *dist.* 7. *quæst.* 1.

naturali vitro simile, ut sensibiliter non distinguatur; sed forma vitrioli non est entitativè substantialis: Ergò. *Quartò*: Ex tritico fit farina, ex farina massa, ex massa panis, ex pane chylum, & ex chylo sanguis; sed hæ mutationes contingunt per solam texturæ, & dispositionis mutationem: Ergò. *Resp. ad* 1. Juxta D. Bonaventuram nullam entitatem ab agente creato produci *omninò*; id est ex nihilo: sed solùm fieri novam entitatis dispositionem, non solùm integralem, sed etiam essentialem, sive substantialem, sive accidentalem per similes formas respectivè. (41)

70 *Ad* 2. nego min. *Ad primum* experimentum resp. operationes quandòque variari posse, invariato principio radicali, forma nimirùm, variato tamen principio proximo, seu accidentali; quod certè variari potest per solam alterationem principii radicalis: & simile potest in argento vivo contingere. *Ad secundum* nego conseq. Quid enim mirum, si neccet vitrum parum attritum, cum suis aculeis intestina, aut alias corporis partes transfigat; quod perfectè molitum præstare non potest? Undè illa diversa operatio ex diversa integrali dispositione oritur. Sicut ferrum, ad modum ensis, ferit; ad modum acus, sarcit; ad modum clavis, apperit, &c.

71 *Ad* 3. nego conseq. Quia sensus falluntur sæpissimè in discernendo à naturalibus artificialia: ratio autem est unica hujus, ac similium distinctionum, ac diversitatum arbitra; quas, si aliquando non percipit, ideò est, quia sensuum ludibriis incauta decipitur. *Adde*, artem, naturam imitando, posse opera naturalia conficere, si activa passivis applicet naturalia. *Ad* 4. resp. duas primas mutationes ibi recensitas esse accidentales à diversa partium contritione, aut dispositione provenientes: reliquæ autem substantiales sunt per transitum materiæ de una in aliam formam substantialem.

ARTI-

(41) *Aliter Lessius* 1. *p. de form. illust. cap.* 10. *apud Lang. ubi suprà, num.* 155.

ARTICULUS II.

Quæ, & quatenùs educantur Formæ de potentia materiæ?

1 NIhil ſolemniùs in Schola Peripatetica, quàm rerum materialium formas de materiæ potentia educi: at nihil inveriſimiliùs Atomiſtis, intuentibus antiquos multos, qui, *eductionis* indolem vulgariter, ac nimis craſsè intelligentes, varia de eductione omninò falſa ſomniarunt. *Aliqui* enim, formas omnes in materia latitare, credebant; atque indè ab agentibus, non tam produci denuò, quàm in lucem extrahi, judicaverunt. Sed quis ambigat, ſic infinitas formas actù in materia exiſtere, cum ex ea poſsint educi formæ ſine fine? Quis non videat, omnia compoſita, etiam formaliter oppoſita, ſub una materia contineri?

2 *Alii* aſſerebant, in materia præexiſtere, non quidem formas integras, ſed quaſdam formarum inchoationes, ac veluti earum ſemina, ex quibus formæ fierent. *Sed* hæc opinio, eamdem, ac præcedens, patitur difficultatem. *Alii* docuerunt, in materia præcedere quaſdam formarum poſsibilitates, è quibus illæ educerentur. *Verùm, ſi poſsibilitatis* nomine intelligant, meram formarum non repugnantiam; forma ex hoc capite fiet ex nihilo ſui, contrà id, quod vitare prætendunt: Si autem intelligant aliquid à materia diſtinctum ſub ipſa latitans; primæ opinionis abſurdis præmentur.

3 *Alii* aſſerebant, formas præexiſtere in materia ſecundùm gradum genericum; at denuò produci ſecundùm gradum ſpecificum. *Cæterùm* hinc ſequitur, poſſe realiter exiſtere gradum genericum, quin exiſtat realiter gradus ſpecificus, eoſque realiter abſolutè diſtingui: neque indè vitari poſſe, quòd gradus ſpecificus è nihilo ſui producatur. *Alii* demùm, ut ſemèl è nihilo ſui formarum productionem de

medio tollerent, formas non ex materia educi, sed à solo Deo creari, censuerunt. *Verùmtamen*, consequenter neganda erit agenti creato vis omnis substantiæ, imò, & accidentis productiva, cum in forma accidentali eadem sit, quoad productionem ex nihilo, difficultas: undè fit, ut omnis prorsùs causa creata neganda sit.

4 Ut igitur vera, ac philosophica *eductionis* natura intelligatur; ut omnibus certum supponendum est, eam esse creationi oppositam: est enim creatio: *Productio rei ex nihilo*; est autem eductio: *Productio formæ ex præsupposito subjecto*. Si igitur forma simùl cum materia per actionem per se primò ad compositum terminatam ex nihilo, aut nullo præsupposito subjecto fiat; non educitur, sed creatur: ità, si forma fiat vi actionis primariò, & unicè terminatæ ad ipsam formam, independenter à materia, cui pro posteriori uniatur; creatur utique non educitur: si demùm ità forma fiat, ut in ipso fieri à materia dependeat; educitur de potentia materiæ.

5 Atque indè, formam educi de potentia materiæ, non est, ipsam extrahi de occulto materiæ sinu, atque in publicum proferri aliquid actu sub materiæ visceribus occlusum, ut vulgò Atomistæ judicant; sed est, formam entitativè de novo produci; non, ut ità dicam, extra materiam, sed in materia ipsa, seu dependenter ab illa, tamquàm à causa recipiente, & formam, & ipsius fieri, seu passivam factionem formæ; veluti etiam præsuppositio subjecto distincta actione producto, & denuò transmutato. Sicut proportionali modo, cum ex ligno formatur arcus, forma arcus non aliundè producitur, uniturque ligno; sed in eodem ligno, & dependenter ab ipso fit, atque ex eo educitur.

6 Ideò ad veram, & substantialem eductionem formæ, tres requiruntur conditiones: quarum *prima* est, quòd materia aliqua prioritate præcedat formam, ejusque fieri. *Secunda*, quòd distinctis actionibus fiant. *Tertia*, quòd forma

in

in fieri dependeat à materia ; ità , ut forma innatè exigat dependenter à materia fieri , cum extra materiam , naturaliter ad minùs , esse non possit.

7 *Hinc* patet discrimen inter eductionem , & creationem. Utraque est vera productio rei ex nihilo termini immediati, seu formæ productio ex nihilo formæ; sed non utraque formam , aut terminum producit ex nihilo subjecti sustentativi præsuppositi. Itaque *productio ex nihilo* duo negat, nempè præexistentiam termini producti ; & subjecti , cui innitatur productio , & existentia novi termini , præcedentiam. Utramque negationem requirit creatio ; at primam solummodò importat eductio : neque aliter fieri potest eductio materialis formæ.

8 *Ratio est* : Quia eductio , seu generatio non est rei productio ex tota re præsupposita ; sic enim non esset vera rei productio : Ergò est vera rei productio ex aliquo ipsius præsupposito, & ex aliquo non præsupposito. Sed illud, quod de re non præsupponitur est nihil rei : Ergò res quælibet per eductionem fit ex aliquo sui præsupposito , & ex nihilo alicujus de re præsupposito. Illud autem esse præsuppositum est materia , quæ sua indole est commune subjectum corrupto , & genito : nihilum etiam præsuppositum est carentia formæ de novo productæ , quæ proindè fit ex nihilo sui, cum educitur; licet non ex nihilo omnimodè , nisi dum creatur.

9 *Patet etiam* formam educi , sustentari , & à materia in fieri dependere , ultra recipi in materia , importare quemdam intrinsecum receptionis modum , scilicet recipi ex subjecti indigentia , quàm habet forma , ut fiat , & existat in subjecto. Atque hinc oritur discrimen inter fieri animæ rationalis , & materialis formæ. Nam , licet utraque in materia recipiatur : anima non recipitur ex simplici indigentia, cum extra materiam fiat , & existat ; recipitur autem ex ejusmodi indigentia forma materialis. Indè materia recipit animam , non fieri animæ ; eòque est hujus subjectum purè

receptivum : recipit tamen materialem formam, ejusque fieri; atque ideò est ejus subjectum receptivum, & eductivum.

NOSTRA CONCLUSIO.

10 DICIMUS 1. Omnis forma materialis mixtorum corruptibilium, v. gr. leonis, lapidis, &c. educitur de potentia materiæ. *Ratio est* 1. Quia sublunaria, & corruptibilia quotidiè producuntur virtute agentis creati, cum leo leonem generet, ignis ignem, &c. sed non possunt ab agente creato fieri ex nullo præsupposito subjecto, alioquin à creatura naturaliter crearentur, quod repugnat: Ergò. *Secundò* : Quia, ut experientia constat, illiusmodi formæ, materiam, ex qua, & in qua producantur, præsupponunt; atque ita sunt in materia immersæ, ut extra illam, neque esse, neque operari valent; consequenter, nec fieri possunt. *Adde*, in illis verificari conditiones ad eductionem *num.* 6. requisitæ: Ergò.

11 *DICIMUS* 2. Formæ Cœlorum, & Elementorum in prima rerum productione non fuerunt eductæ, sed creatæ, vel potiùs concreatæ. Conclusio est D. Thomæ asserentis: (1) *Manifestum est autem, quòd corpora cælestia non possunt produci in esse, nisi per creationem : non enim potest dici, quòd ex materia aliqua præjacente sint facta : quia sic essent generabilia, & corruptibilia :: Similiter etiam elementa secundùm se tota non sunt ex aliqua materia præjacente.*

12 *Ratio*, conclusionis est : Quia cum res aliqua dupliciter fieri potuerit; quatenùs à Deo fuerit facta, non aliundè melius intelligi, deprehendique potest, quàm ex revelatione; sed ex Scriptura (2) nobis revelatum est, quod in *principio creavit Deus cœlum, & terram*. Ergò. *Nec dicas*: (3) Verbum *creavit* in Scriptura non sumi toto rigore, & proprietate,

(1) *Opusc. 2. cap. 95. & 1. p. q. 65. art. 4.* (2) *Gen. cap. 1.*
(3) *P. Poyn. 1. Phys. disp. 3. sect. 4. num. 61.*

tè, pro rei productione ex nihilo; ſed præcisè prout ſignificat productionem quamcumque: Nam ibidem dicitur, *Deum creaſſe cetegrandia, & omnem animam viventem*; atque die ſeptimo ceſſaſſe *ab omni opere ſuo, quod creavit Deus*: cum tamen certum ſit cetegrandia, atque omne opus non ex nihilo fuiſſe producta.

13 *Primò*: Quia oppoſitum ſentiunt communiter SS. Patres. (4) *Secundò*: Quia prædicta verba eo ſenſu intelligi debent, quo verba ſymboli *creatorem cœli, & terræ*, cum hæc ex illis fuerint deſumpta; ſed hæc de creatione ſtrictè ſumpta intelliguntur, juxta expoſitionem Catheciſmi Pii V. Ergò. *Tertiò*: Quia in Clementina unica de Summa Trin. dicitur, Deum utramque de nihilo condidiſſe creaturam, ſpiritualem, & corporalem, Angelicam, videlicet, & mundanam; ſed ibi eſt ſermo de prima rerum productione, ut legenti patebit: Ergò. *Quartò*: Quia, juxta regulam Sancti Auguſtini, verba Sacræ Scripturæ ſunt propriè, & in rigore accipienda, niſi detur textus in contrarium, aut ſequatur aliquod inconveniens; ſed ibi nihil horum apparet: Ergò.

14 Unde verbum *creavit* de animalibus dictum, aut de reliquis operibus non debet ſumi in rigore, quia ex eodem textu conſtat, reliqua omnia, præter cœlum, & terram, ex aliquo præſuppoſito fuiſſe facta: Nam ibidem dicitur: *Quàm produxerant aquæ*; & poſt relatas rerum omnium productiones, dicitur: (5) *Hæ ſunt generationes cœli, & terræ*; id eſt rerum omnium, quæ in cœlo, & in terra continentur. *Si* reſpondeas, verbum *creavit*, intelligi de materia prima cœli, & terræ: facilè impugnaberis ex dictis *quæſt. 1. artic. 3. num. 26.*

15 *Secunda* ratio eſt: Quia Deus ſe ſolo operans, & potens unica actione materiam, & formam cœli producere, eas unica actione produxit; quia fruſtrà per plura fiunt, quæ poſſunt

(4) *Baſ. Chryſ. Ciril. Aug. & D. Thom. apud Prad. 2. part. Metaph. conſ. 4. art. 3.* (5) *Gen. 1. cap. v. 4.*

poſſunt fieri per pauciora : ſed illa actio fuit creatio , cum de nihilo feciſſet materiam : Ergò. *Dices*: (6) Deum ſe ſolo produxiſſe materiam , & formam cœli diverſis actionibus ; at non fruſtrà , ſed neceſſariò : quia operatus eſt ut Author naturæ, ſe rerum naturis accomodans ; nam materia ſua natura eſt prior forma , ipſique præſuppoſita ; & forma eſt poſterior materia, eamque præſupponens.

16 *Contrà* : Rerum materialium natura non exigit , ut, cum Deus ſe ſolo operatur præſupponatur materia pro priori ad formam producta : Ergò. Prob. ant. Rerum materialium natura ſolùm exigit materiam formæ præſuppoſitam reſpectu agentis creati , quippè non valentis formam aliter, quàm ex præſuppoſita materia , producere ; non autem reſpectu agentis increati ob oppoſitam rationem: Ergò. ant. patet ; quia natura nihil petit fruſtrà. *Conf.* Licet forma materialis naturaliter exigat materiam per prævium alterationem diſpoſitam; cum tamen à Deo ſolo producitur, ejuſmodi non prærequirit diſpoſitionem: Ergò parirer.

17 *Urg.* Sicut naturæ ordo exigere videtur , ut materia ſit prior producta , quàm forma ; ita naturæ ordine eſt in homine pueritia prior adoleſcentiâ , & adoleſcentia prior virilitate ; in vegetabilibus etiam ſemina priora plantis : atquì Deus in exordio Mundi , ut Author naturæ operans , non produxit hominem puerum , aut adoleſcentem, ſed in virum perfectum ; neque ſemina priora plantis: Ergò pariter.

18 *Nec dicas* , actionem , qua Deus inſimul materiam, & formam produxit , fuiſſe formaliter unam ; duplicem tamen virtualiter; adeòque penes alteram virtualitatem creaſſe materiam , & penes alteram eduxiſſe formam. *Nam* utique virtualitates iſtæ de facto fuiſſent ſuperfluæ , non minùs , quàm duplex formalis actio; cum eadem virtuali actione potuiſſet materiam , & formam facere , ſicut una , eademque

(6) *P. Peyn. ubi ſup. n. 65. P. Loſſad. p. 3. tract. de Cœlo, & Element. cap. 3. num. 18.*

demque actione formali. *Adde* : quòd eadem actio penes diverſas virtualitates dependeret, & non dependeret à materia: quod non ſecùs implicat, ac animam rationalem, ut talem, non dependere, & ut ſenſitivam dependere.

19 *DICIMUS* 3. Formæ cœlorum, & Elementorum potuerunt divinitùs educi de potentia materiæ. Concluſio eſt Thomiſtarum communis contrà paucos. (7) *PROB.* 1. Non repugnat materiam, & formam in eodem inſtanti reali fieri, fieri tamen formam dependenter à materia, tamquàm à ſubjecto *ex quo* : ſed in hoc conſiſtit eductio : Ergò. Prob. maj. Non implicat formam materialem, contentamque in materiæ potentia, qualis eſt forma cœli, à Deo produci in eodem inſtanti reali, quo materia, per actionem tamen ſupponentem materiam pro priori naturæ productam ; ſed hoc ipſo fieret in eodem inſtanti reali dependenter à materia, tamquàm à ſubjecto *ex quo* : Ergò.

20 Patet min. Sufficit enim naturæ prioritas in materia, ut munus exerceat cauſæ materialis eductivæ : ſicut, & potiùs, quàm ſufficit in cauſa efficienti, qualis eſt Sol, quæ actualem prærequirit virtutis continentiam ad effectum producendum. Prob. maj. Non implicat, imò de facto contingit, formam materialem educi de potentia materiæ in eo inſtanti, in quo materia ſolùm pro priori naturæ terminat Dei actionem, ſui conſervativam: Ergò pariter. Tenet conſequentia : nam eodem modo ſe habet materia in reali eductionis inſtanti pro priori naturæ ad formam, ſive ſit de novo creata, aut conſervata ſolummodò, ſcilicet ſecundùm nudam entitatem purè potentialem.

21 *Si reſpondeant*: Ad eductionem requiri materiæ tranſmutationem, quæ dari non poteſt, quin materia ſub veteri forma jam extiterit. *Contrà*: Ad eductionem id ſufficit, quod ſufficit, ut formæ productio non ſit creatio ; ſed, ut formæ productio non ſit creatio, ſufficit eam ita fieri dependenter à materia,

(7) *Palanc.* 1. *Phyſ. queſt.* 13. *à num.* 2.

materia, ut ipſa, ejuſque fieri à materia dependeat, & in ipſa recipiatur, ſive hæc exiſtat, aut non exiſtat pro priori: Ergò. Min. patet: Si enim modo dicto dependet à materia, à materia in fieri dependet, qualiter non dependet forma per creationem producta.

22 *Conf.* Ut effectus fiat dependenter à cauſa efficienti, non requiritur, eam exiſtere pro aliquo tempore, ante productionem effectûs, aut eam reduci de otio ad exercitium productionis, ut patet in Sole reſpectu illuminationis: Ergò pariter. *Urg.* Ideo in eductione facta ab agente creato requiritur materia præexiſtens, quia agens creatum nequit ex materia per prævium alterationem non diſpoſita formam educere; ſed Deus non eget regularibus materiæ diſpoſitionibus, ut ex ea formam educat, aut in ipſam introducat formam: Ergò.

23 *Urg.* ampliùs: Cum ex ſpeciebus conſecratis generantur vermes, providetur à Deo de nova materia, ex qua in eodem inſtanti forma educitur, ut Contrarii (8) fatentur: Ergò. *Nec dicas*: In hoc caſu præcedere pro aliquo tempore materiam primam non formaliter in ſe ipſa, ſed in ſuo ſubſtituto, nimirùm quantitate. *Nam* forma non educitur ex quantitate præcedenti, ſed ex nova materia inſimùl creata: Ergò. Prob. ant. Ex eo ſubjecto educitur forma vermis, cui ſubſtantialiter unitur, ut cum ipſa unum per ſe componat; ſed, per vòs, non cum quantitate, ſed cum materia unum per ſe componit: Ergò.

24 Patet maj. Nam, licet non omne ſubjectum receptionis, ſit eductionis ſubjectum, omne tamen ſubjectum eductionis, eſt pariter receptionis, & formæ, & fieri formæ, ut, eductionis naturam explicantes, docent omnes. *Adde*: Quocumque modo hæc eductio contingat, actio Dei prout terminata ad materiam de novo creatam, eſt creatio, & prout terminata ad formam vermis eductam in eodem inſtanti reali,

(8) *Palac. 1. Phyſ. quæſt. 1. num. 59.*

reali, est eductio: Ergò idem divinitùs verificari potuit in prima rerum creatione: Quòd enim præceserit materiæ substitutum, aut secùs, perindè est respectu novæ materiæ, cui nihil supereſt de suo substituto.

25 *Si aliter resp.* (9) ad principale arg. materiam nimirùm terminare non posse actionem sui productivam pro priori naturæ ad formam, prout requiritur ad eductionem, alioquin existeret pro priori ad formam. *Contrà* 1. Non requiritur ad causalitatem purè receptivam causæ materialis, materiam ita terminare actionem sui productivam pro priori ad formam, ut pro priori ad ipsam existat, prout omnes Thomistæ, licet modis diversis, tuentur: Ergò neque requiritur ad illius causalitatem eductivam; præcipuè, cum materiæ concursus eductivus nihil aliud sit, quàm concursus receptivus formæ, & fieri formæ ad hujus exigentiam.

26 *Contrà*: 2. Materia in reali materiæ, & formæ productionis instanti pro priori naturæ ad productionem formæ, jam est completè producta, & extra omnes suas causas, licet ita esse non intelligatur: Ergò. Prob. ant. Materia in eo instanti reali pro posteriori naturæ re vera est extrà omnes suas causas, & adæquatè producta: Ergò etiam pro priori; alioquin in eodem instanti reali esset, & non esset completè producta, & extra omnes suas causas. Ant. patet: Siquidem pro illo posteriori est jam informata, & existens. Pro aliis vide *Colleg. Ripens. & Colleg. D. Thomæ in præsenti.*

27 *DICIMUS* 4. Anima rationalis neque educitur, neque est divinitùs educibilis de potentia materiæ. Ita D. Thomas: (10) *Anima rationalis non potest fieri, nisi per creationem :: Undè nullo modò anima potest fieri ex præjacente materia.* (11) *Similiter etiam anima intellectiva, cum habeat operationem vitæ, sine corpore, est subsistens, ut suprà habitum*

X

est;

(9) *Pater Palanc.* 1. *Phys. quæst.* 11. *num.* 30.
(10) 1. *part. quæst.* 90. *art.* 2.
(11) 1. *part. quæst.* 118. *artic.* 2.

est ; & ita sibi debetur esse , & fieri ; & , cum sit immaterialis substantialis ; non potest causari per generationem , sed solùm per creationem à Deo :: Et ideo hæreticum est dicere , quòd anima intellectiva traducatur cum semine.

28 *PROB.* Conclusio : Anima rationalis est essentialiter ineducibilis de potentia materiæ : Ergò nequit , adhuc divinitùs , educi. Consequent. tenet: Deus enim nequit contra rerum essentias operari , liceat valeat agere + earum particularem exigentiam : alioquin Angelum posset per generationem producere , aut hominem facere irrationalem. Prob. anteced. Forma essentialiter spiritualis , per se subsistens , est essentialiter ineducibilis ; sed anima rationalis est essentialiter spiritualis , à materia separata per se subsistens: Ergò.

29 Prob. maj. Forma essentialiter spiritualis est essentialiter in esse , & fieri independens à materia ; sed forma essentialiter in esse , & fieri independens à materia , est essentialiter ineducibilis : Ergò. Minor est certa : Siquidem eductio formæ essentialiter est formæ productio à materia dependens. Prob. maj. Forma essentialiter spiritualis est essentialiter immaterialis; sed forma essentialiter immaterialis est essentialiter in esse, & fieri à materia independens: Ergò. Minor patet: Nam forma in esse, aut fieri dependens à materia, est materialis: eò enim dicitur forma aliqua materialis, quòd sit à materia dependens.

30 Prob. maj. Forma essentialiter spiritualis est essentialiter omni materia carens ; quod enim modo aliquo materiam habet , est materiale , ut patet : Ergò. *Conf.* Forma illa , cujus aliqua operatio est à materia in esse , & fieri independens , est in esse, & fieri independens à materia ; alioquin formæ operatio , cum sit accidens , substantialem formam excederet in perfectione ; esset que à materia dependens in esse , quod est ab illa independens in operari ; sed aliqua animæ operatio , nempè intellectio , & amor , est in esse,

&

& fieri inde pendens à materia, ut patet in ſtatu ſeparationis : Ergò.

31 *Si dicas* : Eſſentiam animæ eſſe exigentialem independentiam ; non autem actualem, conſequenter poſſe divinitùs actualiter dependere. *Contrà* : Anima eſt eſſentialiter actualiter ſpiritualis : Ergò eſt eſſentialiter actualiter independens à materia. *Deinde* : Quod eſt actualiter dependens à materia, eſt actualiter materiale, cum idem formaliter ſit materiale, ac dependens à materia ; ſed anima rationalis, nec divinitùs fieri poteſt actualiter materialis : Ergò. *Urg.* Licet eſſentialiter finitum ſit illud, quod aut habet, aut exigit finem habere ; infinitum tamen eſſentialiter illud eſt, quod finem non habet, & habere repugnat : Ergò quamvis materiale eſſentialiter ſit illud, quod actu dependet, aut exigit à materia dependere ; immateriale eſſentialiter eſt illud, quod nec dependet, & repugnat dependere à materia.

SOLVUNTUR ARGUMENTA CONTRARIA.

32 ARGUES 1. ex Atomiſtis (12) contrà 1. Concluſionem : Formam educi de potentia materiæ, eſt formam creari ; ſed forma materialis mixti corruptibilis non creatur ab agente creato : Ergò non educitur de potentia materiæ. Probo majorem : Formam educi de potentia materiæ, eſt formam fieri ex nihilo ſui ; ſed productio rei ex nihilo eſt rei creatio : Ergò. *Prob. maj.* 1. Materia realiter à forma diſtincta nihil eſt realiter ipſius formæ : Ergò. *Secundò* : Materia, ex qua forma educitur, non eſt materia formæ eductæ : Ergò.

33 *Tertiò* : Si forma eſt realiter entitativè, & adæquatè diſtincta à materia, materia nequit eſſe cauſa materialis formæ ; ſed hoc ipſo nequit ex illa forma materialis educi : Ergò. Pro 1. maj. De eſſentia cauſæ materialis eſt, quod

(12) *Maig. apud Palanc.* 1, *Phyſ. quæſt.* 11.

ſuo inſit cauſato, ut patet ex ejus Ariſtotelica definitione; ſed materia non ineſt formæ realiter adæquatè diſtinctæ: Ergò. *Urg.* (13) Si forma inciperet ſecundum totum ſuum eſſe per eductionem ex materia, quæ nihil eſt formæ, etiam deſineret ſecundùm totum ſuum eſſe, ſola materia permanente; ſed hoc ipſo anihilaretur, ut eſt evidens: Ergò.

34 *Reſp.* 1. inſtando illud ex Atomiſtarum principiis: Atomi, ſeu quævis particulæ realiter modaliter à combinatione, ſeu modali forma atomiſtica diſtinctæ nihil ſunt realiter illiuſmodi formæ, aut combinationis; alioquin vi agentis naturalis nihil verè de novo produceretur; Ergò forma illa, ſeu combinatio fit ex nihilo ſui, & conſequenter creatur? *Inſtatur* etiam *urg.* Si combinatio illa fieret ab agente creato per eductionem ex atomis, quæ nihil ſunt illius combinationis, etiam periret, in corruptione compoſiti, ſolis atomis perſiſtentibus. Ergò illa combinatio vi agentis creati anihilaretur?

35 *Reſp.* jam 2. ad arg. neg. maj. ad prob. diſting. maj. Eſt, formam fieri ex nihilo ſui formali, & entitativo, concedo maj. ex nihilo ſui ſubjectivo, & materiali, nego majorem: Et diſting. minorem: Productio rei ex nihilo, tam formali, quàm ſubjectivo, concedo minor. præcisè formali, nego min. & conſeq. *Ad* 1. maj. prob. diſting. ant. Nihil eſt formale, concedo ant. nihil eſt ſubjectivum, & materiale, nego ant. & conſeq.

36 Creatio itaque eſt productio rei ex omninò nihilo, ſeu ex nullo præſuppoſito ſubjecto, aut *eſſe*, tam formali, quàm ſubjectivo rei productæ. Generatio autem, cum ſit vera rei productio, non poteſt rem totam præſupponere, ſed aliquid rei de novo producit, quod non præſupponit: conſequenter aliquid ex nihilo ſui præſuppoſito producit. At non producit ex nihilo ſui compoſitum, quod verè efficit ex aliquo ſui, quod eſt materia; ſed ſolùm formam, cujus nihil forma-

(13) *Pater Toſc. tract. 3. lib. 1. cap. 2. propoſ. 35.*

formale, & entitativum præsupponitur, quamvis præsupponatur aliquid ejus subjectivum, & materiale.

37 Undè proloquium illud: *Ex nihilo nihil fit*; aut illud etiam: *In nihilum nihil redigi potest*, adhuc respectu agentis creati, verum est absolutè in compositis; hæc enim fieri non possunt à creatura nisi ex aliquo sui, nempè ex materia: nec item valent desinere, nisi in aliquid sui, materiam videlicet, quæ, sicut ad productionem compositi præsupponitur, ita supereſt, corrupto composito: in formis autem, tum substantialibus, tum accidentalibus, non sunt vera, si loquantur de *nihilo* formali termini producti: benè verò de *nihilo* subjectivo, & materiali.

38 *Ad 2. prob.* dist. ant. Non est materia constitutiva formæ eductæ, concedo ant. non est materia sustentativa, nego ant. Et dist. conseq. ut suprà. Ut forma enim educatur ex materia, non requiritur, formam ex materia intrinsecè componi; sed sufficit, formam fieri dependenter à materia præsupposita, eam in esse, & fieri sustentante. *Ad 3.* nego maj. ad prob. dist. maj. Quod suo insit causato per compositionem, quale est compositum, concedo maj. quod suo insit causato per sustentationem, & receptionem, qualis est forma, nego maj.

39 Duplex datur effectus materiæ (idem intellige suo modo de forma) alter est effectus *quo*, seu sustentationis, & receptionis, nempè forma; alter est effectus *qui*, seu compositionis, videlicet compositum: licet autem materia insit effectui, *qui*, seu compositionis; non tamen effectui *quo*, seu sustentationis, & receptionis. Cum tamen effectus *qui*, sit primarius, & per se, ac, *ut quod*, causatus; Aristoteles materiam definivit in ordine ad effectum *qui*, seu compositionis, cui inest intrinsecè. Unde non æquè primariò causat formam materia, ac compositum.

40 *Dices* 1. Ineptè dicitur educi, quod totaliter inducitur de novo, seu producitur ab extrinseco agente; sed forma

ma tota producitur de novo ab agente extrinſeco: Ergò. *Secundò*: Si formam educi de potentia materiæ, nihil eſt aliud, quàm fieri dependenter à materia; cur forma non etiam ex ſemetipſa, & ex cauſa efficiente, à quibus *fieri* formæ dependet, educi dicitur? *Tertiò*: Materia, ex qua forma dicitur educi, non coëficit formam, nec vires auget cauſæ efficientis: Ergò nullo modo concurrit ad fieri formæ; ſed perindè ſe habet, ac ſi forma fieret, ex nullo præſuppoſito ſubjecto.

41 *Ad 1. reſp.* diſt. maj. Si *educi* in vulgari ſenſu accipiatur, tranſeat; ſi accipiatur in ſenſu philoſophico, prout explicatum eſt à *num.* 5. nego maj. Licet enim *educi* vulgò ſonet extractionem rei ex aliquo loco, ubi latebat; Philoſophorum tamen uſus efficit, ut propriè ſignificet rei, ſeu formæ productionem dependenter à materia. *Adde*: modalem Atomiſtarum formam ex materia, juxta ipſos, educi; cum tamen ſub materiæ particulis actu non lateret: Si ergò *educi*, vulgò ſit accipiendum; non minùs in eorum forma, quà in Ariſtotelica, illius verbi uſus ineptus apparet.

42 *Ad 2. reſp.* quòd verbum *educo* cum particula *ex* denotat cauſæ materialis præſuppoſitæ habitudinem: itaque ad eductionem non ſufficit quælibet actionis, ſeu *fieri* dependentia; ſed requiritur dependentia ab alio, tamquàm à ſubjecto præſuppoſito, qualis non eſt actionis dependentia à forma ipſa, vel à cauſa efficiente. *Ad 3.* dicimus, quòd materia, licet formam non coeficiat, aut agentis vires adaugeat in genere cauſæ effectivæ, id tamen utrumque efficit in genere cauſæ materialis ſuſtentativæ, quia vis omnis, ſeu efficientia agentis creati inutilis eſſet ad producendam formam, niſi præſupponeretur materia, veluti vaſis, & fundamentum illius productionis: Sicut irritus eſſet connatus Architecti in conſtruenda domo, niſi materiam, & fundamentum haberet, quibus forma domus inniteretur.

43 *Ad urg.* poſitam *num.* 33. nego min. Sicut enim ad formæ

formæ eductionem sufficit, illam ex aliquo sui subjectivo fieri, quamvis ex nihilo sui formali fiat; ita ad illius corruptionem satis est eam in aliquod sui subjectivum abire, licet in nihilum sui formale desinat. At ne judicent Atomistæ, novum esse suum argumentum, recensque effugium solutio nostra; sciant illud ipsum jam sibi proposuisse D. Thomam; (14) cui sic respondet: *Formæ, & accidentia non sunt entia completa, cum non subsistant; sed quodlibet eorum est aliquid entis :: Et tamen eo modo, quo sunt, non omninò in nihilum rediguntur: non quia aliqua pars eorum remanet; sed remanet in potentia materiæ, vel subjecti.*

44 *Instabis* 1. (15) Si destrueretur anima rationalis, remaneret subjectum, seu materia, illa tamen anihilaretur; ergò remanentia, aut non remanentia subjecti perindè se habet ad formæ anihilationem. *Instabis* 2. Ideo compositum, cum destruitur, non anihilatur, quia remanet aliqua saltem pars, quæ ipsum constituebat; sed formæ præcedentis nulla pars remanet illius constitutiva: Ergò. *Insta* utrumque argumentandi modum in modali Atomistarum forma, cujus nihil manet, pereunte composito, nisi subjectum, quod non est illius pars aliqua constitutiva.

45 *Ad* 1. dist. conseq. Remanentia, aut non remanentia subjecti purè receptivi, & informabilis, quale est subjectum animæ rationalis, concedo: subjecti sustentativi, & eductivi, nego conseq. Quia subjectum sustentativum, cum sit essentialiter exactum à forma, ut esse, fieri, & conservari possit, propriè est aliquid formæ. *Ad* 2. *resp.* 1. nego maj. cujus falsitas patet in substantia panis, quæ per consecrationem tota desinit esse, quin rigorosè anihiletur, ut docent Theologi cum D. Thoma. (16) *Resp.* 2. disting. maj. *Ideo*, tamquàm ex ratione entis compositi, concedo major.

ideo

(14) 1. *part. quæst.* 104. *artic.* 4. *ad* 3.

(15) *P. Tosc. ubi sup.*

(16) 3. *part. quæst.* 65. *artic.* 3.

ideo, tamquàm ex ratione generali ad omnem entitatem, nego maj. & conceſſa min. nego conſeq.

46 Ratio generalis non anihilationis rei eſt, quòd nihil ejus maneat, neque entitativum, neque ſubjectivum: cæterùm, cum ens compoſitum incapax ſit ſubjecti ſuſtentativi, anihilationem vitare non poteſt in ſui deſitione per perſiſtentiam ſubjecti ſuſtentativi, ſed per alicujus ex ſuis partibus permanentiam: At verò ens ſimplex eſſentialiter incompoſitum, qualis eſt forma, plures partes eſſentiales phyſicas non habet, quarum altera in ſui deſitione pereat, altera perſeveret; ſed perit totum ſuum eſſe formale, ſubjecto ſuſtentativo perſeverante; quo modo ſuam evitat anihilationem. *Ad ultimum* inferes, formam, quippè perfectiorem, non poſſe à materia dependere, velut à cauſa effectiva, aut formali, benè verò ut à cauſa materiali.

47 *ARGUES* 2. contrà 2. Concluſionem: (17) Formæ elementares educi potuerunt in primo inſtanti creationis materiæ; ſed attenta naturali ipſarum indigentia, educi debuerunt: Ergò de facto fuerunt eductæ. Prob. min. Forma elementaris numquàm producitur connaturaliter, niſi per eductionem: Ergò. *Prob. ant.* 1. Forma elementaris eſt materialis; ſed forma materialis numquàm producitur connaturaliter, niſi per eductionem: Ergò. Prob. min. Forma materialis ſuaptè natura dependet in eſſe, & operari à ſubjecto: Ergò etiam in fieri; conſequenter exigit connaturaliter educi.

48 *Prob.* 2. *illud ant.* Forma elementaris numquàm deſinit connaturaliter, niſi per corruptionem: Ergò pariter. Conſeq. tenet; quia corruptio eductioni, ſicut creationi anihilatio correſpondet. Ant. autem patet, cum ex terra, v.gr. generatur mixtum, terræ forma corrupta. *Adde*, quòd ſi forma elemetaris non educitur, propriè anihilatur, cum deſinit; deſinit enim in nihilum ſui, & formale, & ſubjectivum.

(17) *P. Loſſad. part. 3. tract. de Cœlo, & Elem. cap. 3.*

vum. *Conf.* Juxtà D. Thomam, (18) materia informis præcesſit informationem origine, ſeu natura tantùm; ſed materia non præcedit formam prioritate naturæ, niſi quando eſt cauſa materialis formæ, cum naturæ prioritas in munere cauſæ fundetur: Ergò.

49 *Ad arg.* reſp. nego min. ad prob. nego ant. *Ad 1. ejus prob.* diſt. min. Ab agente creato ſecundò producente, concedo min. ab agente increato primò producente, nego min. & conſeq. Licet enim forma materialis ſuaptè natura dependeat à materia, tamquàm à ſubjecto *in quo*, ſeu receptionis; non autem dependet ab illa, tamquàm à ſubjecto *ex quo*, ſeu eductionis, niſi reſpectu agentis creati, neceſſariò præſupponentis materiam per aliam actionem productam, aut conſervatam. At verò Deus, ſe ſolo operans, ut naturæ Author, neque materiam prærrequirit, neque duplici actione illi opus eſt; ut ex probationibus conſtat.

50 *Dices*: Deus ſe ſolo produxit plantas, & animalia; at eorum formas diverſa actione, & quidem eductiva produxit: Ergò pariter. *Nego* conſeq. quia ante plantas, & animalia præexiſtebat jam materia prima aliundè ſub elementorum formis creata; ex qua poſteà connaturaliùs animalium, plantarumque formæ educerentur: Cæterùm elementorum, cœlorumque formis nulla præextitit materia prima, ex qua educerentur. *Inſtab*: Ad eductionem ſufficit in materia prioritas naturæ reſpectu formæ; ſed de facto fuit ejuſmodi prioritas, cum fuiſſet cauſa materialis formæ: Ergò.

51 Prob. maj. Formæ cœlorum, & elementorum potuerunt educi; ſed in prima productione non potuit materia, alia, quàm naturæ prioritate, formam præcedere: Ergò. *Reſp.* diſting. maj. Sufficit in materia prioritas naturæ reſpectu formæ tantùm, nego majorem; reſpectu formæ, ejuſque *fieri*, ſeu productionis, concedo majorem: diſtincta min. nego conſeq. Ad veram formæ eductionem non ſufficit ma-

 teriam

(18) 1. *part. quæſt.* 66. *artic.* 1. & 4.

teriam natura formam præcedere in genere cauſæ materialis ; alioquin etiam anima rationalis è materia educeretur, cum illam ea prioritate præcedat materia , utpote cauſa materialis illius.

52 Requiritur ergò ad eductionem formæ , materiam, & formam , & *fieri* , ſeu productionem formæ præcedere, atque recipere : ad hoc inſuper , quòd materia præſupponatur pro priori naturæ producta ante productionem formæ ; atque inde requiritur , quòd duplici actione producantur. Cum autem potuiſſet Deus duplici actione operari ; altera , qua pro naturæ priori materiam crearet ; altera, qua pro poſteriori formam ex materia educeret ; ita , ut materia cauſa materialis foret, & formæ , & fieri formæ; ideo potuit formam educere. At de facto id non feciſſe , nobis ex Scriptura , & congruenti ratione conſtat.

53 *Inſtab.* Materia prima initio mundi produci debuit per actionem diſtinctam à productione formæ elementaris: Ergò. Prob. ant. Materia prima naturaliter ſeparari poteſt decurſu temporis à forma elementari , ut accidit , cum ex elementis mixtum generatur ; ſed id , quod naturaliter ſeparari poteſt ab altero , ac ſine iſto conſervari , actione diſtincta produci debet : Ergò. Patet minor : hac enim ratione anima rationalis productionem exigit diſtinctam à creatione materiæ. *Urg.* Nunc perſeverat actio , qua fuit producta materia terræ , ex qua fuit mixtum generatum ; ſed non perſeverat actio , qua forma terræ fuit genita ; aliàs eſſet ſine termino : Ergò.

54 *Ad inſt.* diſt. maj. prob. Separari poteſt à forma elementari , manens ſola , nego maj. manens cum alia forma formæ elementari in munere complendi , & actuandi æquivalenti , concedo majorem: Et diſt. minor. Quòd poteſt ab alio ſeparari , atque ſine illo conſervari , ſed cum alio æquivalente, concedo minorem; at non ſine alio equivalente, nego minorem , & conſeq. Ideo enim anima rationalis productio-

ductionem exigit distinctam à creatione materiæ, quia sine ulla prorsùs materia conservari potest : cæterùm materia elementaris nequit sine forma, aut formaliter elementari, aut in munere actuandi æquivalenti, conservari ; ideo non exigit productionem distinctam à productione formæ.

55 *Ad urg.* nego min. quia, licet non perseveraret adæquatè terminata, cum non persistat ejus terminus adæquatus ; perseverat inadæquatè ad materiam conservandam terminata. *Inquires* : An terminatio ad formam realiter distinguatur ab actionis terminatione ad materiam, necne? Si primum : Ergò est actio duplex. Si secundùm : Ergò repugnat, alteram sine altera permanere. *Resp.* terminationes illas activè sumptas non esse realiter distinctas, sicque activè adhuc permanere ; at verò, passivè sumptas realiter distingui, atque ita alteram sine altera posse durare.

56 *Resp.* jam ad 2. primi ant. prob. positam *num.* 38. quæ de forma cœlesti, ab intrinseco quippè incorruptibili, nullam ingerit difficultatem, permisso antec. nego conseq. quia, cum desinit connaturaliter elementaris forma per mixti generationem, persistit adhuc ejus materia cum forma mixti ; consequenter non in nihilum ; sed in aliquid sui subjectivum abit : enim verò in ejus prima productione nulla fuit præsupposita materia prima, prout ad eductionem requiritur. *Ad addit.* nego antecedens : nam desinit in aliquid sui sustentativum, & subjectivum, licet non eductivum.

57 *Ad Conf.* ibidem positam dist. maj. Præcesit informationem, tamquàm subjectum *in quo*, seu receptionis, conc. tamquàm subjectum *ex quo*, seu eductionis, neg. maj. Et dist. min. Nisi quando est causa materialis, vel eductiva, vel purè receptiva, concedo min. præcisè eductiva, nego min. & conseq. Solutio constat ex dictis *num.* 41. & 42. *Nec dicas*, juxtà D. Thomam, (19) corpus cœleste consequutum esse per eductionem suæ formæ. *Resp.* enim, D. Thomam

(19) *Opuscul.* 42. *cap.* 15.

non loqui de eductione ſtricta, cum anteà ibidem dixerit, *cœlum non eſſe genitum*; ſed de lata, ſumpta pro formæ productione in eſſe dependentis à materia: ideo ſubjungit immediatè: *Non hoc adhuc eſt, quia educitur; ſed quia fit unum ex materia, & forma educta.* (20)

58 *ARGUES* 3. contra 3. Concluſionem: (21) Ut forma educatur de potentia materiæ, debet materia prima præſupponi exiſtens ante eductionem formæ; ſed in prima rerum productione nequit materia prima præſupponi exiſtens ante eductionem formæ: Ergò. Prob. maj. Ad eductionem non ſufficit, quòd materia prima præcedat in pura potentia ad exiſtendum; hoc enim modo de facto præceſſit, quin forma de facto fuerit educta: Ergò. *Conf.* Ut forma educatur de potentia materiæ, debet materia præſupponi producta ante formam; ſed materia in prima productione præſupponi non potuit producta ante formam: Ergò.

59 Prob. min. *Tum*, quia ſi materia præſupponeretur producta, productio formæ non eſſet prima rerum productio: *Tum* etiam, quia ſi materia præſupponeretur producta, præſupponeretur exiſtens, & extra cauſas, cum omnis rei productio ipſi conferat exiſtentiam. *Tum* denique; quia, ſi materia præſupponeretur producta, eſſet producta per actionem ad ſolam materiam ſine forma terminatam, cum tamen materia ſe ſola ſit improducibilis.

60 Prob. iterùm prima min. Actio productiva terminatur ad exiſtentiam rei productæ; ſed materia prima ſe ſola, & ante omnem formam nullam habet exiſtentiam: Ergò. Patet maj. ex Divo Thoma (22) aſſerente: *Secundùm quòd unumquodque habet eſſe, ſic de novo competit ei fieri. Urgetur*: Si materia prima pro priori ad formam terminaret actionem ſui productivam pro illo priori denominaretur adæquatè creata: *Primò*, quia actio illa ſolùm terminatur ad

(20) *V. Froyl. 1. Phyſ. quæſt. 5. art. 2 §. 2.*
(21) *Pal. quæſt. 13. à num. 3.* (22) *In Comp. Theol. cap. 93.*

ad materiam : *Secundò* ; quia non expectaret aliquid ratione cujus esset completè creata: *Tertiò*; quia post illam productionem ulteriùs non creatur.

61 *Ad arg.* nego maj. ad prob. nego ant. & dist. ejus prob. De facto præcessit formam tantùm , concedo , formam ejusque productionem , nego. Solutio constat ex dictis *num.* 41. & 42. Ad eductionem enim non requiritur præexistentia materiæ respectu formæ ; sed sufficit præcedentia naturæ in producendo , & quoad esse subjectivum purè potentiale ; quod , licet de facto præcesserit natura formam, non tamen *fieri* formæ , ut potuit. *Dices* : Materia ideo potuit præcedere *fieri* formæ , quia fieri potuit per actionem distinctam à productione formæ ; sed de facto fuit ita facta: Ergò.

62 Prob. min. Ideo materia fieri potuit distincta actione virtuali (realiter enim non potuit non esse una , cum esset actio Dei indistincta à sua substantia) quia potuerunt esse duo termini ; sed fuerunt de facto duo termini , materia videlicet , & forma : Ergò. *Resp.* disting. majorem prob. Quia potuerunt esse duo termini formales , quilibet per se attactus , concedo ; materiales , & attacti per modum unius, prout solùm attacti fuerunt de facto per creationem , nego majorem. De facto materia , & forma per modum unius factæ fuerunt ; at potuerunt fieri , quælibet per se terminans actionem productivam.

63 *Ad Conf.* dist. maj. Debet præsupponi producta pro priori temporis , nego maj. pro priori naturæ subdist. productione completa , dante materiæ esse formale , & completum , nego maj. productione incompleta , dante materiæ esse subjectivum purè potentiale, concedo maj. *Ad 1. min. prob.* dist. illam : Si supponeretur completè producta , concedo ; si supponatur incompletè producta , subdist. non esset prima productio incompleta , concedo: completa , de qua loquimur in statu quæstionis, nego.

Ad

64 *Ad 2. ejuſdem min. prob.* diſt. ipſam : Si ſupponeretur completè producta , etiam quoad ſuum eſſe formale, concedo ; quia actio completa confert rei exiſtentiam : ſi ſolùm incompletè , nego , quia hæc , non ſe ſola , ſed cum altera actione incompleta , alteram compartem producente rei productæ communicat exiſtentiam. *Ad 3.* negatur aſſumptum: quia , licet actio incompletè producens materiam, nec terminetur ad formam pro illo priori , non terminatur ad materiam ſine forma ; ſed ad materiam cum forma eodem inſtanti , pro poſteriori , alia actione producta : Undè adſummùm terminatur ad materiam intellectam ſine forma : non tamen ad materiam, quæ in re ſit ſine forma.

65 *Ad* iteratam primæ min. prob. diſt. maj. Actio completè productiva , concedo maj. incompletè productiva , nego maj. Exiſtentia enim ſequitur ens completum, qualis non eſt materia ex ſe ipſa ; conſequenter fieri poteſt , actione incompleta : quia *ſecundùm quòd unumquodque habet eſſe, ſic de novo competit ei fieri* , ut ex Divo Thoma , clamante Averſario , didicimus. Si contra dicta opponas : quòd actio Dei, qualis eſt illa , qua fieret materia , nequit eſſe incompleta: quod actio incompleta , qua producitur anima rationalis, ponit illam ſub exiſtentia. *Solutio* conſtat ex dictis, *quæſt. 2. artic. 3. n. 33. & 34.*

66 *Ad urg.* conſtat etiam ſolutio ibidem *num. 31. & 32.* Atque hic addimus , materiam in noſtro caſu poſſe denominari adæquatè creatam , quoad eſſe ſubjectivum exercitum purè potentiale ; ſed non abſolutè , cum , præter illud eſſe , habeat materia eſſe formale non creatum , ſed eductum. At verò actio illa incompleta , quatenùs talis, habere non poteſt terminum completum , & adæquatum : ſed ſolùm , quatenùs media alia actione terminativè incompleta eductiva formæ , fit terminativè completa, & adæquata : ſed ita habet terminum adæquatum inadæquatè creatum , inadæquatè eductum. Cæterùm actio incomple-

completa creativa materiæ, de cæterò dicitur ejus conservativa.

67 Ut hoc intelligas, & plurima solvas *nota*: actionem Dei in nostro casu fore formaliter, & subjectivè unam; at virtualiter, & terminativè duplicem, quia pro priori terminaret ad materiam ratione sui, pro posteriori ad formam dependenter à materia, utique ratione sui, qualiter non contigit de facto: prout terminata ad materiam, dicitur *creatio*; prout terminata ad formam, appellatur *eductio*: primo modo est exercita, seu exercetur circa quidditatem subjectivam materiæ, quàm non habet ista in statu possibilitatis; secundò modo circa esse formale, & actuale illius. (23)

68 *Si adhuc arguas* 1. quòd forma cœli est incorruptibilis ab intrinseco: Ergò, & ingenerabilis, seu ineducibilis: 2. quòd ad eductionem requiritur transmutatio, requirens privationem in materia pro priori ad formam. *Ad* 1. *resp.* quòd forma cœli non est incorruptibilis vi independentiæ à materia, sicut anima rationalis; sed solùm, quia est perfectè satians materiam, & inamissibiliter informans: incorruptibilitas, quæ oritur ex prima causa probat ingenerabilitatem; non quæ provenit ex secunda. *Ad* 2. distin. illam: Requiritur transmutatio lata, concedo; rigorosa, nego: Solutio constat ex dictis *quæst.* 1. *articul.* 5. *à numer.* 11. & 30.

69 *ARGUES* 4. contra 4. Conclusionem: Sicut anima rationalis exigit creari, ita forma materialis substantialis exigit educi; sed potest forma materialis substantialis divinitùs non educi, sed creari: Ergò pariter è contra anima rationalis poterit non creari, sed educi. *Insto argum.* Sicut accidens exigit inhærere, ita substantia exigit non inhærere; sed potest accidens divinitùs non inhærere, ut patet in Eucharistia: Ergò, & potest substantia divinitùs inhærere? *Item*: Sicut Angelus petit fieri per creationem, ita leo per generationem

tionem ; sed potest Deo divinitùs creari : Ergò potest Angelus divinitùs generari?

70 *Resp.* ad arg. nego consequent. Disparitas est : quia forma materialis conservare potest suum esse materiale, etsi fiat à Deo per creationem : at forma immaterialis, qualis est anima rationalis, conservare non potest suum esse immateriale, si fiat per eductionem. Et ratio est : quia, eatenùs materialis forma suum conservat esse materiale, quatenùs in esse dependet à materia, licet in fieri non dependeat; cum autem dependeat semper in esse, licet non in fieri, dum per creationem producitur, ideo retinet suum esse materiale: Cæterùm, eatenùs forma spiritualis suum conservat esse immateriale, quatenùs illud habet à materia independens (quia quodlibet in esse à materia dependens materiale est) quale non esset, si ex materia educeretur.

71 *Dices* 1. Licet anima rationalis educeretur de potentia materiæ, adhuc retineret suum esse immateriale : Ergò. Prob. ant. licet educeretur, adhuc exigeret non educi, cum educeretur contra suam exigentiam ; sed exigeret non educi vi suæ immaterialitatis : Ergò. *Secundò* : Anima rationalis potest dependere à materia in fieri, quin dependeat in esse : Ergò. *Probatur antecedens* 1. Anima rationalis potest dependere à materia in existendo, quin dependeat in esse: Ergò. Ant. patet : nam de facto dependet, cum existat per existentiam compositi.

72 *Prob.* 2. *ipsum ant.* Anima rationalis potest dependere à materia in operari, quin dependeat in esse : Ergò. Ant. ex eo fit evidens, quòd de facto dependeat à materia in sensatione, & vegetatione, quin dependeat in esse. *Tertiò* : species intelligibilis, utpote spiritualis, non dependet in esse à phantasmatibus ; sed ab illis in fieri dependet, cum ex ipsis educatur : Ergò pariter. *Quartò* : Anima rationalis dependet in suo effectu formali à materia, quin dependeat in suo esse : Ergò à pari. Prob. antec. Esse humanum est

effectus

effectus formalis animæ ; ſed hoc eſſe dependet à materia: Ergò.

73 *Ad* 1. *inſt.* diſt. antec. prob. Adhuc exigeret tantùm non educi, nego ant. exigeret, & non exigeret, concedo ant. & neg. conſeq. *Exigeret* utique; quia ſupponitur immaterialis : *non exigeret* ; quippè quæ fieret materialis per eductionem : & poſito caſu impoſsibili ejus eductionis, ſequitur quodlibet. *Ad* 2. *inſt.* nego ant. *Ad* 1. *prob.* diſt. ant. In exiſtendo abſolutè, nego ant. quia ſeparata à materia exiſtit; exiſtendo unita, ſeu quoad ineſſe compoſito, concedo ant. ſed ita ſolùm dependet à materia, tamquàm à comparte purè receptiva, ad componendum. Exiſtentia autem perpriùs animæ, &, hac mediante, compoſito communicatur.

74 *Ad* 2. *ipſius ant. prob.* diſt. ant. In operari operatione principali ad eſſe animæ formaliter, & abſolutè conſequuta, nego ant. operatione minùs principali, ſolùmque ad ejus ineſſe conſequuta, concedo ant. & nego conſeq. Operationes principales animæ ad ipſam quoad eſſe, & abſolutè conſequutæ, quales ſunt volitio, & intellectio, non dependent à materia : ideo eſſe animæ, ejuſque fieri non dependet; alioquin operatio formam excederet in perfectione : ſenſatio autem, & vegetatio non conſequuntur animam abſolutè, ſed ipſam, quoad ineſſe, ſeu uniri ; ideo ex earum dependentia à materia non ſequitur dependentia animæ, quoad eſſe, aut fieri, ſed ad ſummùm quoad ineſſe, & uniri; quia formæ caracter non eſt operatio quælibet, ſed principalior.

75 *Si dicas* 1. Etiam intellectio dependet à phantaſmatibus. *Diſt.* formaliter, & abſolutè, nego, cum anima intelligat à phantaſmatibus ſeparata : præſuppoſitivè, & ratione ſtatus contractionis, concedo ant. Quia ratione ſtatus nequit anima intelligere, niſi præſupponantur phantaſmata, ſeu ſpecies ſenſibiles, quibus objecti notitiam acquirat. *Si dicas*

2. Ergò anima, ut ſenſitiva, dependet in eſſe à materia, quia operatio principalis illius, ut ſenſitivæ, dependet à materia. *Nego* conſeq. Quia dependentia formæ ſolùm ex operatione abſolutè principali infertur; non ex operatione taliter, aut aliter principali: unde ad ſummùm infertur, quòd anima non, ut ſenſitiva, ſed, ut ſentiens, dependeat.

76 *Ad 3. inſt.* diſt. min. In genere cauſæ efficientis, concedo min. in genere cauſæ materialis eductivæ, nego min. Phantaſmata enim, ut illuminata virtute immateriali intellectus agentis, per quamdam reverberationem, veluti virtus inſtrumentalis, producunt, vel potiùs efficienter educunt ſpecies intelligibiles de potentia poſsibilis intellectus; ſicut ſpeculum vi ſolis illuminationis per reflexionem producit ſplendorem in aqua. Dicuntur autem ſpecies illæ è phantaſmatibus eductæ lato modo.

77 *Ad 4. inſt.* diſt. ant. In ſuo effectu formali ad ipſam, quoad eſſe abſolutè conſequuto, nego ant. in ſuo effectu formali ad ipſam conſequuto quoad ineſſe, & uniri, concedo ant. & nego conſeq. Atque hinc ſolùm ſequitur, adhæſionem, ſeu unionem animæ eſſe à materia dependentem. Effectus itaque formalis animæ, aut eſt ipſa reduplicativè, ut communicata, aut eſt totum compoſitum de materiali: utroque autem modo eſt effectus animæ reduplicativè, ut unitæ, quatenùs hæc dependet à materia, tamquàm à ſubjecto puræ receptionis, & unio tamquàm à ſubjecto eductionis.

78 Pro aliis ſolvendis *nota* 1. Materiàm appetere, & habere potentiam paſsivam ad animam: ad hoc autem ſufficere, quòd anima vi agentis naturalis materiæ poſsit uniri; atque id ſolummodò facere hominem generantem. *Nota* 2. quòd, licet anima non poſsit fieri naturaliter ſine materia, cum ſit pars naturaliter exigens alteram compartem, fieri poteſt independenter ab illa; ſicut poteſt ab illa ſeparata exiſtere. *Nota* 3. quòd, cum operationes animæ ſint realiter

ter distinctæ, potest anima in una, & non in alia à materia dependere: at esse animæ est indivisibile; ideo nequit in esse sensitivo dependere, quin dependeat in esse rationali.

79 *Nota* 4. Animam totam uniri singulis partibus corporis, licet aliis vegetationem tantùm, ut capillis, aliis sensationem etiam communicet: quia partibus communicat gradum, & operationem juxta earum capacitatem: at verò eductio attenditur penes entitatem animæ, quæ est indivisibilis. *Nota* 5. principium *quo* generationis humanæ, non esse animam rationalem, ut talem, & quantùm ad esse; sed, ut corpoream, & quantùm ad inesse; & eodem modo anima hominis geniti est terminus *quo* generationis.

80 *Nota* demùm: Ignem inferni, & aquam Baptismi elevari posse ad effectus spirituales; quia sunt instrumenta, per virturem ab agente principali, scilicet Deo, receptam, quæ spiritualis esse potest, operantia: at materia prima causat per suam intrinsecam entitatem, quæ essentialiter est materialis. Nec semen corporeum elevari, aut assumi potest ab anima ad productionem animæ; quia illud est instrumentum animæ, ut corporeæ: imò anima, ut producibilis, excedit totam animæ productivam virtutem, cum fiat essentialiter per creationem; consequenter excederet virtutem, quàm semini præstare posset. Sed hæc, & alia, quàmplurima vide apud M. Froylanum. (24)

ARTICULUS III.

Utrum plures Formæ substantiales possint eamdem simùl informare materiam?

1 INter formas substantiales quædam dicuntur *subordinatæ*, quarum una alteri subservit, & materiam

(24) 1. *Phys. quæst.* 5. *art.* 1. §. 3. & 4.

riam veluti præparat ad alterius receptionem; v. gr. forma embryonis, ſeu corporeitatis, & forma viventis: quædam vocantur *non ſubordinatæ*, ſeu *diſparatæ*, quarum nulla ad aliam ordinatur; ut formæ auri, lapidis, & ligni. Circa formas ſubordinatas Scotiſtæ communiter admittunt, eas de facto eidem ineſſe materiæ, vel quia ſunt in homine tres animæ realiter diſtinctæ, vegetativa, ſenſitiva, & rationalis, ut nonnulli volunt; vel, quia ſingulis viventibus ineſt corporeitatis forma, præter formam viventis, ut illi omnes propugnant.

2 Circa formas diſparatas Scotiſtæ, & Jeſuitæ unanimi conſenſu affirmant, eas divinitùs in eadem numero materia componi poſſe. At nobiſcum *ſupponunt*, eas non poſſe naturaliter coadunari. Et meritò: quia generatio unius eſt naturaliter corruptio alterius, ut experientia compertum eſt. *Tum*: quia agens naturale numquàm per ſe primò rei corruptionem intendit, quia numquàm malum intendens, operatur; ſed ulteriùs per ſe primò intendit via corruptionis alterius compoſiti generationem.

3 Si autem *opponas* 1. quòd formæ accidentales diſparatæ, quales ſunt albedo, & dulcedo, in eodem ſubjecto reperiuntur: Ergò à pari: 2. quòd formæ ſubſtantiales non ſunt inter ſe contrariæ: 3. exemplum ferri candentis, in quo ſociari videntur formæ ignis, & ferri: 4. exemplum carbonis igniti, in quo ſunt forma ignis, & alia forma radicans gravitatem: 5. quòd ſæpè viſa ſunt monſtra varia, quibus ſingulis duas ineſſe formas, apparet: Ergò.

4 *Ad* 1. *reſp.* de formis accidentalibus non eam eſſe experientiam, quæ in formis ſubſtantialibus obſervatur. *Ad* 2. dicimus, inter formas ſubſtantiales non eſſe contrarietatem ſtrictam; eſſe tamen latam ſumptam pro incompatibilitate, ut ex dicendis conſtabit. *Ad* 3. *reſp.* formas ignis, & ferri non eſſe in eadem parte materiæ; ſed intra ferri poros ignis calore laxatos introduci igneas particulas cum ſua materia,

ria, & forma; atque novum etiam ignem in externa ferri ſuperficie produci per corruptionem formæ ferri, ut ſatis indicant ſcoriæ ſuperexiſtentes: & hinc provenit totus ille calor, & fulgor.

5 At verò, ſi diù igne ferrum ſubvolbatur, nedùm externa ſuperficies, ſed totum etiam ferrum aduritur. *Sed* quare, ſi ferrum partiatur, internè etiam apparet ignitum? *Cur*, etiam, ſi ab igne amoveatur ferrum, iterùm apparet ſola forma ferri? *Ratio* primi eſt: quia per ſeparationem ferri, interna pars fit externa ſuperficies, quæ defectu majoris reſiſtentiæ, quam anteà habebat, ſtatim ignitur, atque incipit comburi. *Ratio* ſecundi eſt: quia, amoto ferro, ignis ab agente extrinſeco, nempè frigore, aut aere extinguitur, illiuſque materia recipit formam ſcoriæ, quam indè ſuperſtitem videmus.

6 *Ad* 4. *reſp.* in carbone totaliter ignito ſolam ignis formam reperiri: illa enim gravitas eſt qualitas relicta à forma ligni; non eadem numero, quæ ſub ligno erat, ſed alia ſimilis. Sicut forma viventis relinquit in cadavere calorem non exactum à forma cadaverica. *Ad* 5. *reſp.* inter monſtra alia eſſe perfecta, quæ duas habent formas: ut, ſi homo duo capita habeat perfecta; quibus diverſa membra reſpondent, etſi exteriùs unum appareat: alia imperfecta, quæ unicam formam habent; ut, ſi homo tria brachia, aut pedes quatuor habuerit. Sed, quæ duas habent formas, duas quoque materias habent.

PRIMA CONCLUSIO.

7 *DICIMUS* 1. Nec divinitùs poſſunt eſſe duæ formæ ſubſtantiales non ſubordinatæ in eadem materia. Ità D. Thomàs: (24) *Impoſſibile eſt, duas formas ſubſtantiales eamdem materiam ſimiliter participare.* PROB. Conclu-

(24) *Opuſcul.* 29.

Concluſio ratione : (25) Si duæ formæ ſubſtantiales ſimùl informarent eamdem numero materiam , quælibet ex illis eſſet actus primus , ſaltem dignitatis ordine ; cum hæc ſit eſſentia formæ ſubſtantialis ; ſed aliundè nulla eſſet actus primus : Ergò quælibet eſſet , & non eſſet actus primus ; quod repugnat. Min. patet : quia actus primus ex ſua ratione formali nullum alium , aut ſecum , aut ſe priorem ſupponit, cujus reſpectu non ſit primus.

8 *Reſp.* Contrarii : (26) Quamlibet ex illis formis fore actum primarium , ſeu dignitate , & perfectione primum reſpectu ſui compoſiti ; quia ad formæ duplicationem , compoſita quoque duplicarentur , quamvis eſſet una materia. *Impug.* 1. Sicut forma eſt actus primus conſtitutivus compoſiti , ità eſt actus primus materiæ informativus ; ſed quia eſt actus primus conſtitutivus compoſiti , nec ſecum , nec ſe priorem admittit actum alium ejuſdem compoſiti conſtitutivum: Ergò pariter. Maj. patet : quia , ſi materia eſt primum ſubjectum conſtitutivum compoſiti , & formæ receptivum ; cur forma non erit primus actus informativus materiæ , & compoſiti conſtitutivus?

9 *Urg.* (27) Si forma una poſterior altera informaret materiam , ſecunda non eſſet forma ſubſtantialis , adhuc reſpectu ſui compoſiti : Ergò non eſſet illius actus primus. Prob. ant. Ex forma ſubſtantiali , & materia fit unum ens per ſe ; ſed ex forma ſecunda , & materia priori forma informata non fit unum ens per ſe : Ergò. Prob. min. Ex ente completè conſtituto non fit unum ens per ſe, quia ens completum ſolùm per accidens ordinatur ad ulteriorem compoſitionem ; ſed materia priori forma informata eſſet ens completum : Ergò.

10 *Reſp.* (28) Fieri unum ens per ſe ex forma advenien-

te,

(25) *V. Div. Thom.* 1.*part. quæſt.* 76. *art.* 3. *&* 4.

(26) *Pater Loſſad.* 1.*Phyſ. diſp.* 5.*cap.*4.*num.*20.

(27) *V.D.Thom.Quod.*11.*ar.*5. (28) *P.Loſſ.ubi ſup.n.*21.

te, & materia informata, & in actu; non reduplicativè, ut in actu, & informata, ſed ſpecificativè ſumpta, qualiter eſt pura potentia informabilis. *Sed contrà*: Nam, ſi hæc ſolutio vera eſt, utique ex quantitate, & ſubſtantia fiet unum ens per ſe, cum quantitas poſsit, per vos, in materia recipi ſpecificativè ſumpta, & abſque omni forma. *Imò* æqua ratione impunè tueberis, ex compoſito, & quovis accidenti fieri unum ens per ſe, ſi initaris propoſito, quo affirmes, accidens non afficere materiam primam reduplicativè, ut in actu, ſed ſpecificativè; cum illam capacem admittas accidentium.

11 *Deindè*: Actio phyſicè productiva formæ in materia, cum phyſica ſit, non eſt præciſiva, ità ut valeat attingere materiam ſecundùm ſe ipſam, & non, ut informatam, ſi re verà informata eſt; ſed aſſumptio materiæ informatæ ſpecificativè ſecundùm ſe ipſam eſt mera intellectus præciſio, & reflexio: Ergò. *Conf.* Ideò compoſitum per ſe non ordinatur ad compoſitionem, quia in ſe poſsidet ſuum perfectivum ſubſtantiale per compoſitionem conſequibile; ſed materia informata in ſe ipſa poſsidet ſuam formalem perfectionem: Ergò.

12 *Urg.* Materia prima ſemèl informata, neque plùs, neque pluries informari valet, niſi formæ, aut attemperentur, aut unum fiant in ratione informantis; ſed ità fieri, repugnat: Ergò. Min. patet: cum enim informent per ſuæ ipſarum entitaris communicationem, attemperari non poſſunt; neque fieri unum in ratione informantis, quin identificentur, fiantque una forma. Prob. maj. Locus ſemèl adæquatè occupatus, neque plùs, neque pluries occupari poteſt, quin omnia corpora, illud occupantia, attemperentur, fiantve unum in ratione locati, ſeu occupantis locum: Ergò.

13 Patet ant. Niſi enim illa corpora ità localem extenſionem coarctent, ut non majorem omnia protrahant, quàm illud ſolùm priùs locum adæquans, niſi penetrentur, fiant-

que

que unum in formali superficie convexa, qua immediatè attinguntur à loco, licet in materiali ratione locati distinguantur; in eodem loco, nec divinitùs valent existere. At simile quid contingere non potest in formis substantialibus, quippè quæ formam informant per intrinsecam suarum entitatum communicationem, quarum respectu nulla attemperatio esse potest, sed necessariò quælibet totam, & quantùm potest informat materiam; neque ab hoc possunt divinitùs impediri, cum sit earum formalis effectus, & constitutivum: Ergò.

14 *Atque hinc* rejectam habes solutionem aliam, qua dici solet, materiam non posse informari priùs una forma, posteà altera; sed duplici, aut multiplici simùl. Nostra enim urgentia utriusque convincit oppositum, ut consideranti patebit. *Adhæc*: Si utraque forma simùl informat adæquatè materiam, quælibet ex illis informat materiam simùl adæquatè informatam ab alia: Ergò materia ad quamlibet earum se habet, ut quid in actu completo, & non in potentia substantiali, ut requiritur ad componendum unum ens per se.

15 *Nec dicas*: Formam substantialem essentialiter esse actum primum materiæ exactivè; non autem actualiter, & exercitè, consequenter exigere non alium secum, aut se priorem habere actum primum; at divinitùs hujus exigentiæ termino privari posse. *Nam*, ità est in linea informativa actus primus materiæ, sicut in linea constitutiva actus primus compositi; sed ita est actus primus constitutivus compositi, ut exercitè excludat alium: Ergò. *Deinde*: Ità est *primus*, sicut est *actus*; imò magis determinata est ratio *primi*, quàm ratio *actus*; sed ità est actus, ut semèl informans, nequeat non esse actum exercitè: Ergò pariter.

16 *Impug.* 2. prima arg. solutio: Eadem natura nequit simùl terminari multiplici subsistentia creata, adhuc diversa suppositа constituendo: Ergò pariter. Tenet conseq. Quia,

sicut

ſicût ſubſiſtentia eſt ultimum naturæ complementum, ità forma eſt primum complementum naturæ. *Neque* hic proderit ſolutio data *num.* 10. alioquin etiam natura ſubſiſtens ſpecificativè poſſet aliis terminari ſubſiſtentiis. *Reſp.* (29) Subſiſtentiam reddere naturam alteri abſolutè incommunicabilem, cum hic ſit ejus effectus formalis; non autem forma materiam primam informabilem, quia non eſt ejus effectus formalis alterius formæ expulſio ab eadem materia.

17 *Contrà*: Ideo ſubſiſtentia reddit naturam alteri incommunicabilem, quia illam ultimò complet in linea ſuppoſiti, ut diximus in Metaphyſica; (30) ſed etiam forma primò actuat materiam: Ergò. Sicut enim eſt de ratione ultimi actus alium ſecum, aut ſe poſteriorem non habere in eodem genere; ita eſt de ratione primi, alium ſecum, aut anteriorem non permittere. *Contrà* 2. Expulſio alterius formæ eſt effectus formalis formæ: Ergò. Prob. ant. Forma per formalem ſui communicationem expellit aliam, introductio enim unius eſt alterius expulſio: Ergò.

18 *Nec dicas*: (31) Expulſionem alterius formæ, eſſe effectum ſecundarium formæ, non autem primarium. *Quia* quævis forma ſubſtantialis in ſuo effectu formali primario includit eſſentialiter alterius formæ privationem: Ergò. Prob. ant. Effectus formalis primarius formæ eſt ipſa forma, non utcumque, ſed primò communicata, primòque informans, primòque conſtituens; ſed de ratione implicita primi communicati, informantis, conſtituentis eſt, non aliud primum ſimùl, aut ante ſe permittere: Ergò. Quamvis igitur expulſio illa non ſit de ratione explicita effectus primarii, eſt de intrinſeca ratione illius.

19 *Prætereà*: Licet expulſio alterius formæ ſit effectus ſecundarius formæ, eſt divinitùs inimpedibilis: Ergò. Prob.

(29) *Curſ. Alcan. 1. Phyſic. diſput. 4. cap. 5.*
(30) *Lib. 2. quæſt. 2. artic. 3. à num. 10.*
(31) *Pater Loſſad. hìc, num. 14.*

ant. Effectus ſecundarius negativus immediatè ortus ex primario, eſt divinitùs, poſito primario, inimpedibilis; ſed hujuſmodi eſt expulſio illa reſpectu formæ: Ergò. Maj. patet in expulſione tenebrarum per lucem, peccati per gratiam: quia enim tenebrarum expulſio immediatè oritur ex illuminatione, quæ eſt primarius lucis effectus; eſt, poſita illuminatione, inimpedibilis. Prob. min. Expulſio alterius formæ non convenit formæ vi alicujus ſuperadditi ipſi auferibilis, ſed vi ſuæ ipſius informationis: Ergò.

20 *Impug.* 3. prima ſolutio poſita *num.* 8. Nam ex ea ſequitur, quòd, poſitis in materia formis ligni, & hominis, reſultaret compoſitum ſpecie duplex, utpote duabus ſpecie diverſis formis conſtitutum; & unum numero, nam ea ſunt unum numero, quorum materia eſt una, ſi quid valet authoritas Ariſtotelis: (32) ſed hoc eſt impoſsibile: Ergò. *Conf.* Si materia illorum compoſitorum eſſet una, alterum prædicaretur de altero; v. gr. *Lignum eſt homo*; ſicut verè dicitur, *album eſt dulce*, cum albedinis, & dulcedinis eſt idem ſubjectum; ſed hoc eſt appertè falſum: Ergò.

21 Mitto abſurda plurima ex Contrariorum doctrina pullulantia: *Ut*, quòd ſi altera forma eſſet irci, cervi altera, reſultaret irco-cervus: ſi una eſſet anima, altera forma cadaveris; reſultaret vivum cadaver, aut animatum mortuum: ſi una eſſet forma lupi, ovis altera; lupus, volens comedere carnem ovinam, vellet propriam carnem comedere, & ovis volens lupum fugere, vellet fugere ſemetipſam: ſi eſſent duæ animæ rationales; altera poſſet alterius operationem impedire ab intrinſeco, adeoque nulla eſſet libera: imò, ſi altera Deum finaliter amaret, altera odio haberet, in die judicii earum corpus, nec præmio, nec ſupplicio donari poſſet. (33)

SECUNDA

(32) 5. *Metaphyſ. tex.* 12.
(33) *Pro his, & aliis, vide Lang. hìc.*

SECUNDA CONCLUSIO.

22 *DICIMUS* 2. Nec dantur, nec dari poſſunt, adhuc divinitùs, duæ formæ ſubſtantiales ſubordinatæ in eadem numero materia; itaque rejicienda eſt forma corporeitatis, à viventis anima realiter diſtincta. Sic D. Thomas: (34) *Non ergò ſic eſt intelligendum, quaſi corpus ſit conſtitutum per unam formam, quæ faciat ipſum eſſe corpus, & ſuperveniat ei anima faciens ipſum eſſe vivum; ſed, quia ab anima eſt, & quòd corpus ſit, & quòd ſit corpus vivum.* (35) *Impoſsibile eſt ponere plures formas ſubſtantiales ordinabiles adinvicem in materia.*

23 Hæc concluſio eiſdem rationibus, quibus præcedens, probari poteſt: æquè enim probant de formis ſubordinatis, ac de diſparatis. Et, quia de pluribus animabus in lib. de Anima (Deo annuente) loquemur: *PROB.* Concluſio ſpeciatim de forma corporeitatis: Si daretur in viventibus forma corporeitatis, anima corpori unita non eſſet forma ſubſtantialis, ſed accidentalis; ſed hoc eſt falſum: Ergò. Prob. maj. Forma adveniens enti ſubſtantialiter completo, eſt forma accidentalis; ſed anima adveniret corpori in ſua ſpecie ſubſtantialiter completo: Ergò.

24 *Reſp.* Scotiſtæ, (36) materiam cum ſola forma corporeitatis non eſſe in actu completo, & non ſubordinato in linea ſubſtantiali; ſed ſolùm in actu incompleto, & ſubordinato. *Sed* ex hac ſolutione infertur contra communem Phyſicorum ſenſum, formam ſubſtantialem non eſſe ſubſtantiale complementum materiæ. *Infertur* 2. Compoſita inanimata non eſſe in actu ſubſtantiali completo; nihil enim plùs habent, quàm corpus exanime, ſeu cadaver; ſicut enim illa

(34) 2. *De Anima, lect.* 1.

(35) *Opuſ.* 32. *cap.* 6. *V.* 1. *p. q.* 118. *art.* 2. *Opuſ.* 42. *cap.* 15.

(36) *Maſt. hìc, diſp.* 2. *n.* 79. *Curſ. Alcan. hìc, cap.* 4. *num.* 22.

non ordinantur ad animam, sic ista. *Infertur* 3. lignum cedrinum, scisum jam, minùs esse completum, quàm papyri folium, cum hoc sit in actu completo, & non illud.

25 *Impug.* solutio: Licet materia per formam corporeitatis non sit ultimò completa in specie viventis, est ultimò completa in specie corporis: Ergò anima adveniens erit accidentalis. Patet ant. quia nihil insuper ei deficit, ut sit corpus specificè, & substantialiter. *Si dicant*: Speciem corporis esse speciem incompletam, cum ordinetur ad speciem viventis. *Cur* species corporis ordinatur ad speciem viventis? Quia formam viventis exigit? Ergò omnis species materialis, sive hominis, sive leonis, aut plantæ ordinatur ad speciem *quanti*, cum exigat naturaliter quantitatem.

26 *Deinde*: Si species corporis, per formam corporeitatis constituta, ordinatur ad speciem viventis: *Cur*, species lapidis, ligni, &c. non ordinatur ad speciem viventis? Quia est species determinati corporis, lapidis nempè, aut ligni? Corpus quoque ante animam rationalem est, per vos, in specie carnis, sanguinis, ossis, &c. *Si dicas*: carnem, & ossa esse ritè dispositа per suam formam ad animam rationalem. Vinum etiam est ritè dispositum ad formam aceti: pone igitur formam aceti esse formam superadditam vini formæ; aut, hanc non corrumpi, dum generatur acetum.

27 *Urg.* Posita forma corporeitatis, nullo ex capite discernitur forma viventis à forma accidentali: Ergò. Prob. ant. *In primis* non discernitur ex eo, quòd sit actus primus materiæ in ordine introductionis: *Tum*; quia supponit jam in materia formam substantialem, sicut accidens: *Tum* etiam; quia, per vos, accidentales quoque dispositiones ad formam sunt in materia priores. *Deinde*, neque ex eo, quòd sit actus primus in perfectione: nam, si natura sua supponit substantialem perfectionem in materia; etiam quantitas erit hoc modo actus primus, quippè quæ supponit substantiam completam, eamque complet iterùm in specie *quanti*.

Non

28 *Non inſuper* ex eo, quòd ſit radix plurium accidentium : nam quatuor etiam primæ qualitates in mixto attemperatæ radicant plures qualitates ſecundas. *Non* denique ex eo, quòd unum per ſe conſtituat : quia nullam aſsignatis rationem, qua forma viventis unum per ſe conſtituat, quæ æquo jure non convincat de quantitate unita ſubſtantiæ materiali : Si enim aſſeras, quòd dat eſſe ſimpliciter *viventis*: Cur non etiam quantitas dabit eſſe ſimpliciter *quanti*. Aut, ſi eſſe *quanti* eſt eſſe ſecundùm, & accidentale, quia ſupponit eſſe ſubſtantiale : quare eſſe animati, cum eſſe ſimpliciter ſubſtantiale corporis ſupponat, non erit ſecundum, & accidentale?

29 *PROB.* 2. Concluſio : Non ſunt multiplicandæ entitates ſine neceſsitate ; ſed nulla eſt neceſsitas ponendi corporeitatis formam à forma vitali diſtinctam : Ergò. Prob. min. ſingula Scotiſtarum motiva percurrendo. *In primis* non eſt neceſſaria ad conſtituendum corpus de prædicamento ſubſtantiæ : Ergò. Prob. ant. Corpus de prædicamento ſubſtantiæ eſt ſubſtantia materialis completa cum quantitate naturaliter connexa ; ſed anima etiam rationalis, caſu, quo materiæ immediatè uniretur, conſtitueret hominem, ſubſtantiam quidem materialem completam impotentem ſine quantitate exiſtere : Ergò.

30 *Urg.* Anima conſtituit hominem in eſſe ſubſtantiæ, viventis, animalis, & hominis : Ergò etiam in eſſe corporis. Prob. conſeq. *Tum*, quia, cum gradus corporis ſit medius inter gradum ſubſtantiæ, & gradum viventis ; contra rationem naturalem eſſet, quòd anima hos gradus cauſaret, & non illum: *Tum* etiam; quia animalitas, & corporeitas, cum ſint gradus metaphyſici, non diſtinguuntur realiter abſolutè: Ergò neque formæ, quarum ſunt formales effectus, diſtinguuntur realiter : Atquì corporeitas eſt effectus formalis formæ corporeitatis, animalitas formæ viventis: Ergò.

31 *Si dicas* : gradum metaphyſicum corporis non provenire

nire à forma physica partiali, sed à forma totali, seu à toto composito. *Sic arg.* Vel provenit à forma totali, quæ, per se, realiter resultat ex anima, & corpore; vel ab illa, quæ ex materia, formaque corporeitatis resultat? *Si dicas* secundùm: Ergò, cum illa totalitas adæquatè perseveret in cadavere, cadaver adæquatum conservat gradum corporeum hominis à gradu animalitatis realiter absolutè separatum: Ergò in homine realiter absolutè distinguuntur illi gradus, utpote realiter separabiles.

32 *Si asseras* primum: Ergò, cum illa forma totalis sit effectus formalis animæ, ille quoque gradus corporeus causabitur mediatè, adminùs inadæquatè, ab anima; alioquin adæquatè præstabitur ab illa forma totali quatenùs effecta à forma corporeitatis. Si ergò anima præstare potest formaliter effectum corporeum, superflua est forma corporeitatis. *Adde*: Forma totalitatis ex anima, & corpore aliquid corporeitatis importat, præter id, quòd importat forma totalis corporeitatis; alias sicut hoc esse corporeum manet in cadavere, illud quoque persisteret; atqui illud plùs corporeitatis à sola anima causari potest: Ergò.

33 *Deinde*: Neque est necessaria forma corporeitatis ad constituendum corpus organicum: Ergò est superflua. Prob. ant. Anima per se ipsam radicat accidentia corporis organizativa; nec debet præsupponi corpus ante animam formaliter organicum: Ergò. Prob. ant. Quælibet forma substantialis per se radicat accidentia materiæ dispositiva ad suas operationes: itaque forma lapidis non indiget forma prævia materiam solidante, nec forma aquæ prærequirit aliam formam fluidantem materiam, sed per se ipsas radicant formales soliditatem, & fluiditatem: Ergò pariter.

34 *Si dicas*: animam rationalem, utpote spiritualem, radicare non posse accidentia materialia. *Sed* cur ea non radicabit anima bruti? *Præterea*: Ex dictis constat, animam præstare posse gradum corporis, atque formaliter causare

formam

formam totalitatis corpoream : Ergò à pari. *Inſuper*: amina rationalis exigit per ſe formam corporeitatis, quæ materialis eſt. *Deinde* : Anima rationalis immediatè radicat ſenſitivas operationes, quæ materiales ſunt : Ergò. *Inſuper* Radicat calorem naturalem, qui materialis eſt : ſi enim à forma corporeitatis radicaretur ; anima ſeparata, in cadavere permaneret, quandiù permanet corporeitatis forma; quòd falſum eſt.

35 *Denique* : non eſt neceſſaria corporeitatis forma ad cauſandam diverſitatem eſſentialem inter carnem, & oſſa: quia major, aut æqualis eſt diverſitas inter viſum, & auditum, inter motum, & vitam, quin tamen hæc proveniant in homine à diverſis formis ſubſtantialibus : par datur diverſitas inter partem denſiſſimam, & partem raram, ſeu ſpongioſam ejuſdem lapidis, inter aquam gelidam, & fluidam; at non ideo, ad has cauſandas diverſitates requiruntur diverſæ formæ, ſed unica ſufficit, diverſa radicans accidentia, quibus illi diverſi effectus cauſari valeant: Ergò pariter.

SOLVUNTUR ARGUMENTA CONTRARIA.

36 *ARGUES* 1. contra primam Concluſionem : Duplicem formam informare eamdem numero materiam, neque repugnat ex parte materiæ, neque ex parte formarum : Ergò. *Probatur antecedens* quoad primam partem : Capacitas materiæ eſt infinita ad omnes formas : Ergò. *Prob.* idem anteced. quoad ſecundam partem *primò* : Expulſio alterius formæ ab eadem materia non eſt effectus primarius formæ, ſed ſecundarius ; ſed Deus poteſt impedire ſecundarium effectum formæ perſeverantis: Ergò. *Urg.* Sicut expulſio alterius formæ eſt effectus ſecundarius formæ, & quidem negativus ; ita expulſio alterius corporis eſt effectus ſecundarius negativus corporis ; ſed duo corpora poſſunt eſſe divinitùs in eodem loco : Ergò pariter.

Secundò:

37 *Secundò*: Nulla eſt repugnantia in eo, quòd triplex ſubſiſtentia Divina terminet ſimùl eamdem naturam creatam: Ergò pariter: quia, ſicut forma eſt actus primus, ita ſubſiſtentia actus ultimus. *Tertiò*: non repugnat duas contrarias qualitates intenſas in eodem ſubjecto adunari: Ergò pariter. Conſeq. tenet. *Tum*; quia magis opponi videntur illæ qualitates, v. gr. calor, & frigus, quàm duæ formæ ſubſtantiales: *Tum* etiam; quia illæ qualitates ſunt ultimæ diſpoſitiones ad diverſas formas. *Conf.* Non implicat, in eadem materiâ recipi ultimas accidentales diſpoſitiones ad diverſas formas, cum illæ contrariæ non ſint; ſed poſita ultima diſpoſitione ad formam, neceſſariò ponitur forma: Ergò.

38 *Reſp.* nego ant. quoad utramque partem. *Nam*, duas ſimùl formas eamdem informare materiam, repugnat in primis ex parte materiæ: quia eſſet, & non eſſet primum ſubjectum cujuſcumque formæ; ſiquidem primum ſubjectum, qualis eſt eſſentialiter materia prima, adæquatur intenſivè ab una forma ſubſtantiali: ideò reſpectu alteriùs eſſet, & non eſſet primum ſubjectum; eſſet, & non eſſet adæquatum. *Nec* obſtat oppoſita probatio: quia capacitas materiæ ad formas eſt infinita ſincathegorematicè, ideſt ad recipiendas infinitas formas ſucceſſivè, & diviſim; non autem cathegorematicè, ad eas omnes ſimùl recipiendas.

39 *Deinde* repugnat ex parte formarum, ut ex noſtris probationibus conſtat. *Ad* 1. *prob.* in contrarium *reſp.* nego maj. quia, cum forma ſit eſſentialiter actus primus materiæ, ejus effectus formalis primarius non eſt utcumque informare, aut quomodolibet dare eſſe ſimpliciter; ſed primò informare, & dare primum eſſe ſimpliciter, & ſubſtantiale: in quo neceſſariò includitur expulſio alterius, aut anterioris, aut ſimultaneæ informationis; cum ſit de ratione primi non aliud ante ſe, aut ſecum permittere in eodem genere. Unde effectus primarius formæ integratur ex duplici

plici conceptu ; altero poſitivo, qui eſt informare, altero negativo , qui eſt aliam formam expellere : licet pro explicito ille ſit primarius , hic ſecundarius.

40 *Nec dicas* : primarium effectum formæ , utpote poſitivæ , debere eſſe poſitivum, qualis non eſt expulſio alterius formæ. *Nam* eſt poſitivum quoad primariam expreſsionem, & in recto ; non quoad ſecundariam expreſsionem ejuſdem effectus primarii, ſeu in obliquo : ſicut effectus formalis ſubſtantiæ , quoad primariam expreſsionem , eſt , *per ſe exiſtere*; quoad ſecundariam , *non exiſtere in alio*. Vel ſecundò reſponderi poteſt , diſt. maj. Eſt effectus ſecundarius immediatè ortus à primario , & cum illo metaphyſicè connexus, concedo maj. non ita ortus, & connexus , nego maj. & diſtincta min. nego conſeq.

41 Sicut enim tenebrarum expulſio eſt ſecundarius lucis effectus , ſic cum primario connexus , ut , nec divinitùs ſine tenebrarum expulſione valeat eſſe illuminatio ; ità alterius formæ expulſio eſt cum ſubſtantiali informatione connexa , ut nequeat contingere ſubſtantialis informatio ſine alterius formæ expulſione ; quia forma eſt eſſentialiter actus primus. *Dices* : Extenſio localis eſt effectus ſecundarius quantitatis à primario immediatè ortus , & ſuper ipſum immediatè fundatus ; ſed poteſt quantitas privari extenſione locali , ut patet in corpore Chriſti in Euchariſtia : Ergò pariter.

42 *Reſp.* nego conſeq. Quia extenſio localis eſt effectus ſecundarius poſitivus ; qui , cum dependeat à poſitivo influxu Dei , per influxus ſuſpenſionem poteſt impediri : at verò expulſio alterius formæ eſt effectus privativus formæ , qui nequit ullatenùs impediri : ſicut nequit impediri , poſita illuminatione , expulſio tenebrarum ; & , poſita gratia , expulſio peccati : *Inſtab.* Impenetrabilitas eſt effectus ſecundarius privativus quantitatis ; ſed valet à Deo impediri : Ergò. Nego conſeq. Quia impenetrabilitas non oritur immediatè

ab effectu primario, & inimpedibili; sed ab extensione locali, (37) quæ impedibilis est: Cæterùm expulsio alterius formæ oritur immediatè ab effectu primario formæ, qui est informare per modum actus primi.

43 *Atque* indè patet disparitas ad *Urg.* positam *num.* 36. *Sed* aliter quoque redditur disparitas. Nam duo corpora unum fieri possunt in ratione locati, seu occupantis locum; at duæ formæ nequeunt fieri unum in ratione informantis materiam. Et ratio est: quia corpora penetrari possunt; quod sufficit, ut sint unum formaliter locatum; ut autem formæ essent unum formaliter informans, deberent fieri una formalis entitas, eò quòd forma informet per suæ entitatis communicationem, ut dictum est suprà *num.* 13. *Vel* dicito: (38) Unum corpus aliud excludere positivè, quasi influendo, ad quod Deus positivè concurrit; ideòque potest illa exclusio impediri per Divini concursus suspensionem: una autem forma aliam expellit privativè, à quo nequit forma communicata separari.

44 *Nec dicas*, formam, dum primò informavit materiam, nullam formam expulisse, cum nulla antecesserit. *Nam* expulit nullam formaliter, & de facto; expulit tamen in jure, & debito, quatenùs ipsi debetur titulo primi actus, ut aliam quamcumque formam ex eadem materia excludat impeditivè. *Ad* 2. *prob.* positam *num.* 37. nego conseq. Disparitas est *primò*: Quia tres Divinæ subsistentiæ non se excludunt in terminando naturam, cum realiter identificentur cum natura Divina, quam de facto terminant: at formæ substantiales sua ratione formali se essentialiter excludunt in informando materiam, quia sunt actus primi de linea substantiali.

45 *Dices*: Etiam subsistentiæ Divinæ sunt actus ultimi. *Resp.* dist. ant. Sunt actus ultimi absolutè, nego ant. Solùm in

(37) *V. Met. lib.* 2. *quæst.* 3. *art.* 1. *à num.* 8.

(38) *Palanc. quæst.* 15. *num.* 12.

in determinata linea relativa, concedo ant. & nego conſeq. Licet enim Divinæ ſubſiſtentiæ relativæ ſint ejuſdem lineæ, quaſi genericæ; ſunt tamen diverſæ lineæ, quaſi ſpecificæ; quia ſubſiſtentia Filii non terminat naturam abſolutè, ſed relativè prout in Filio (idem de aliis intellige ſuo modo) atque adeò relinquit illam terminabilem relativè prout in Patre, & in Spiritu Sancto. Cæterùm forma eſt abſolutè actus primus materiæ, quam proindè abſolutè, & ſimpliciter informat, nec eam relinquit ſimùl informabilem ab alia. (39)

46 *Secundò* redditur diſparitas: quia natura abſolutè terminabilis, ſolùm adæquari poteſt, tam intenſivè, quàm extenſivè per ſubſiſtentiam abſolutè terminantem: cum autem natura, tam Divina, quàm creata per ſubſiſtentiam relativam Filii non abſolutè, ſed relativè prout in Filio terminetur; ideò ſolùm adæquatur intenſivè, non autem extenſivè, quominùs poſsit per alias ſubſiſtentias relativas terminari. Enim verò materia abſolutè completur per unam formam; ideò adæquatur intenſivè, & extenſivè, quoad eſſe, licet non quoad perpetuitatem: Sicut, quia ſubſiſtentia creata abſolutè terminat naturam humanam, eam adæquat etiam extenſivè; adeòque non poteſt alia, etiam Divina, ſimùl terminari.

47 *Dices* 1. Subſiſtentia Divina creatam continet eminenter, ejuſque præſtat formalem effectum; ſed hæc extenſivè adæquatè terminat naturam: Ergò. *Dices* 2. Subſiſtentia Divina Verbi adæquatur cum natura Divina; ſed nihilominùs terminat humanam: Ergo. *Ad* 1. diſt. maj. Præſtat ejus effectum quoad terminationem intenſivè adæquatam, in quo nulla eſt imperfectio, concedo; quoad terminationem extenſivè adæquatam, nego, quia in hoc involvitur limitatio virtutis terminandi. *Ad* 2. diſt. maj. Intenſivè, concedo; extenſivè, nego. Sicut natura Divina non adæ-

(39) *V. Irrib. hìc, arg.* 2.

quatur extenſivè à ſubſiſtentia Verbi, ideòque terminatur per alias ſubſiſtentias Divinas; ità ſubſiſtentia Verbi non adæquatur extenſivè à natura Divina, atque adeò poteſt naturam humanam terminare.

48 *Ad* tertiam prob. *num.* 37. nego maj. cujus falſitas conſtat ex Metaphyſica, (40) ſi procedat argumentum de qualitatibus in ſummo intenſis; aliòquin, nec dicunt ſimpliciter oppoſitionem, quam infert duarum formarum poſitio in eadem materia; neque ſunt ultimæ diſpoſitiones ad formam ſubſtantialem. *Ad Conf.* ibidem poſitam, diſt. min. Ponitur forma eſſentialiter, nego min. connaturaliter, concedo min. & nego conſeq. Inter diſpoſitiones prævias, poſita ultima, connaturaliter neceſſariò reſultat forma; ſed poteſt divinitùs non reſultare. At verò poſita ultima diſpoſitione concomitante formam, neceſſariò eſſentialiter ponitur forma; at æquè repugnat ejuſmodi diſpoſitiones, ac formas ipſas ſimùl eſſe in eadem materia; quia illæ diſpoſitiones à formis procedunt dimanativè.

49 Pro aliis ſolvendis *adverte* 1. Quòd, dum corrumpitur forma, aliaque introducitur; ſimùl illa deſinit, atque hæc incipit eſſe: ſed ità, ut illa deſinat extrinſecè per primum ſui *non eſſe*; hæc autam incipiat intrinſecè per primum ſui *eſſe*: dum ergò aliquid eſt formæ excludendæ, nihil eſt formæ introducendæ; at, dum incipit prima non eſſe, incipit eſſe ſecunda. *Adverte* 2. In eodem compoſito inveniri duo prima principia, materiam, & formam, ſed duo primi actus inveniri non poſſunt; quia illa principia ſunt in diverſo genere, at duo primi actus ſunt in eodem genere.

50 *Adverte* 3. Chriſtum Dominum eſſe unicum individuum unitate ſuppoſiti, non unitate naturæ; ſi autem duæ formæ ſpecie diverſæ eſſent in eadem materia, reſultaret unicum individuum in natura ratione unitatis materiæ, & duplex in ſpecie diverſa ratione duplicis formæ. *Adverte* 4.

Effectum

(40) *Lib. 2. quæſt. 5. art. 3.*

Effectum cauſæ efficientis, utpotè agentis per virtutem extrinſecam, poſſe à Deo impediri; ſecùs effectum cauſæ intrinſecæ, qui eſt cauſa ipſa communicata. *Adde* 1. In formarum compoſitione nullam involvi contradictionem formaliter, & expreſsè; benè verò implicitè, & illativè, ut diximus *num.* 7. *Adde* 2. Cum rubus Moyſi ardebat, forma ignis erat in aere rubo proximo; non in materia rubi.

51 *Ex dictis inferes*: Repugnare eamdem formam plures informare materias. *Primò*: Quia quælibet eſſet, & non eſſet primum ſubjectum illius formæ. *Secundò*: Quia multiplicaretur effectus formalis formæ, immultiplicata forma; quod repugnat, cum effectus formalis formæ ſit ipſa forma, ut communicata. *Tertiò*: Quia illa forma eſſet à ſe indiſtincta, ut ſupponitur; & eſſet diſtincta, quippè quæ diſtinctas præſtaret ſimùl ſui exhibitiones, in quibus ſtarent diverſarum materiarum informationes.

52 *ARGUES* 2. contra 2. Concluſionem: Juxta Ariſtotelem, (41) Anima eſt: *Actus corporis phyſici, & organici potentia vitam habentis*: Ergò anima ſupponit corpus phyſicum organicum conſtitutum in eſſe talis, cum omnis actus ſuam præſupponat potentiam; ſed non per ſolam materiam: Ergò per formam corporeitatis ab anima realiter diſtinctam. *Ad* ſolutionem nota, quòd *corpus* primo ſumitur mathematicè pro quantitate trinæ dimenſionis penes longitudinem, latitudinem, & profunditatem. *Secundò* ſumitur phyſicè pro ſubſtantia completa à quantitate naturaliter inſeparabili: *Tertiò* accipitur pro corpore organico.

53 Sed iterùm *nota*, organizationem in eo conſiſtere, quòd ſubſtantia materialis determinatam habeat figuram, debitam partium extenſionem, ac diverſitatem penes duritiem, aut mollitiem, penes fluiditatem, aut ſoliditatem, quatenùs ad peragendas vitæ functiones requiruntur. At verò hæc organizatio proximè, & formaliter cauſatur ab accidentibus,

(41) 2. *de Anim. cap.* 3.

cidentibus, calore, frigore, humiditate, & siccitate, aliter in carne, aliter in osse, in sanguine aliter attemperatis; radicaliter autem provenit à forma substantiali ea accidentia radicante, quæ ante animæ introductionem est forma embryonis, sive massæ illius, quæ primò in matris utero formatur; deinde est ipsa anima.

54 *Resp.* ad arg. dist. ant. Anima est actus informativus corporis, nego ant. est actus constitutivus corporis, concedo ant. & nego conseq. Anima enim, sicut quælibet alia substantialis forma, immediatè informat materiam, & constituit corpus, seu compositum substantiale; at non informat compositum, neque illud præsupponit: Sicut anima dicitur forma hominis; non, quòd hominem informet, sed constituat: & lux dicitur actus lucidi; non quidem informativus, sed constitutivus; ideòque lucidum non præsupponit. (42)

55 *Dices*: Anima est actus informativus corporis: Ergò. Prob. ant. Anima est actus informativus alterius compartis physicæ, cum qua unitur, & cui tribuit effectum vivendi; sed anima unitur corpori organico, ipsique tribuit effectum vivendi: Ergò. *Conf.* Anima supponit corpus organizatum, & constitutum: Ergò. Prob. ant. Corpus, nisi sit organicum, non est capax animationis: Ergò. *Resp* neg. ant. Ad prob dist. min. Corpori organico per animam ipsi unitam, concedo min. organico per aliam formam simùl cum anima materiam informantem, nego min. & conseq.

56 In materia itàque viventis priùs recipitur embryonis forma, vi cujus formatur jam corpus, atque imperfectè organizatur per dispositiones accidentales ab illa dimanantes: at verò, cum materia sic disposita ad eam organizationis perfectionem advenerit, ut jam sit capax animationis: expellitur embryonis forma cum omnibus suis accidentibus deservientibus organizationi, atque illi formæ succedit anima suas etiam organizativas radicans dispositiones, quibus organizatio

(42) *Ita D. Thom. 1. par. quæst. 76. art. 4. ad 1.*

ganizatio perficitur : *Quia per animam, & eſt corpus, & eſt organicum.* (43)

57 At verò (44) *dicendum eſt, quòd anima præexiſtit in embryone, à principio quidem nutritiva, poſtmodùm autem ſenſitiva, & tandem intellectiva*; ità tamen, ut, quamvis tempore priùs exerceat nutritivas operationes, quàm ſenſitivas, ſenſitivas quoque priùs, quàm intellectivas; præſtet ſolùm pro priori naturæ gradum corporis, deindè gradum vegetativum, poſtmodùm ſenſitivum, ac denique rationalem. *Ad Conf.* diſt. min. prob. Niſi ſit organicum imperfectè per formam embryonis ante animæ introductionem, & perfectè per ipſam animam introductam, concedo min. aliter, nego min. & conſeq.

58 *Inſtab.* 1. Anima rationalis nequit conſtituere corpus organicum : Ergò. Prob. ant. Anima rationalis eſt ſpiritualis, & indiviſibilis; ſed corpus nequit conſtitui per aliquid ſpirituale, neque organicum per aliquid indiviſibile: Ergò. *Nec dicas* : Animam rationalem ſpiritualem, & indiviſibilem formaliter, & *ut quod*, eſſe corpoream, & diviſibilem virtualiter, eminenter, & *ut quo*. Nam *contrà* 1. Eatenùs forma conſtituit formaliter compoſitum, quatenùs illi communicat ſuum eſſe formale; ſed anima rationalis non habet ſuum eſſe formale corporeum, & diviſibile, ſed tantùm ſuum eſſe virtuale, ſeu eminentiale : Ergò.

59 *Contrà* 2. Eſſe formale compoſiti eſt eſſe formale ſuarum partium, cum totum à partibus non ſit, juxta Thomiſtas, realiter diſtinctum; ſed eſſe formale compoſiti eſt formaliter *ut quod* corporeum : Ergò. *Contrà* 3. Eſtò forma Solis ſit virtualiter calida, non conſtituit Solem formaliter calidum : Ergò pariter. *Urg.* Non minùs opponuntur corporeum, & incorporeum, quàm album, & nigrum; ſed eſſe nigrum nequit eſſe formalis effectus albedinis : Ergò neque

(43) *D. Thom. ubi ſupr.*

(44) *D. Thom. 1. par. quæſt. 118. art. 2. ad 1.*

neque esse corporeum valet esse formalis effectus formæ incorporeæ.

60 *Ad Inst.* resp. Animam rationalem formaliter in se ipsa, intransitivè, &, *ut quod*, esse incorpoream, & indivisibilem; esse tamen corpoream, & divisibilem transitivè, & constitutivè, nedum virtualiter, & eminenter, sed etiam formaliter, *ut quo*, prout *formaliter* sonat *in genere causæ formalis*, quia est id, quo materia, seu homo constituitur substantia completa exigens quantitatem, aliaque accidentia corporea: Sicut est, juxta plures Scotistas formaliter, *ut quo*, sensitiva, & vegetativa, quin talis sit entitativè, & *ut quod*. Circa organizationem reponimus, eam formaliter provenire ab accidentibus radicatis in anima, & ab ipsa exactis absque majori inconvenienti, quàm illud, quod Scotistæ invenire possunt in eo, quòd anima exigat formam corporeitatis.

61 *Ad* 1. *replicam* in contrarium, dist. min. Non habet suum esse formale corporeum intransitivè, &, *ut quod*, concedo min. transitivè, &, *ut quo*, nego min. *Ad* 2. dist. maj. Est esse formale suarum partium sumptarum simùl, & collectivè, concedo maj. divisivè, nego maj. Partes autem collectivè sumptæ sunt quid formaliter, *ut quod*, corporeum; ad quod non plùs requiritur, quàm, esse ipsas divisivè corporeas, *ut quo*. *Ad* 3. nego conseq. Quia forma Solis solùm est virtualiter, *ut quo*, calida; non formaliter, *ut quo*; cum non adjungatur materiæ calidæ ullo modo: è contrà autem anima, quæ materiæ jungitur formaliter corporeæ.

62 *Sed*, quia Scotistis semper arduum videtur, quòd forma non corporea, *ut quod*, valeat constituere compositum, *ut quod*, corporeum; id singulare non esse sciant in anima rationali; nam secunda intentio, qua constituitur universale, *ut quod*, singularis est; at constituit naturam, *ut quod*, universalem: Gratia insuper, quæ, *ut quod*, neque amica est Dei, nec filia, hominem constituit Dei amicum, & filium,

lium, *ut quod* : pariter ergò. *Si quæras* : Cur etiam forma corporea non poterit eſſe incorporea *ut quo* ? *Reſp.* Quia incorporeum negat omnem corporeitatem, ut patet ex terminis : corporeum autem ſecum admittit aliquam incorporeitatem, ut patet in homine. *Vide ſup. in hac quæſt. art. 2. num. 63.*

63 *Si iterùm quæras* : Cur homo non denominetur ſpiritus ab anima, *ut quod*, ſpirituali, ſicut denominatur corpus ab anima, *ut quo*, corporea ? *Inſto* : Cur homo non denominatur ſpiritus ab anima per ſe omnimodè ſpirituali, ſicut denominatur corpus à forma corporeitatis ? Ratio utriuſque eſt : quia partium denominatio in totum refunditur, quando totius indoli non repugnat ; ſecùs autem, quando ejus naturæ non congruit ; ſic homo à materia, & forma dicitur ſubſtantia, non autem partialis, actus primus, aut primum ſubjectum ; dicitur genitus ab unione genita, non creatus ab anima creata ; dicitur demùm intellectivus ab anima intellectiva, non autem immortalis ab anima immortali.

64 *Inſiſtes* : Ergo, ſi anima conſtituit hominem in eſſe corporis, anima erit hominis corporeitatis ; quod malè audire videtur. *Reſp.* quòd anima non poteſt dici totalis hominis *corporeitas*, cum hæc etiam ex materia conſtituatur ; poteſt tamen dici *corporeitas* per modum principii formalis, cum addito *independenter* à materia in eſſendo ; ſicut dicenda eſt *corporea* formaliter, *ut quo*, cum eodem addito ; quia cum quantitate connexionem, in qua ſtat corporeitas, fundat anima, non ſecundùm *eſſe*, ſed ſecundùm *ad eſſe* ; non ſibi, ſed compoſito.

65 *Ad Urg.* poſitam *num.* 60. reſp. diſt. maj. Non minùs opponuntur, quoad verificationem de eodem omninò ſubjecto, concedo ; quoad munus cauſæ, & effectus, nego maj. Nemo enim negare poteſt, ne Scotiſta quidem, quòd anima ſit cauſa formalis totius compoſiti materialis, & cor-

porei, qualis eſt homo, ſeu tertiæ entitatis reſultantis ex anima, & corpore, quæ eſt neceſſariò corporea. *Et inſto*, poſita eadem maj. Sed albedo nequit informare ſubjectum nigrum, nec exigere nigredinem in ſubjecto informabili: Ergò neque anima valet informare ſubjectum corporeum, aut illo exigere formam corporeitatis.

66 *Inſtabis* 2. contrà principalem ſolutionem poſitam *num.* 57. *&* 58. per adventum animæ non expellitur embryonis forma: Ergò. *Prob. ant.* 1. Forma embryonis eſt diſpoſitio ad animam; ſed non eſt diſpoſitio ad ſuam ipſius expulſionem: Ergò. *Secundò*: Adveniente anima, nulla defuit ad embryonis formam diſpoſitio, ſed potiùs perficiuntur. *Tertiò*: Forma, quæ, alia adveniente, expellitur, habet contrarias diſpoſitiones diſpoſitionibus advenientis; ſed diſpoſitiones animæ, & embryonis non ſunt contrariæ, ſed amicæ: Ergò. *Quartò*: Quia ſequeretur, embryonis formam ab eiſdem agentibus deſtrui, à quibus fuit producta.

67 *Reſp.* neg. ant. *Ad* 1. *prob.* diſt. maj. Eſt diſpoſitio lata, & ſolùm naturæ ordine, ſicut forma ignis ad formam carbonis, concedo; eſt diſpoſitio ſtricta, nego maj. Diſpoſitio propriè talis eſt, quæ ex ſe intrinſecè ordinatur ad formam, eſtque propter illam; at embryonis forma non ordinatur intrinſecè ad animam, nec illam exigit, eſtque propter ſe; nec ideò introducitur, ut materiam præparet ad animam, ſed ſolùm, ut materiam compleat, ſuumque compoſitum conſtituat: præparatur autem à virtute ſeminali, aliiſque accidentalibus diſpoſitionibus. Undè, forma embryonis ſolùm ordine naturali præcedit animam, ſicut vini forma formam aceti; & ab agente extrinſeco ea intentione producitur, ut ipſi ſuccedat anima, ac proindè dici poteſt ab extrinſeco ordinata.

68 *Ad* 2. nego maj. Quia embryonis forma exigit diſtinctum, ac remiſsius qualitatum temperamentum, ac anima rationalis: ideòque expellitur illa, quando illud temperamentum

peramentum exuperat ipsius exigentiam ; sicut expellitur anima , cum ex humorum alteratione eorum temperies animæ debita destruitur. *Ad* 3. nego min. Nam embryonis forma , & anima petunt contrarium qualitatum temperamentum ; ità , ut si anima exigat , v. gr. quatuor caloris gradus , frigoris duos ; forma embryonis postulat quatuor frigoris , duos caloris gradus. *Ad* 4. concedo sequellam ; si illud fiat diversis dispositionibus : sicut gallina , quæ ovum genuit, ejus formam destruit , ut pullum educat.

69 *ARGUES* 3. Separata anima rationali , manet idem numero corpus ; sed tunc non constituitur tale per animam: Ergò. *Prob. maj.* 1. In corpore mortuo remanent eadem numero accidentia corporis vivi : Ergò. *Secundò* : Corpus Christi mortuum in sepulchro erat idem numero , quod de Virgine natum , mortuumque fuit in Cruce : Ergò. Ant. patet : *Tum* ; quia , si non esset idem , corruptum fuisset in Cruce : *Tum* ; quia S. Augustinus expressè dicit : *Illam carnem in sepulchro non deseruit , quam in utero formavit* : *Tum*; quia daretur nova incarnatio Verbi Divini. *Tertiò* : Si corpus mortuum non est idem numero , quod erat vivum , reliquiæ Sanctorum non essent adoratione dignæ ; sed hoc est absurdum : Ergò.

70 *Conf.* Si corpus mortuum esset distinctum à corpore vivo , daretur nova forma cadaverica ; sed hoc est falsum: Ergò. Prob. min. Nulla est assignabilis causa novæ formæ cadavericæ , novorumque accidentium ad illam consequutorum : Ergò. *Urg.* In Eucharistia ponitur vi verborum corpus Christi ; sed vi verborum non ponitur anima rationalis, quæ solùm ponitur per concomitantiam , ut Tridentinum definit : (45) Ergò. *Adde* : Si aliquis Apostolus in triduo mortis Christi consecrasset, posuisset sub panis speciebus idem corpus Christi , quod nunc ponitur ; sed nunc non ponitur forma cadaverica : Ergò.

(45) *Sess.* 13. *cap.* 3.

71 *Ad arg.* resp. dist. ant. Manet idem simpliciter, nego ant. manet idem negativè, secundùm quid, quatenùs est idem secundùm materiam, concedo. *Nec dicas*, unitatem numericam sumi ab unitate materiæ. *Nam* sumitur ab unitate materiæ signatæ, quæ ibi non remanet eadem; non ab unitate materiæ secundùm se sumptæ. *Ad primam prob.* nego ant. Quia, materiæ deficiente actu primo, qualis est forma, pereunt actus secundi, qualia sunt accidentia; alioquin fierent actus primi: ideò in corruptione substantiali fit resolutio usque ad materiam primam, quæ sola remanet.

72 *Ad secundam*, dist. ant. Mansit idem omninò, & totaliter, nego; mansit idem suppositaliter, concedo. Licet enim, quantùm est ex parte humanitatis, nihil plùs remanserit in corpore Christi mortuo, quàm in quolibet alio homine; at in corpore Christi mansit idem suppositum: ideòque mansit idem absolutè, & simpliciter. *Hoc, quod dico simpliciter, potest accipi dupliciter: Uno modo, secundùm quod simpliciter idem est, quòd absolutè:: Et hoc modo corpus Christi mortuum, & vivum simpliciter fuit idem numero; dicitur enim aliquid esse idem numero simpliciter, quia est suppositò idem:: Alio modo simpliciter idem est, quòd omninò, vel totaliter: & sic corpus Christi mortuum, & vivum non fuit simpliciter idem numero.* (46)

73 *Ad 1. prob.* in contrarium, dist. illam: Fuisset corruptum corruptione philosophicè sumpta pro transitu de esse ad non esse hominis, concedo; corruptione vulgariter sumpta pro dissolutione, seu putrefactione, nego. Imò, *quòd non esset corruptum, corruptione dico mortis, est hæresis Gajanistarum*; ut ex Isidoro docet D. Thomas. (47) *Ad 2.* dico, quòd non deseruit illam carnem; quia caro, sicut corpus, ex se præscindit ab hoc, quòd forma viva, aut cadaverica, quibus fuit Verbum unitum, constituatur: (48) quæ fuit eadem simpliciter

(46) *V. attentè D. Thom. 3. part. quæst. 50. art. 3.*

(47) *Ubi supr.* (48) *V. D. Thom. ubi supr. art. 2.*

simpliciter in utero, & in sepulchro prout de corpore diximus.

74 *Ad* 3. dicimus, illam veram esse, si nova incarnatione solùm intelligatur assumptio novæ formæ carnis mortuæ constitutivæ; at verò absolutè non est dicenda nova incarnatio: *Tum*; quia caro cadaverica solùm æquivocè dicitur caro: *Tum* etiam; quia non assumpsit de novo carnem adæquatè, cum jam anteà assumpsisset ejus materiam; sed inadæquatè ex parte formæ: *Tum*, denique; quia non assumpsit illam permanenter, & ratione sui; sed transeunter, & ratione conservationis materiæ animæ rationali reuniendæ.

75 *Nunc* ad tertiam *prob.* primi ant. positam *num.* 70. resp. nego ant. Quia sufficit, eamdem esse materiam primam, quæ fuerat sub forma viventi, ut Sanctorum reliquiæ sint adoratione dignæ. (49) *Ad Conf.* nego min. & ant. prob. Quia, licet instrumenta mortis solùm sint causæ per accidens formæ cadavericæ; causa illius instrumentalis est temperamentum debita proportione destitutum, qua destitui valet citissimè; ut in ictu oculi consumptio pulveris tormentarii per ignem. Causa principalis est causa prima, cujus interest materiam primam complere, quando deest causa secunda proportionata; ac proindè omnes formæ cadavericæ sunt ejusdem speciei.

76 De cætero autem, sicut, per vos, forma corporeitatis organicam structuram, atque accidentia radicat; ità dicimus, formam cadavericam ea radicare, eademque ab illa causa effectivè produci, à qua vos, forma corporeitatis radicante, eadem producta, vel conservata censeatis. *Ad Urg.* dist. min. Non ponitur anima, ut præstans gradum viventis, concedo min. ut præstans gradum corporis, nego min. & conseq. *Anima est forma corporis, dans, & totum ordinem sse perfecti, scilicet esse, & esse corporeum, & esse animatum, &*

(49) *V. D. Thom. 3. par. quæst. 25. art. 6.*

& ſic de aliis : Convertitur igitur forma panis in formam corporis Chriſti ſecundùm quòd dat eſſe corporeum ; non autem ſecundùm quòd dat eſſe animatum. (50)

77 *Ad addit.* diſt. maj. Idem , quoad ſuppoſitum , concedo maj. idem omninò , etiam quoad naturam humanam, nego maj. Tunc enim poſitum fuiſſet Chriſti corpus modo, quo erat , ſcilicet ſub forma cadaverica : Sicut *ſub ſpeciebus panis fuiſſet corpus ſine ſanguine , & ſub ſpeciebus vini ſanguis ſine corpore ; ſicut erat in rei veritate.* (51) *Et ideò , ſi in illo triduo mortis fuiſſet hoc Sacramentum celebratum , non fuiſſet ibi anima Chriſti , nec ex vi Sacramenti , nec ex reali concomitantia.* (52) Nota , quòd , ſi tempore mortis Chriſti ſervatum fuiſſet Sacramentum anteà confectum ; Chriſtus in Sacramento moreretur , licet non fuiſſet paſſus , prout in Sacramento. (53)

78 Pro aliis ſolvendis *adverte* : In homine , ſicut etiam in bruto , non differre ſubſtantialiter os , carnem , nervum, ſanguinem , aliaque hujuſmodi ; ſed ſolùm accidentaliter penes duritiem , & mollitiem , ſoliditatem , & fluiditatem, aut penes magis , & minus ejuſdem accidentis : Ea tamen accidentia radicantur ab anima in diverſis partibus ſecundùm diverſas virtualitates ; ſicut eodem modo radicat viſum in oculo , non in aure ; auditum in aure , non in oculo. Cum igitur mutatur ſanguis in carnem , eſt formaliter mutatio accidentalis , & radicaliter gradùalis , quatenùs eſt tranſitus de participanda anima ſecundùm gradum vegetandi ad ejus participationem penes gradum etiam ſentiendi. Pro aliis vide P. Loſſada. (54)

QUÆS-

(50) *D. Thom. 3. par. quæſt. 75. art. 6. ad 2.*
(51) *D. Thom. 3. par. quæſt. 76. art. 2.* (52) *Ibid. art. 1.*
(53) *V. D. Thom. 3. par. quæſt 81. art. 4.*
(54) *Tract. 1. quæſt. 5. cap. 1. à num. 7.*

QUÆSTIO IV.

DE FORMA ACCIDENTALI.

ARTICULUS I.

Vtrum dentur formæ accidentales à tota ſubſtantia realiter entitativè diſtinctæ?

1 DUo Accidentium genera diſtinguunt cum Ariſtotele omnes Peripatetici. Quædam ſunt purè modalia, quædam entitativa. Prima ſunt, quæ non in entitate abſolutè tali, ſed in quadam ſubjecti modificatione, ab eo tamen realiter diſtincta, conſiſtunt; ut ſeſsio, curſus. Secunda ſunt, quæ in entitate abſolutè ſubjecto realiter adjecta, conſiſtunt; ut color, quantitas. Quorum hæc eſt differentia: quòd accidens modale nullatenùs eſſe poteſt ſine ſubjecto; poteſt autem, ſaltem divinitùs, accidens entitativum, ut patet in Euchariſtia.

2 Inſuper accidentia quædam ſunt extrinſeca, quæ nullam ſubjecto inferunt intrinſecam mutationem, ſed à forma extra ſubjectum exiſtente proveniunt; ut eſſe viſum, cognitum, veſtitum, &c. Quædam ſunt intrinſeca, quæ ſubjecto denominato intrinſecè inhærent, ut quantitas, albedo. Loquimur itàque impreſentiarùm de accidentibus realibus prædicamentalibus, ſivè entitativis, ſivè modalibus; non de prædicabilibus, & intentionalibus: atque inſuper de accidentibus

cidentibus intrinſecis ; nam extrinſeca , cum reſultare poſſint ex ſubſtantiæ connotatione , multoties non ſunt entitates à ſubſtantiis connotatis realiter entitativè diverſæ.

3 Qua in re longè ab Ariſtotelis opinione diſcurrunt cujuſcumque Sectæ corpuſculares , negantes omnem formam accidentalem entitativam à ſubſtantia realiter diſtinctam ; licet modos , ſeu accidentales ſubſtantiæ modificationes ſatis communiter admittant , à ſubſtantia tamen realiter entitativè indiſtinctas , eaſdemque in diverſis partium ſitu , figura, motu , adjectione , aliiſque affectionibus ità , aut aliter invectis , nonnumquam etiam in ſubſtantialibus profluviis, conſtituras. Atque his addunt , non omnia accidentia modalia eſſe ; ſed quædam dari etiam entitativa , quæ re tamen vera ſubſtantiæ ſunt abſolutè , quamvis reſpectivè ſint accidentia ; ut veſtes , vel arma reſpectu armati , & induti.

4 Atque hinc (1) *Colorem* in lumine,quatenùs ab objecto corpore , cui incidit , modificato , & ad potentiam viſivam per reflexionem , aut refractionem juxta diverſas ejuſdem corporis ſuperficiei diſpoſitiones , diverſimodè reflexo , conſiſtere , atque ſuas indè ſortiri differentias , affirmant. Ideòque illam corporis diſpoſitionem , qua adveniens lumen hoc, aut illo modo reflectitur , vocant colorem in actu primo ; at lumen ipſum ab objecto modificatum , & reflexum appellant colorem in actu ſecundo. *Odorem* eſſe dicunt corpuſculorum effluvium ex odorifero naribus immiſſum, quarum fibrillas diverſimodè pungit , allicit , & movet juxta varios corpuſculorum motus , & figuras.

5 *Saporem* quoque conſtituunt , aut in diverſis ſalibus, quæ diverſimodè palatum afficiunt , aut in diverſis rei ſaporiferæ atomis , linguam , palatumque diverſimodè , juxta diverſam earum figuram, afficientibus. *Figuram* inſuper non aliam admittunt , quam rei ſubſtantialis modificationem. *Quantitatem* naturalem ſubſtantialium atomorum extenſionem,

(1) *V. Toſc. tract. 3. lib. 1. prop. 41.*

nem, & reſiſtentiam appellant. Idemque, proportione ſervata, diſcurrunt de reliquis accidentibus materialibus. Quinimò ſpiritualia quoque accidentia, quales ſunt virtus, & ſcientia, animæ modificationes eſſe volunt, ut conſequenter procedant. Ac demùm gratiam habitualem, infuſſaſque virtutes eſſe entitates ſupernaturales à Deo animæ donatas, quæ in ſe ſubſtantiæ ſunt, ſunt tamen accidentales animæ, docet Maignanus. (2)

6 Alii (3) autem propugnant, Gratiam habitualem non diſtingui ab anima ſanctificata; ſed eſſe mirabilem quamdam modificationem à Deo factam in ipſa anima; ac in quadam ipſius illuſtratione, & illuminatione, qua nempè anima paſsivè illuminatur, & ad omne bonum ſupernaturale inclinatur, conſiſtere. Hæccine dixerimus; non, ut particularium accidentium naturam nunc examinemus; ſed, ut faciliùs formarum accidentalium exiſtentiam ad mentem Ariſtotelis, & Divi Thomæ contra Recentiores ſtatuamus.

NOSTRA CONCLUSIO.

7 *Dicimus*: Dantur accidentia, tum entitativa, tum modalia à tota ſubſtantia realiter diſtincta. *PROB.* 1. Concluſio ratione generali: Omnis ſubſtantia creata ex ſuo genere eſt intrinſecè, & eſſentialiter potentialis, perfectibilis, alterabilis, & mutabilis; ſed intrinſecè perfici, alterari, mutarique non poteſt in ſuo genere, niſi per accidentia realiter ab ipſa diſtincta, illique inhærentia: Ergò. Maj. eſt certa: non enim eſſe poteſt ſummè actualis, ſummè perfecta, inalterabilis, & immutabilis; ſic enim Deus eſſet, non creatura. Prob. min. Subſtantia creata perfici, actuari, alterari, mutarique non poteſt in genere ſubſtantiæ per aliquid de genere ſubſtantiæ: Ergò.

(2) *Philoſoph. Sacr. cap.* 21. *prop.* 11.

(3) *P. Sangues, Siſt. Grat. q.* 2. *& in Atom. demonſt. dial.* 19.

8 Prob. ant. Quod est de genere substantiæ, æquè imperfectum est, æquè potentiale, perfectibile, atque mutabile ex suo genere, ac substantia ipsa ex genere substantiæ, cum sint ejusdem generis; sed quod est cum alio æquè potentiale, perfectibile, mutabile, illud actuare, perficere, mutare non potest, ut ex terminis liquet: Ergò. *Urg.* Licet una substantia sit alia perfectior in esse talis, aut talis substantiæ; non autem in genere substantiæ, in quo omnes, saltem completæ, univocè conveniunt: Ergò, licet possit aliam in esse talis actuare, & perficere, non autem in esse substantiæ: Ergò, cum illa actuabilis, perfectibilis, mutabilisque sit ex suo genere; perfici, mutarique potest per aliquid extra genus substantiæ constitutum.

9 *Urg.* secundò: Sola substantia infinita, summèque perfecta est essentialiter, & identicè suum esse, suum agere, sua sapientia, sua bonitas, sua ipsius potentia, & magnitudo: Ergò substantia finita, & imperfecta, qualis est creatura, non est essentialiter, seu identicè sua existentia, sua actio, suaque potentia, & magnitudo; alioquin non esset, undè differrent substantia finita, & infinita, summè perfecta, & imperfecta, Deus, & creatura: Ergò actio, magnitudo, potentia, aliaque hujusmodi substantiæ creatæ sunt ab ipsa realiter distincta, ipsi adjectitia, seu inhærentia, atque adeò accidentia realiter ab illa distincta.

10 *Si dicant* 1. Omnem substantiam esse mutabilem, & perfectibilem per aliam substantiam, quæ, licet sit absolutè substantia, est tamen accidentalis alteri substantiæ perfectibili, ut patet in forma peripatetica materiam actuante, & perficiente. *Contrà*: Licet una substantia alteram intra genus substantiæ valeat perficere, & actuare, non autem in genere substantiæ: Ergò. Prob. ant. In genere substantiæ non est una substantia perfectior, & actualior altera, licet perfectior sit intra genus substantiæ, seu in esse talis substantiæ: Ergò. *Conf.* Ideò una substantia partialis, qualis est materia,

materia, potest per aliam perfici, & actuari in esse substantiæ, quia non participat univocè rationem substantiæ; sed omnes substantiæ completæ univocè participant substantiam: Ergò.

11 *Si dicant* 2. Substantiam omnem perfectibilem esse, actuabilem, & mutabilem per novas ejusdem substantiæ modificationes. *Sic arg.* Aut illæ novæ modificationes important quidditatem aliquam nihilo oppositam à substantia modificata distinctam, aut secùs? *Si secundum*: Ergò nihil addunt substantiæ intrinsecum illiusmodi modificationes, atque adeò illam non mutant intrinsecè, non actuant, non perficiunt. *Si primum*: Iterùm rogo: Aut illa quidditas est accidens; sicque habemus intentum: aut substantia, sivè entitativa, sive modalis; & sic modificatam substantiam non in genere substantiæ, sed ad summùm intra genus illud valent perficere, & actuare.

12 *Sed dices*: Quomodò potest accidens, substantia ex suo genere imperfectius, substantiæ genus perficere, & actuare? Optimè: Quia substantia ex suo genere est in potentia ad perfectiones accidentales, sibi connaturaliter debitas; consequenter accidens, adveniens substantiæ, substantiam perficit, non in esse substantiæ præcisè, nam sic illam perficeret infra genus substantiæ, sed in esse activæ, & passivæ, aut in esse accidentali substantiæ debito, quod est substantiæ tribuere terminum, seu actum suæ potentiæ, atque ideò perficere, & actuare substantiam.

13 *PROB.* 2. Conclusio ratione speciali de aliquibus accidentibus. *Et primò* de qualitate: Calor enim aquæ est verùm accidens ab aqua realiter distinctum, cum ab ipsa sit realiter separabile: Ergò. *Dicunt* 1. (4) Aquæ calorem esse accidens connotativè, & respectu aquæ; esse tamen absolutè, & entitativè substantiam in variis igneis atomis ab igne calefaciente introductis, consistentem. *Di-*

(4) *Gassend. lib. 6. Physic. sect. 1. cap. 6. apud Purch.*

tunt 2. (5) calorem aquæ conſiſtere in celeri, perturbatoque motu particularum tertii elementi ab igne agitato. *Sed* contra 1. ſolutionem *obſtat* 1. Quòd, experientia magiſtra, didicimus, ignem, adhuc quantitate magnum, per intromiſsionem in aquam ſtatim extingui, atque vim omnem deperdere, & corrumpi: Ergò potiori titulo igneæ atomi extinguentur, quippè quæ minorem habent activitatem.

14 *Obſtat* 2. Quòd, ſi olla ærea igne ſuperpoſita calefiat aqua, incredibile prorsùs, ac rationi diſſonum eſt, igneas atomos ollam illam, cui nullæ ſunt rimulæ, nulla foramina, tranſmeent, & adinſtrent; ſi enim haberet poros ignearum atomorum ingreſſui patentes, patentes utique forent aquearum atomorum egreſſui; præſertim cum hæ ſint per vos, oblongæ faciles ad tranſmeandum; ſed nullo fundamento adſtrui poteſt, in noſtro caſu aqueas atomos egredi, igne immiſceri, aut quoquam modo illum perturbare: Ergò.

15 *Urg.* Pone ſuper ignem ollam æream, undique concluſam, & vacuam: abſdubiò intrarent ignis atomi non ſecùs, ac ſi olla aquæ plena eſſet; at poſt diuturnum tempus, priùs adhuc, quàm olla candeſceret, maxima eſſet illarum atomorum congeries, è quibus cur de novo ignis ibi non fiat, & videatur, non facile à te rationem reditum iri, putavimus. Si autem velis, atomos illas iterùm per poros ſuperiores egredi: Quo impellente, egredi potiùs, quàm ibi manere, congerentur? *Adde*: Quòd, ſi intra illam ponatur lignum facilè combuſtibile, accendetur numquàm vi illarum atomorum, ſed potiùs conſumetur, atque in carbonem ibit immediatè, niſi olla tandem igniatur, aut candeſcat: Ergò anteà non ignis atomi, ſed calor lignum calefaciebat.

Contrà

(5) *Carteſ. 4. par. Princ. num. 80. apud Purch. 1. par. Phyſic. ſect. 5. cap. 7.*

16 *Contrà* ſecundam ſolutionem obſtat: quòd ille aquearum particularum motus ab igne fieri debet; at non immediatè per ſe ipſum, cui ſuprà omnem ingreſſum occluſimus: Ergò fit ab igne, medio calore realiter diſtincto; adeòque non calor, ſed caloris effectus erit celer ille, perturbatuſque particularum motus. *Imò*, motum calorem inducere, ultrò fatemur; at conſtituere non poſſe, ab experientia didicimus: Videmus enim aquam diù commotam ab agente extrinſeco vi motus ſenſibilis calefieri; at ceſſante motu, calorem ſervare; ſi ergò à manifeſta experientia ad ea licet arguere, quæ vos videris in abſcondito; commotio illa particularum inducet, minimè conſtituet calorem.

17 *Secundò* prob. jam idem aſſumptum de Quantitate. Et omiſsis rationibus multis, quibus Ariſtotelici quantitatis à ſubſtantia diſtinctionem probant in Metaphyſica, nunc ſic arguimus: Extenſio ſubſtantiæ eſt à ſubſtantia realiter diſtincta: Ergo. Prob. ant. Eadem ſubſtantia entitativè invariata nunc majorem, minorem poſteà poſsidet extenſionem: Ergò. Ant. patet experientia, qua videmus aquæ ſubſtantiam vi caloris in vapores reſolutam, atque, per vos, entitativè invariatam majorem extenſionem habere, quàm anteà.

18 *Dicent* (6) abſdubiò, majorem illam extenſionem ex admixtione aliorum corporum, aeris nimirùm particularum, aut æthereæ ſubſtantiæ corpuſculorum provenire. *Sed contrà*: Nam priùs eſt, aquæ ſubſtantiam extendi, ac diffundi, quàm locus ſit immiſcendis atomis, aut corpuſculis; niſi enim priùs detur partium præexiſtentium ſeparatio, nequit novarum cum veteribus partium fieri permixtio: Ergò permixtio illa ſupponit, & non conſtituit majorem illam ſubſtantiæ diffuſionem. *Nec recurras* ad interjecta vacua: *Nam* ita, dum parva ſubſtantia multum diffunditur, maxima vacua interjicerentur; cujus oppoſitum docet experientia.

Urg.

(6) *V. P. Corſ. tract. 4. Phyſic. cap. 4. num. 4.*

19 *Urg.* Cum pulvis tormentarius accenditur, vi maxima, repentinoque impetu diffunditur in majorem valdè extensionem. Numquid pulvis ille accensus, qui muros diruit, ærea corpora rumpit, saxa quoque comminuit, fortissimasque turres subvertit, non potiùs cujusvis generis atomos, & particulas circunstantes abiget, procùlque pellet? Patietur secum immisceri debilia corpora, qui fortissima in proximo associari non patitur? *Vel* igitur atomi pulveris igniti in diffusione discontinuantur; & sic mixtum non constituerent, sed facilè cujusvis corporis transmearent poros, ac proindè corpora non arcerent: *Vel* continuantur; sicque aeris etiam, aut æthereæ substantiæ partes expellunt.

20 *PROB.* 3. Conclusio de accidentibus modalibus: Dantur, per vos, accidentia modalia; sed ea sunt à substantia realiter distincta: Ergò. Prob. min. Id, à quo potest substantia realiter separari, sine quo valet realiter existere, est à substantia realiter distinctum; sed potest à modo substantia separari, ac sine illo existere, cum possit sine sessione, sine cursu, sine curvitate, sine hac, vel illa figura conservari: Ergò. *Nec dicas*: posse à modo substantiam separari; non autem à sustantia modum. *Quia* modus à substantia nequit separari positivè, existendo nimirùm sine substantia: at potest separari negativè, cum possit destrui, substantia perseverante.

21 *Dicunt* aliqui, modum entitativè esse substantiam ipsam, licet connotativè aliquid superaddat, nimirùm specialem partium dispositionem, & collocationem. *Sic arg.* Illa dispositio, & collocatio partium est nihil re vera, præter substantiam; aut est aliquid ab ea distinctum? *Si dicas* secundum: nihil supereſt, nisi id voces accidens modale, ut admittas re vera accidentalem modum, qui modum adstruis à substantia distinctum, ipsique accidentalem. *Si primum* asseras: Reddit argumentum ex integro; atque urget, quatenùs valeat non esse à substantia distinctum, adhuc connotativè, id, sine quo substantia esse potest. *Urg.*

22 *Urg.* Imago ingeniosè sculpta, in cera, v. gr. nihil nisi ceræ substantiam, & illius partium dispositionem, collocationem, & figuram involvit. *Rogo* nunc: Ea dispositio, collocatio, figura estne aliquid, præter ceram entitativè sumptam; aut nihil amplius? *Si asseras* secundum: In vanum laboraverit Sculptor diù occupatus in nihil agendo. *Si primum*: Cujus erit substantiæ generis illud, quod imago importat à ceræ substantia distinctum? Ergò est realitas quædam modalis, seu realis modus à substantia distinctus, ipsique inhærens, & accidentalis.

23 *PROB.* 4. Conclusio de accidentibus spiritualibus: Substantia Angeli est intrinsecè mutabilis; sed non per partium dispositionem, texturam, aut alio ex modis apud Atomistas familiaribus. Ergò per accidentia ipsi intrinsecè realiter superaddita. Maj. est certa; nam solus est intrinsecè immutabilis Deus, *apud quem non est transmutatio, neque vicissitudinis obumbatio.* (7) Undè immutabilitas inter Divina attributa meritò computatur. Idem argui potest de scientia, & virtute, tum Angelo, tum animæ rationali jam in suo esse constitutis, advenientibus, quæ præcisè debent esse accidentia. *Nec* recurras ad varias modificationes; quia illæ, aut sunt à te fictæ, aut à substantia realiter diversæ.

24 *PROB.* 5. Conclusio efficacissimo argumento ex venerabili, & augustissimo Eucharistiæ Sacramento desumpto: Quæ realiter mutuò separantur, realiter distinguuntur; sed panis accidentia, ejusque substantia mutuò separantur realiter in Eucharistiæ Sacramento: Ergò. Prob. min. In Eucharistia non remanet substantia panis, ut fides docet; sed remanent panis accidentia, color videlicet, sapor, & odor, &c. Ergò. Min. constat ex variis Conciliis, (8) præsertim Tridentino definiente, totam substantiam panis in corpus Christi, & totam vini substantiam in ejus sanguinem converti, *manentibus dumtaxat speciebus panis, & vini.*

Dicunt

(7) *Jacob.* 1. *cap.* 1. (8) *Florent. Later. Trident. Sess.* 13. *Can.* 2.

25 *Dicunt* 1. Eccleſiam, aut Concilia numquam definiviſſe, ſpecies panis, & vini, in Euchariſtia remanentes, eſſe accidentia entitativa à tota ſubſtantia realiter diſtincta. *Cæterùm* in primis Eccleſia fidelium cordibus in Officio Corporis Chriſti concinit illud ex D. Thoma: (9) *Accidentia autem ſine ſubjecto in eodem ſubſiſtunt, ut fides locum habeat: & ſenſus à deceptione reddantur immunes, qui de accidentibus judicant ſibi notis.* Et Cathechyſmus Romanus à Pio V. approbatus fideles expreſsè docet: (10) *Panis quidem, & vini accidentia omnia licet videre: quæ tamen nulli ſubſtantiæ inhærent, ſed per ſe ipſa conſtant.*

26 *Deinde*: Concilium Conſtancienſe, Martino V. approbante, eam Joannis Hus damnavit propoſitionem dicentem: *Quòd non eſſet determinatio Eccleſiæ, quòd accidentia ſtarent ſine ſubjecto in hoc Sacramento*: Ergò ejus contradictoria manſit definita. Illam quoque ejuſdem Hus damnavit propoſitionem: *Accidentia non manent ſine ſubjecto in eodem Sacramento.* Adde inſuper Concilium Colonienſe habitum ſub Paulo V. anno 1536. dicens: *Quid enim panis, vinique ſpecies aliud ſunt poſt conſecrationem, quàm ſpecies Sacramentales, & accidentia ſine ſubjecto?*

27 *Impug.* Solutio: Species Sacramentales, quas in Sacramento manere, Concilia docent, ſunt color, ſapor, odor, figura, extenſio, &c. ſed hæc non ſunt meræ apparentiæ illuſoriæ, ac præſtigioſæ: Ergò ſunt veræ, & reales apparentiæ, veram realem, & ſenſibilem quidditatem habentes: Sed non habent quidditatem ſubſtantialem panis: Ergò, cum aliquid ſint panis, alioquin non eſſent remanentes, debent habere veram, & ſenſibilem quidditatem accidentis à panis ſubſtantia realiter ſeparati, atque diſtincti.

28 *Dicunt* 2. (11) In Euchariſtia ex pane, & vino ſolam manere ſuperficiem; hanc autem non eſſe partem ſubſtantiæ,

(9) *Ex opuſc.* 57. (10) 2. *par. cap.* 4.
(11) *Carteſ. apud Loſſ. diſſert. prælim. num.* 31.

ſubſtantiæ, nec quantitatis, ſed entitatem modalem, extremitatemque corporis continentis, & contenti: *Sed contrà*: Quia, juxta Carteſianos, ſuperficies eſt dimenſio quædam, à qua non diſtinguunt ſubſtantiam corpoream: (12) Si ergò illa ſuperficies eſt corporeæ ſubſtantiæ panis, ibi remanebit ſubſtantia panis; quod eſt hæreticum: Si autem eſt ſuperficies alterius corporis, nihil eſt panis; adeòque ſpecies panis dici non poteſt. Neque illa ſuperficies communis eſſe poteſt ſubſtantiæ continentis, & contentæ; alioquin illæ nedùm eſſent contiguæ, ſed continuæ: ſunt enim continua, quorum ultima ſunt unum.

29 *Urg.* Illa entitas modalis, in qua conſiſtit ſuperficies panis, vel eſt eadem, quæ erat ſuperficies illius ante conſecrationem, vel alia? *Si ſecundum*: Ergò in rei veritate non remanet panis ſuperficies, ſed alia ſuccedit loco illius: Ergò falsò loquuntur Concilia, dum ſtabiliunt, manere panis accidentia, vel ſpecies; ſed deberent aſſerere, ibi ſubſtitui, aut ſupleri ſpecies panis, & vini: quòd eſt temerarium aſſerere. *Si primum*: Ergò panis ſuperficies non eſt ejus ſubſtantia, alioquin maneret ibi ſubſtantia panis; quod eſſet error noviſsimus pejor priore: Ergò eſt entitas accidentalis à tota ſubſtantia realiter diſtincta; aut aſsigna, quid illa ſit.

30 *Urg.* ampliùs: Per vos, (13) *eadem, non ſolùm totius hoſtiæ, ſed etiam tenuiſsimarum, ex quibus panis, & vinum conſtabant, particularum, figura remanet, idem ſitus, & ordo.* Rogo nunc: Vel figura ſitus, & ordo remanentes ſunt modi, aut entitates à particulis, quippè quæ ſeparatæ realiter, realiter diſtinctæ? *Si ſecundum*: Ergò forma eſſentialis panis, quæ per vos (14) eſt ſolummodò *certa corporis, ſingularumque partium diſpoſitio*, eſt entitas à particu-

Ee lis

(12) *V. Purch. 1. par. Phyſic. ſect. 1. cap. 1.*

(13) *Purch. 1. par. Phyſic. ſect. 5. cap. 1. prop. 2.*

(14) *Idem, ubi ſupr. ſect. 2. cap. 3. prop. 4.*

lis realiter distincta ; daturque proindè forma substantialis entitativa à materia realiter diversa.

31 *Si primum* : Aut illi modi aliquas particulas modificant ; sicque remanebit vera substantia panis ; ubi enim sunt particulæ ea modificatione affectæ , quæ panem essentialiter constituit , est vera substantia panis : *Aut* sunt ab omni materiali portiuncula separatæ ; atque ità , si quid substantiale quoquo modo sint , id ipsum remanet de substantia panis, quidquid in oppositum definiat Tridentinum : Ergò supereſt tantùm , ut sint quidditates accidentales ab omni substantia realiter distinctæ.

32 *Dicunt* 3. (15) Accidentia panis non in hostia , sed in sensibus dumtaxat nostris supereſſe ; quatenùs ibi *species*, seu impressiones sensibiles panis per miraculum conservantur. *Sed* lege Tridentini definitionem , & hæccine solutio propria absurditate ruet. *Adhæc* : Si quis esset homo , qui hostiam , & vinum sensibus numquàm percepisset ; undènam hostiæ , vinique species sensibus haberet , ut per miraculum conservarentur ? Infunderet ne Deus ? Ergò non essent species panis, & vini remanentes, ut Tridentinum definit. Dic igitur , eum nullum colorem , saporem nullum in hostia consecrata reperturum : & ridebimus omnes.

33 *Dicunt* 4. (16) In Eucharistia , eadem accidentia, quæ ante consecrationem erant in pane , & vino , remanere post consecrationem : quia præfata accidentia non sunt substantia panis , & vini , neque ejusdem substantiæ meræ modificationes ; sed ea habent constituriva , quæ supra ex solutionis Authore illis assignavimus à *num.* 4. Quoniam verò ab hac substantia , quoad certas modificationes pendent ; ea destructa , ab ipso Christo conservantur , quatenùs Deus suis actionibus id ipsum præstat , quoad modificationem , in ordine ad sensus nostros , quod ibi panis substantia

(15) *Maig. cap.* 22. *Philosoph. Sacr. prop.* 6.
(16) *Tosc. lib.* 1. *cap.* 4. *prop.* 41.

ſubſtantia præſtaret, ſi adeſſet. Atque illas Dei actiones, quia ſe habent ex parte objecti ſenſuum, appellant *objectivas.*

34 *Impug.* 1. Solutio: Vel accidentia panis ante conſecrationem eſſentialiter pendent à panis modificatione formaliter, vel ſolùm effectivè? *Si formaliter*: Ergò panis modificatio eſt formale conſtitutivum accidentium: Ergò, cum ibi non maneat formalis modificatio panis, ibi non manet idem formale accidens panis, ſed quidpiam ſimile ſupletur, aut ſubſtituitur à Deo. *Si effectivè*: Aſsigna, in quo formaliter conſiſtant, ſapor præcipuè, odor, extenſio, &c. *Conf.* Licet Verbi Divini ſubſiſtentia ſupleat in humanitate Chriſti, aut ſubſtituat effectum formalem ſubſiſtentiæ creatæ; falsò quis diceret, ibi remanere creatam ſubſiſtentiam: Ergò pariter.

35 Tenet conſeq. Quia, ſicut Divina Verbi ſubſtantia non eumdem numero creatum effectum præſtat, ſed alium, qui creatum continet eminenter; ità Deus non eaſdem numero objectivas panis actiones efficit, ſed alias ſimilem effectum præſtantes. *Urg.* Quamvis in Euchariſtia ſit corporis Chriſti ſubſtantia vice ſubſtantiæ panis, non ideò remanet abſolutè ſubſtantia panis: Ergò, licet ibi ſint actiones Dei ſubſtituentes loco panis actionum, non remanent ibi accidentia panis.

36 *Impug.* 2. Color panis, adhuc in actu ſecundo, conſiſtit, per vos, in lumine, quatenùs à corpore modificato, & reflexo: Ergò lumen idem, quatenùs à diverſis ſimiliter modificatum, & reflexum, conſtituit colores numero diſtinctos. Atqui, per vos, ante conſecrationem modificatur lumen ab ipſa panis entitate; poſteà ab actione Dei, quamvis ſimiliter: Ergò color, qui eſt poſt conſecrationem eſt numero diſtinctus ab eo, qui erat ante conſecrationem: Ergò non remanet, ſed de novo producitur color in Sacramento.

37 *Conf.* Odor panis, per te, consistit in substantiali corpusculorum panis effluvio; sapor etiam in diversis salibus, ad panis essentiam pertinentibus: Atqui Deus suis actionibus objectivis non panis (alioquin remaneret, aut de novo produceretur) sed aeris præstat corpusculorum effluvia similiter sensum afficientia; non insuper panis sales, sed aereas atomos gustus sensorium simili modo afficientes, causat: Ergò non remanet verus odor, verusque panis sapor; sed quidpiam aliud eis divinitùs assimilatum. *Adde*: Juxta Adversarios (17) remanere eamdem figuram, *non quidem numero eamdem, sed specie*: Dicant igitur non remanere eamdem, sed aliam ejusdem speciei.

38 *Impug.* 3. Eucharistia, juxta doctrinam Catholicam, verè permanet in esse Sacramenti, etiam noctu, vel intra Sacrarium clausa: Ergò remanet in esse signi verè sensibilis, cum hoc sit de ratione Sacramenti: Ergò retinet aliquid, ratione cujus possit visu, gustu, odoratuque sentiri; sed hæc verificari non possunt in Adversariorum opinione: Ergò. Min. subsumpta prob. *In primis*, ibi non est panis color, nec in actu primo, ut concedunt, nec in actu secundo, cum nullum detur lumen illùc appulsum, aut indè reflexum per actiones objectivas. *Deinde*, neque odor, & sapor; quia non sunt aeris corpuscula pallatum ullum, aut nares afficientia: Ergò.

39 *Si dicant*: Manere tunc actiones objectivas Dei paratas eos effectus causare, adveniente luce, pallato, aut naribus percipientibus. *Contrà*: Quia actiones Dei sunt prorsùs insensibiles: Ergò nulla manet sensibilitas; consequenter neque Eucharistia maneret in esse Sacramenti: *Si dicant* iterùm, manere statum Eucharisticum. *Rogo*, in quo stet ille status Eucharisticus? Et quoquo modo respondeant, urgent facile nostra argumenta. *Adde*: Quòd, si adversa doctrina vera esset, non esset ingens miraculum, ut canis Ecclesia,

(17) *Tosc. ubi supr.*

Eccleſia, ſpecies manere in Euchariſtia : id enim, quod Adverſarii objectivis actionibus tribuunt, Angelus, & Dæmon naturali virtute præſtare poſſunt, ut conſideranti patebit.

40 Omittimus (18) brevitatis ergò, argumenta plura circa actus vitales, præſertim liberos, circa gratiam habitualem, ac virtutes infuſſas, aut etiam alia plurima de Euchariſtia, quibus adeò præmuntur Adverſarii, ut patienter ferre non poſsint probationem ullam ex Myſteriis Fidei petitam ; atque ex inopia rationis naturalis à nobis fieri, arbitrantur. Sed crediderim facilè, id eos ferre non poſſe, quòd nequeant impunè, ſicut naturalia rationis principia, quibus doctrina Peripatetica nititur, Fidei quoque dogmata, quibus famulatur doctrina noſtra, negare ; atque indè eorum effugia penitùs occludi.

SOLVUNTUR ARGUMENTA CONTRARIA.

41 *ARGUES* 1. (19) Si darentur accidentia entitativa ab omni ſubſtantia realiter diſtincta, haberent proprium eſſe, ſeu quidditatem, eſſentque ſimpliciter entia ; ſed hoc eſt falſum : Ergò. Prob. min. ex D. Thoma, (20) afferente : *Dicuntur entia, non quia ipſa habent ſecundùm ſe aliquam quidditatem, quaſi ſecundùm ſe entia, cum non ità dicantur abſolutè quid ; ſed eò, quòd ſint talis entis.* Et alibi : (21) *Quantitas, qualitas, & hujuſmodi non ſunt ſimpliciter entia ; nam ens dicitur, quaſi eſſe habens : hoc autem ſolùm eſt ſubſtantia, quæ ſubſiſtit : accidentia autem dicuntur entia, non quia ſunt, ſed quia magis ipſis aliquid eſt, &c.*

Conf.

(18) *V. Pal. dialog.* 66. *& ſeq. uſque ad* 81. *P. Loſſad. in diſſert. prælim. à num.* 33.

(19) *P. Toſc. lib* 1. *cap.* 2. *prop.* 37.

(20) 7. *Met. lect.* 1. (21) 12. *Met. lect.* 1.

42 *Conf.* Accidentia entitativa ab omni ſubſtantia realiter diſtincta, ad nihil deſerviunt: Ergò. Prob. ant. Nullum eſt phænomenon, nullum naturalis Philoſophiæ quæſitum, quod ſine accidentibus entitativis explicari non poſsit: imò nullum eſt, quod ope prædictorum accidentium phyſicè valeat explicari: Ergò. *Urg.* Admiſsis Ariſtotelicis accidentibus, in minimò arenæ granulo eſſent innumera penè accidentia; v. gr. quantitas, figura, durities, calor, aut frigiditas, actio, paſsio, tot ſimilitudines, quot rebus aſsimilantur, totque diſsimilitudines, quot rebus diſsimilantur, totidem æqualitates, & inæqualitates, motus, color, ſapor, &c. & in quovis eorum alia plura.

43 *Urg.* 2. Si daretur accidens entitativum, eſſet entis ens, ut loquitur Ariſtoteles; ſed hoc eſt falſum: Ergò. *Prob. min.* 1. Si accidens eſt entis ens, erit ens ſubſtantiæ: Ergò eſt ejus pars; adeòque erit entitativè ſubſtantia. *Secundò*: Unio unius extremi cum alio non ſufficit, ut unum ſit ens alterius: Ergò accidentis inhærentia non ſufficit, ut accidens ſit entis ens, ſeu ens ſubſtantiæ. *Tertiò*: Quod alteri inhæret, aliquid eſt in ſe, non inhærens, cum inhærentia præſupponat rem inhærentem; ſed, quod non inhæret, ſubſtantia eſt: Ergò.

44 *Ad arg.* diſt. maj. Haberent proprium eſſe, eſſentque ſimpliciter entia abſolutè, & quatenus eſſe opponitur nihilo, concedo maj. Comparativè ad ſubſtantiam, nego maj. & diſtincta min. nego conſeq. Cum enim accidens non participet eſſe, niſi dependenter à ſubſtantia, neque à natura propter ſe primò intendatur, ſed propter ſubſtantiam; dicitur ens ſubſtantiæ. Atque ità intelligendus eſt D. Thomas tribuens accidenti non *eſſe* ſimpliciter, ſed *ineſſe*: Quia *non ſignificatur per hoc ineſſe, quod accidentis eſſe ſit in ipſo eſſe ſubſtantiæ, cum eſſe ſit formaliſsimum omni rei.* (22)

Ad

(22) D. *Thom. opuſc.* 45.

45 *Ad Conf.* nego ant. & ant. prob. Imò potiùs ſine accidentibus entitativis nullum exiſteret ens naturale in rerùm natura: nulla enim daretur ſubſtantia in ſuo genere mutabilis, aut mobilis, conſequenter nulla naturalis. *Præterea*: Licet multa naturæ phænomena immaginationi pateant per atomorum combinationes, quarum pleræque ſunt liberè invectæ; menti tamen nihil minùs conſonum, niſi permultæ inſint atomis qualitates, aut ſaltem localis motus, qui accidens eſt à tota ſubſtantia realiter diſtinctus. Evolve Ariſtotelis Problemata; & ex 924. dubiis ab ipſo propoſitis, vix unum, aut alterum, ſine accidentium ope invenies reſolutum.

46 *Ad Urg.* nego ant. Nam in uno compoſito una ſola eſt quantitas, qua ſubſtantia ſimùl, & accidentia extenduntur, una albedo, figura una, una ſimilitudo reſpectu omnium in eadem ratione ſimilium, una quoque diſſimilitudo, qua omnia in eadem forma reſpicit diſſimilia, una æqualitas, aut inæqualitas, una omnium ſubſtantiæ, & accidentium ubicatio; & ſic de reliquis. Quamvis igitur multa ſint in eodem ſubjecto accidentia, eaque neceſſaria; non tamen infinita, aut innumera, nec tot inſunt, quot Adverſarii numerare ſolent: &, nec duo ſunt ſolo numero diſtincta.

47 *Ad 2. Urg.* nego min. Ad 1. prob. conceſſo ant. nego conſeq. Accidens enim eſt: *Ens in alio, non uti pars*: (23) Adeòque dicitur ens ſubſtantiæ; tum, propter ab illa dependentiam; tum præcipuè, quia non eſt propter ſe primò, ſed propter ſubſtantiam. *Ad 2.* diſt. ant. Si extrema non ſint per ſe unita, concedo; ſi ſint per ſe unita, nego. Ita materia dicitur ſubjectum formæ, forma actus materiæ, exiſtentia actus eſſentiæ, & naturæ ſubſiſtentia. *Ad 3.* diſt. maj. Aliquid non inhærens actu, concedo; quia de eſſentia accidentis non eſt actu inhærere: non inhærens exactivè, nego.

Licet

(23) *D. Auguſt. lib. Catheg. cap. 1.*

Licet ergò pro priori ad inhærentiam intelligatur non inhærens, exigit inhærentiam.

48 *ARGUES* 2. de aliquibus accidentibus in particulari. *Primò*: Color, vel est lux modificata per dispositionem objecti visibilis, vel est ipsa objecti dispositio; sed, quoquomodo est substantia: Ergò. Min. patet; quia lux substantia est, cum in particulis igneis consistat; dispositio quoque, cum consistat in suavitate, aut asperitate superficiei, substantialis debet esse. *Secundò*: Si calor esset qualitas à tota ignis substantia distincta, aut est permanens, & sic transire nequit ad passum; quod est evidenter falsum: aut transiens, & sic non remanet in igne, cujus oppositum manibus attrectatur.

49 *Urg.* 1. Carbo accensus, postquàm extinctus est aqua, conservat calorem; sed hic calor non est accidens Aristotelicum: Ergò. Prob. min. In sententia Aristotelico-Thomistica, pereunte forma ignis, omnia ejus pereunt accidentia: Ergò. *Urg.* 2. Si calor aquæ esset accidens illius, aut esset illi naturalis, quod est falsum; aut violentus, quod repugnat, cum ex ejus potentia educatur: Ergò. *Urg.* 3. Calor ebullientis aquæ in aquæ agitatione consistit: Ergò. Prob. ant. Quò major est agitatio, eò calor est major: Ergò.

50 *Ad primum* resp. nego maj. & min. Nihil enim nisi falsitatem inculcat. Color itàque est naturalis qualitas ex mixti temperamento resultans, quæ tametsi lucem modificet, non est lucis modificatio; est enim papyrus alba, carbo niger independenter à luce: licet corporis dispositionem comitetur, non est corporis dispositio. *Imò*, quamvis in lucis modificatione color staret, aut in corporis dispositione, ille non esset substantia; quia lux qualitas est, dispositio figura inter qualitatis species enumerata.

51 *Ad secundum* dicimus, calorem esse qualitatem immanentem; neque idem numero, qui in igne est, ad pas-

sum

ſum tranſit ; ſed ignis vi ſui caloris , caloris paſſum producit. Dicitur calor permanens ; tum , quia omnia ſua prædicata ſimùl habet , non ſucceſsivè ; tum , quia ſolùm in fieri à ſua cauſa dependet , non præcisè in conſervari , ſicut lux. *Dices*: Ergò ignis ſine ſui caloris diſpendio calefacit paſſum : Ex quo duo ſequuntur abſurda. *Primum* eſt : Ergò , poſito in aere accenſo carbone , tota ſphæra calefiet ; ſiquidem carbo viciniorem aerem , hic aer ſibi quoque viciniorem calefaciet , &c.

52 *Secundum* eſt : Ergò ignis medio aere non poterit materiam aliquam urere , niſi priùs aer accendatur ; quod eſt contra experientiam. *Ad primum* abſurdum reſp. negando ſequellam : quia in aere igni viciniore eſt calor remiſſior , quàm in igne , in remotiori remiſsior adhuc ; adeòque non perveniret calor , niſi eòuſque ab igne diſtendi poſſet. *Et inſto* in atomis igneis ab illo carbone diffuſsis , in quibus idem militat argumentum. *Ad ſecundum* dicimus , ea ratione poſſe ignis calorem diſtantem materiam urere ſine aeris combuſtione , qua id poſſent ignis atomi per aerem in illam materiam diffuſsi ; nam aer , quippè ſubtiliſsimus , non eſt apta combuſtionis materia.

53 *Ad* 1. *Urg.* nego min. Ad prob. conceſſo ant. nego conſeq. Quia , licet pereat calor ignis in carbonis generatione , novus calor aggeneratur , exactus quidem à carbonis forma ; non , ut ſit , ſed ut introducatur in materiam ; ideòque , forma introducta , paulatim perit. *Ad* 2. *Urg.* dicimus, aquæ calorem eſſe illi violentum ; educitur autem , non ex potentia naturali , ſed violenta , de qua poſteà. (24) *Ad* 3. *Urg.* reſp. aquæ ebullientis agitationem non eſſe calorem, ſed caloris effectum : adeòque , non augeri calorem ex agitationis augmento ; ſed è contrà.

54 *ARGUES* 3. de accidentibus Euchariſticis. *Primò*: Juxta Tridentinum , in Euchariſtia ſolùm remanent ſpecies

(24) *Art. ſeq. num.* 24.

panis, & vini; sed illæ species non sunt accidentia entitativa: Ergo. Prob. min. Species panis panem repræsentat; sed accidentia panis panem repræsentare non possunt, cum nulla sit accidentium cum pane similitudo: Ergò. *Conf.* Si accidentia essent species substantiam repræsentantes, accidentium darentur aliæ species repræsentativæ, istarum aliæ species, &c. Ergò. *Urg.* Species sunt per se sensibiles; sed accidentia entitativa non sunt per se sensibilia: Ergò. Min. patet: Accidentia enim speciebus indigent, ut sensibus percipiantur.

55 *Secundò*: Ut in Eucharistia reddantur sensus à deceptione immunes, non opus est accidentium: Ergò. Prob. ant. Potest Deus sensibus imprimere species panis, & vini; sed ità reddentur sensus à deceptione immunes: Ergò. Min. patet mille exemplis: Nam Spiritus Sanctus apparuit in specie columbæ, Angeli in specie juvenum, Christus quoque Magdalenæ in specie hortulani, ac Discipulis in specie peregrini; sed hæc omnia sine sensus deceprione evenerunt: Ergò. *Adde*: Juxta D. Thomam in hoc Sacramento sensus deficit; imò, & fallitur.

56 *Ad primum* resp. dist. ultimam min. Panem repræsentare non possunt ratione similitudinis, concedo min. ratione naturalis connexionis, sicut fumus ignem, nego min. & conseq. Species Eucharisticæ non sunt purè intentionales, sed physicæ, sensibiles, & objectivæ, quæ vi naturalis connexionis cum substantia, substantiam repræsentant: ideòque accidentia Eucharistica species appellantur, ut vidimus *num.* 26. *Ad Conf.* dicimus, accidentium dari species purè intentionales; non physicas, & sensibiles, qualia sunt accidentia respectu substantiæ: at verò specierum purè intentionalium non dantur aliæ; nam unius rationis formalis non datur alia.

57 *Ad Urg.* resp. species purè intentionales esse per se sensibiles, tam in actu primo, quàm in actu secundo: species

cies autem physicæ, qualia sunt accidentia, solùm sunt sensibiles in actu primo: ut igitur sentiantur in actu secundo, indigent specie purè intentionali; sicut materia, & forma indigent unione, quamvis sint per se unibiles in actu primo. *Ad secundum* resp. quòd in præsenti non disputamus, quid potuerit Deus facere in hoc Sacramento; sed quid de facto contingat, juxta Fidem, Concilia, & Sanctos Patres. De facto autem sunt vera, & realia accidentia panis, & vini, quidquid aliàs potuerit Deus facere.

58 *Resp.* igitur, nego utramque min. arg. ad exempla in oppositum adducta dicimus *in primis*, in eis apparitionibus, si non fuerunt purè imaginariæ, sed oculares, fuisse vera accidentia externa columbæ, juvenum, hortulani, & peregrini; adeòque sensus non fuisse deceptos circa accidentia, sed circa substantiam sub iis accidentibus contentam; ut satis indicant textus illi: *Tu solus peregrinus, &c. Domine, si tu sustulisti eum, &c.* Ità etiam in Eucharistia sensus minimè falluntur circa accidentia, quæ sunt proprium sensibile; sed circa substantiam: atque hoc sensu loquitur D. Thomas. At mens non fallitur; quia, *ad firmandum cor sincerum, sola fides sufficit.*

59 Quatenùs autem factæ fuerint apparitiones illæ, magna est apud Interpretes diversitas. De apparitione Spiritus Sancti sub specie columbæ docet D. Thomas (25) ex Augustino, *columbam verùm animal fuisse*: Magdalena insuper, Christum, quia *à communi, & viliori habitu, & quia in hortu erat, arbitrata est, hortulanum esse*; ut docet Theophilactus: (26) De apparitione Christi in specie peregrini opinatur Augustinus, id factum per immutationem faciei Christi. (27) *Vel*, ut aliis placet, per retentionem specierum sensibilium, ne totaliter in oculos refunderentur; atque

(25) *Opusc. 60. cap. 9.*

(26) *Apud Sylveir. lib. 9. quæst. 19.*

(27) *Epist. 59. V. D. Thom. 3. par. quæst. 55. art. 4. ad 2.*

que Angelos aerea corpora in ſuis apparitionibus ſibi aſſumere, communis ſententia tenet.

60 Alia multa opponunt Corpuſculares, quæ ad accidentium eductionem pertinent; aſt ea facilè ſolves ex his, quæ de ſubſtantialium formarum eductione diximus: alia, quæ ipſorum inhærentiam, aut capacitatem ad exiſtendum ſine ſubjecto attingunt; ſed hæc ex dictis in Metaphyſica, atque locorum alibi rejiciuntur: alia demùm, quæ, negatis eorum principiis, quippè falſiſsimis, facilè corruent. Vide nihilominùs *Pal. tract. Phyſic. Theolog. dialog.* 61.

ARTICULUS II.

De Accidente naturali, violento, & artificiali.

1 NATURA, à qua dicitur accidens *naturale*, multifariam ſumitur: 1. Pro Deo rerum omnium Authore, qui *creatrix natura*, ſive *natura naturans* dicitur: 2. Pro rerum exiſtentium univerſitate; quo ſenſu dicimus, aliquid eſſe in rerum natura: 3. Pro univerſitate rerum ad integritatem huic univerſo naturaliter debitam, earumque virtutis, ſeu capacitatis ſphæram pertinentium; quo ſenſu naturalia à ſupernaturalibus ſecernuntur: 4. Pro innata rei, etiam ſupernaturalis, exigentia; quo ſenſu eſt cuilibet naturale, quod exigit ſua indoles: 5. Pro nativitate viventium: 6. Pro quidditate, ſeu eſſentia rei, quæ dicitur *eſſentia* per ordinem ad exiſtentiam, & *natura*, per ordinem ad operationem.

2 Quatenùs autem impræſentiarùm propriùs uſurpari ſolet Natura, ſumitur pro intrinſeco motus, & quietis entium naturalium principio, ſive pro intrinſeca radice, undè primordialiter phyſicus, & naturalis rerum motus exoritur: v. gr. motus deorſum in lapide, motus ſurſum in igne, cordis palpitatio, &c. Atque hoc ſenſu definitur Natura: *Principium*,

Principium, & causa motus, & quietis ejus, in quo est, primo, & per se, non secundùm accidens. (1) Dicitur *principium*; id est prima radix, & origo: *& causa*; id est verè, & physicè activè, aut passivè influens: *motus*; id est mutationis sensibilis, quævis illa sit.

3 *Et quietis*; id est acquisitionis termini producti, seu acquisiti: non enim accipitur *quies* pro motus carentia, seu cessatione ab omni actu; sed pro conservatione termini per motum producti, vel acquisiti, in quo mobile innatè quiescit, ut lapis in centro. Additur: *ejus, in quo est*; quibus innuitur, motum propriè naturalem in eodem composito recipi, cujus est principium illud; & sic excluditur motus ab extrinseco adveniens mobili, quales sunt motus violentus, & artificiales, de quibus posteà.

4 Ponitur demùm: *primò, & per se, & non secundùm accidens*: quia natura non qualecumque, sed primum, & radicale debet esse motus principium; quod proindè per se movet subjectum, in quo est, non per accidens; per accidens enim ars quoque motum causare potest in subjecto, cui inhæret. *Ex quibus* intelliges, naturam primariò causare motum ejus, cujus est natura; at secundariò potest esse principium movendi alia: sic ignis forma primariò radicat ipsius ignis calefactionem; secundò autem radicat calefactionem aliorum, quorum respectu non est natura, sed quandoque violentia; ut patet respectu aquæ.

5 *Inferes* 1. Materiam, & formam esse propriè naturas; secùs compositum. *Ratio* primi est: quia materia est principium radicale passivum, sive materialis causa motus, & quietis: forma est eorum principium activum, & in viventibus etiam passivum. *Ratio* secundi est: quia composito, cum non sit primum principium, sed principiatum, non convenit naturæ definitio. *Sed* nota, materiæ secundùm se nullum esse motum violentum, cum ex se sit capax cujuscumque

(1) *Aristot. 2. Physic. cap. 1.*

cumque mutationis : cæterùm materiæ , quatenùs subest formæ , hujusque dispositionibus afficitur , est solùm naturale quidquid formæ , aut composito est conforme.

6 *Inferes* 2. Omne compositum , sive sublunare , sive cœleste esse naturis compositum. *Ratio* primi est : quia omne compositum sublunare constat materia , & forma motum, & quietem illi correspondentes causare potentibus. *Ratio* secundi est : quia compositum cœleste habet principium passivum motus ab Angelo effecti : Empyreum quietem quoque radicat , qua gaudet perpetuò. Undè particulas illas, *motus , & quietis* , intelligit D. Thomas (2) in sensu accommodo ; ità , ut natura in his , quæ semper moventur , sit principium motus perpetui ; in his , quæ in suo centro quiescunt , sit quietis principium ; in eis demùm , quæ modò moventur , modò quiescunt , sit principium utriusque ; non collectivè , sed divisivè.

7 *Inferes* 3. Deo , & Angelis non propriè convenire naturæ rationem , prout hic sumitur ; convenire tamen animæ rationali. *Ratio* primi est : quia , nec Deus , nec Angelus est principium motus sensibilis , & quietis ipsi correspondentis ; licet sint principium extrinsecum. *Ratio* secundi est : quia anima rationalis , ut sensitiva , & vegetativa radicat nutritionem , & sensationem ; ut rationalis pro statu contractionis intellectionem , & volitionem dependenter à phantasmatibus , quibus redduntur sensibiles ; imò ex se radicat fletum , risum , admirationem , & locutionem , quæ in statu quoque separationis exigit , licet non exerceat.

8 *Atque hinc* facilè resolvi potest , accidens naturale, prout violento , & artificiali oppositum , esse illud , *quod ab intrinseco principio advenit subjecto in illud inclinanti* : Cujusmodi est calor ignis , frigiditas aquæ , &c. Cæterùm minùs rigidè dicitur accidens *naturale* 1. quatenùs à supernaturali discernitur ; id est non superans vires naturales agentis : 2. quatenùs

(2) 2. *Physic. lect.* 1.

quatenùs contraponitur libero ; id est non ortum à libera voluntatis determinatione : 3. quatenùs ordinem causarum naturalium consequutum ; atque ità frigus dicitur in hyeme naturale, calor in æstate.

9 *VIOLENTUM*, cum naturali opponatur, oppositò quoque modo constitui debet. Est itàque : *Quod à principio extrinseco advenit subjecto resistenti* : v. gr. ascensus lapidis, aquæ calefactio. Ad violentiam tria requiruntur ; nimirùm extrinsecum principium ; quòd mobile non influat, sed merè patiatur motum violentum ; quòd denique positivè motui resistat. Si autem motus sit uni principio conformis, difformis alteri ; à principaliori principio sumit denominationem : &, si principaliori rerum inclinationi sit congruus, tametsi adversus minùs principali ; erit illi simpliciter naturalis, quamvis secundùm quid violentus

10 Pro cujus intelligentia scito, duplicem rebus adminùs ineſſe inclinationem : alteram particularem ad bonum particulare sibi proprium, specialiter à suo ipsarum principio exactum ; cujusmodi est inclinatio gravis ad centrum, propensio levis ad ascensum : alteram generalem, sive universalem ad bonum commune totius compositi, aut universi. Hæc autem, quatenùs respicit Agens aliquod, Deum v. gr. etiam, ut authorem naturæ, à quo pendet causarum naturalium ordo, & cui naturaliter subjiciuntur earum influxus, dicitur *potentia obedientialis*.

11 Generalem illam, sive obedientialem inclinationem expresit D. Thomas : (3) *Mare movetur, secundùm fluxum, & refluxum à luna ; & hic motus est illi naturalis ; licet aquæ sit naturalis motus deorsum, secundùm se ipsam : Et hoc modo omnes creaturæ pro naturali habent, quod à Deo in ipsis fit. Et per hoc in eis distinguitur potentia duplex ; una naturalis ad proprias operationes, vel motus ; alia, quæ obedientialis dicitur, ad ea, quæ à Deo recipiunt.* Eamdem-quoque

(3) *Quæst. 1. de Pot. art. 3.*

que inclinationem confirmat experientia, qua videmus, brachium ultrò se ictui exponere ad conservationem capitis; omnia corporis membra ad nutum animæ sursum, contra suam ipsorum gravitatem, absque resistentia ulla moveri; vapores etiam à sole rursum atrahi, &c.

12 Ex quibus *inferes* 1. nullum motum inferioribus causis à superioribus, quibus illæ innatè subordinantur, impressum, esse violentum simpliciter; sed solùm secundùm quid; utpotè conformem principali subordinatarum rerum inclinationi, quamvis difformem minùs principali: Ideò Cœlorum motus ab Angelo non est ipsis violentus; neque appetitui sensitivo motus ab imaginatione, cui ille subjacet, excitati; nec denique fluxus, & refluxus maris præstitus à Luna. Cæterùm cum duplici limitatione est hoc intelligendum. *Prima* est: quòd motus ordinetur ad bonum commune; alioquin erit violentus, cum res inferiores ordinentur superioribus ratione communis boni. *Secunda* est: quòd fiat motus à causa, cui per se mobile subordinatur; aliàs erit violentus.

13 *Inferes* 2. Deum nulli rei creatæ posse simpliciter violentiam inferre. *Ratio* est: quia res quælibet creata ratione potentiæ obedientialis est suo Creatori naturaliter subjecta, habetque innatam inclinationem ad obediendum in omnibus suo Creatori, etiam contra particularem rei inclinationem operanti. Undè *illud est cuilibet rei naturale, quod fecerit ille, à quo est omnis motus, numerus, & ordo naturæ. Deus enim creator, & conditor omnium naturarum nihil contra naturam facit*; ut loquitur August. (4) Quoties igitur Deus agit contra inclinationem particularem rei, v. g projiciens lapidem sursum, actio illa est rei secundùm quid violenta; at simpliciter naturalis, quia conformis principali inclinationi.

Nec

(4) *Lib. 26. contr. Faust. cap. 3. Vid. Div. Thom. 1. par. quæst. 105. art. 6. & 3. contr. cap. 100.*

14 *Nec* inferas, nullum futurum opus miraculosum, aut supernaturale, cum omnia, quæ fiunt à Deo creaturis, sint naturalia. *Nam* sunt naturalia contrapositivè ad violentum; non contradistinctè ad supernaturale. *Nec dicas*: Deum simùl concurrere cum causa secundà violentiam inferente. *Nam* eadem ratio, quæ rei violenta est, quatenùs effecta à causa secunda, cui non est suaptè natura subjecta; est naturalis, quatenùs est à Deo, cui nata est obedire. *Et*, vel ipsa damnatorum alligatio, quæ simpliciter violenta est, ut proveniens ab instrumento corporeo, est simpliciter naturalis; prout à Deo; licet sit violenta secundùm quid, atque illis simpliciter pœnosa. (5)

15 *ARS* demùm, quæ est habitus cum recta ratione factivus, seu recta operum faciendorum ratio, suum construit opus, quod dicitur *artificiale*, & communiter definitur: *Quod à principio extrinseco advenit subjecto indifferenti.* Differt itàque à violento artificiale, quatenùs illud advenit subjecto resistenti; hoc autem subjecto indifferenti, seu non resistenti: differt insuper à naturali; quia naturale est à principio intrinseco subjecto inclinanti: artificiale tamen à principio extrinseco subjecto, non inclinanti, sed indifferenti.

16 Ars naturam imitatur *primò* ex parte principii; est enim à ratione humana, sicut natura à ratione Divina: *Secundò* ex parte subjecti; quia, sicut natura præsupponit primam materiam, ex qua agat, ità ars supponit secundam, ex qua operetur: *Tertiò* ex parte modi procedendi; sicut ergò natura procedit ab imperfecto ad perfectum, instrumenta, & media ad finem assequendum assumens; ità ars: *Quartò* ex parte termini; siquidem, ut natura agit propter finem intentum, sic ars propter finem, quem sibi proponit. atque hinc, sicut agens naturale, plerùmque formam termini producit suæ naturali formæ similem; artifex quoque

(5) *Vid. Author. Thomist. 2. Physic. quæst. 1.*

artefacto formam communicat, illius inſtar, quam mente conceperat.

17 Enim verò differt ars à natura 1. Quia natura operatur ex nuda materia prima; ars ex materia ſecundà, id eſt ex naturali compoſito. 2. Natura effectivè ad ſuum opus concurrit; ars ſolummodò directivè. 3. Natura res abſolutè tales efficit, atque intrinſecùs operatur; ars opera conſtruit per ſimilitudinem, ut hominem pictum, externaque in ſuperficie ſiſtit. 4. Natura rebus formas vividas, & actuoſas inducit, aliarum ſimilium effectrices; ars autem ſteriles, & emortuas. Eſt igitur natura præſtantior arte, quamvis naturam quodammodò perficiat, eam juvando, ut perfectionem aſſequatur.

18 *Quæres* 1. In quo conſiſtat forma artificialis? *Reſp.* formam artificialem conſiſtere in modo accidentali ſubſtantiæ, & qualitati realiter ſuperaddito. *Ratio* eſt: Quia ars nihil entitatis producit in materia; ſed eam ſolummodò diſponit, ordinat, permiſcet, &c. At verò, cum materia artificialis ex ſe ipſa diſpoſita non ſit, ordinata, & permixta; modus ille eſt realiter ſuperadditus. Undè non ſtat formaliter in partium ubicationibus, quæ variari poſſunt, invariata forma; neque in figura, quæ ex artificiali forma reſultat: ſed in ea determinata diſpoſitione, ordinatione, aut permixtione materiæ, quæ regulis artis dirigitur. Sic in exercitu forma eſt militum ordo, & diſpoſitio; ſic etiam in domo, ſtatua, &c. In pharmacis mixtio ſimplicium, &c.

19 *Quæres* 2. Utrum ars poſsit virtute propria naturæ opus efficere? *Supponimus*, id poſſe virtute naturali, ſeu applicando activa naturalia paſsivis, quæ ſua induſtria invenire poteſt: Sic Medicina ſanat adhibendo remedia, quorum virtus, etſi fortaſsis artificiosè permixta, eſt à ſimplicibus naturalibus: ſic etiam artificio magiæ naturalis occultas naturæ vires applicantis mirabiles effectus naturæ producuntur: Imò de Magis Pharaonis Scriptura docet, effeciſſe ſerpentes:

ſerpentes : aſt factum eſt Dœmonum ope , ſemina miniſtrantium ad generationem oportuna.

20 *Sed* duo nota : *Primum* eſt : ad hujuſmodi opera artem concurrere , non ut verè efficientem , ſed veluti applicantem occaſionem quamdam , ſeu conditionem oportunam , quæ virtus naturalis opus efficiat naturæ : atque ità calor extrinſecus eſt conditio , ut virtus ſeminalis ovi pullum educat. *Secundum* eſt : artem ea naturæ opera non poſſe efficere ullo modò , quorum activa invenire non poteſt: itàque Alchymiſtæ calore ignis utentes non verùm aurum, quod tantùm calore ſolis gignitur in terræ viſceribus , ſed aliquid auro ſimile , valent efficere. Videatur de hac re D. Thomas. (6)

21 *Ad quæſitum* reſp. negativè. Ratio eſt : Quia ars ſumpta pro habitu in mente artificis exiſtente ſolùm dirigit, ſtatuitque regulas ad artificioſam artefactorum formam, quæ nullam habet activitatem , & efficaciam ad naturæ opera conſtruenda. Cum igitur aliqua artificiosè compoſita effectum naturalem operantur ; virtus activa non ab arte ponitur , ſed ſupponitur : Undè , ſi aliqua nullam efficaciam habentia artificiosè conjungantur , non magis ex eis fieret activum , quam ex pluribus frigidis aliquid calidum.

22 Ex quibus colliges, formas artificiales non eſſe principia motuum aliquorum , quamvis poſsint , veluti conditiones , naturæ virtutem diſponere , & jubare ; ut diſponit artificioſum ferri acumen ad ſcindendum , vulnerandum , &c. Quapropter Orologii motus non à forma artificiali , veluti à principio ; ſed , ea diſpoſitivè concurrente, fit à gravitate ponderis centrum naturaliter repetentis , vel à lamina calybea violenter complicata , ac naturaliter ſe explicante , aut ab hujus virtute elaſtica. Idem dicendum de quovis authomato , in quo ſemper lateat aliqua naturalis

 cauſa;

(6) *In 2. diſt. 7. quæſt. 3. art. 1. & quæſt. 7. ac Pot. art. 1.*

cauſa ; ut fuit in lignea Archytæ columba , quæ volabat, in ſphæra vitrea Archimedis rotante , in Dedalis ſtatuis , &c.

23 *Nunc* agi ſolet de *Supernaturali , & Præternaturali.* Supernaturale eſt illud , quod in rebus fit juxta obedientialem inclinationem , adeòque ſimpliciter violento opponitur; verùm excedit totius ordinis naturalis activitatem , ſolùmque à Deo operatur. Et definiri poteſt : *Quod à principio extrinſeco activo , ſuprà rerum naturas operante , advenit ſubjecto obedienti.* Præternaturale dicitur illud , quod fit præter naturalem rei inclinationem ; id eſt , nec juxtà , nec contrà ; v. gr. aeris illuminatio. Differt ab artificiali : nam hoc fit ab arte ; illud à natura.

24 *Ad ultimum* ſcito : Formas accidentales non per creationem , ſed per eductionem fieri de potentia ſubjecti ; fiunt enim in ſubjecto , ac dependenter ab illo. Excipe accidentia cum ſubjecto naturaliter connexa , ut calor ignis ; quæ ad ſubjecti eductionem , veluti termini ſecundarii , coeducuntur , & ad ejus creationem concreantur; nam , qui dat formam , dat conſequentia ad formam. Cæterùm naturales educuntur de potentia naturali , ideſt inclinante ; ſupernaturales de potentia obedientiali , ut gratia , quæ aliquandò creata dicitur lato ſenſu , quatenùs nullo præcedente merito communicatur ; violentæ de potentia violenta , hoc eſt reſiſtente ; & artificiales de potentia indifferenti.



QUÆS-

QUÆSTIO V.

DE COMPOSITO NATURALI.

ARTICULUS I.

Quatenùs ex Materia, & Forma unitis constituatur Compositum naturale?

1 EAdem ferè controversia est de vera naturalis Compositi naturà veteres inter, recentioresque Philosophos, ac de primis principiis, quibus illud incepisse opinantur. Cartesius itàque corporis naturalis cum mathematico, seu quantitativo naturam confundens; illud in triplici dimensione penes longitudinem, latitudinem, & profunditatem positum existimavit. (1) Gassendus quoque, eadem ferè æquivocatione laborans, corporis naturalis essentiam in actuali impenetrabilitate, aut soliditate positam esse, existimavit. Has tamen opiniones, qui efficaci elegantia velit impugnatas, adeat Corsinum nostrum, 3. *tract. Physic. gener. cap.* 1.

2 Vera igitur compositi naturalis essentia nihil est aliud, quàm substantia ex materia, & forma unitis completa, naturaliter exigens quantitatem. Dicitur autem *Compositum substantiale*, seu naturale, quatenùs materia, & forma, veluti intrinsecis principiis, compositum: dicitur *Corpus physicum, & naturale*, quatenùs exigit quantitatem, qua gaudeat

(1) *Prin. par.* 2. *art.* 4. *&* 5.

deat trina dimenſione in longum, latum, & profundum. In hoc unum omnes conſpirant Ariſtotelici: aſt circa unionem, qua materia, & forma vinciri debeant, plurimùm diſſident: alii enim eam admittunt ab ipſis materia, & forma indiſtinctam; diſtinctam alii, eamdemque in modo ſubſtantiali realiter ſuperaddito conſtitutam.

NOSTRA CONCLUSIO.

3 *DICIMUS*: Materia, & forma, ad conſtituendum naturale compoſitum, non uniuntur immediatè per ſe ipſas; ſed medio unionis modo ab illis realiter diſtincto. Sic ſentiunt contra multos Thomiſtas Thomiſtæ multi cum Scotiſtis, & Jeſuitis; quibus arridere videtur D. Thomas, (2) aſſerens: *Hoc, quod facit conjunctum ex anima, & corpore eſſe hominem, non eſt, præter animam corpus, & unionem, aliquid poſitivum*: Ergò admittit inter animam, & corpus poſitivam unionem, quæ, niſi foret ab illis realiter poſitivè diſtincta, ejus expreſsionis Angelico Doctori non opus eſſet. Conſonat alibi: (3) *Homo generans hominem, eſt cauſa unionis formæ ad materiam, licet non ſit cauſa ipſius formæ.*

4 *PROB.* Concluſio ratione: Quæ realiter ſeparantur, realiter diſtinguuntur; ſed in morte hominis unio realiter ſeparatur à materia, & forma: Ergò. Prob. min. In morte hominis permanent materia, & forma; ſed non remanet unio; alioquin illæ partes remanerent unitæ: Ergò. *Reſp.* Contrarii: (4) tunc non deficere unionem, quoad eſſe, in recto, & quoad entitatem; ſed ſolùm, quoad ineſſe, quoad obliquum, & quoad denominationem: quia quoad eſſe, & in recto, eſt ipſæmet entitates materiæ, & formæ: quoad ineſſe,

(2) *In 3. diſt. 6. quæſt. 1. art. 3.*
(3) *Quæſt. 3. de Pot. art. 5.*
(4) *Colleg. Rip. & Magiſt. Lang. hìc.*

ineſſe, & quoad obliquum, aut denominationem, eſt mutua ipſarum intrinſeca communicatio.

5 *Impug.* 1. Vel unio de connotato, quoad obliquum, & denominationem, importat aliquid intrinſecè, præter materiam, & formam, quas dicit entitativè, & in recto; aut nihil aliud? Si aliud quid importat intrinſecè; erit unio, donec illud quid aliud eſſe poſsit, aſsignaveris. *Si* nihil aliud imbibit: Ergò, ſicut permanent materia, & forma, ità permanet unio in obliquo de connotato, & quoad denominationem. *Urg.* 1. Semper, ac permanet materia, & forma hominis, permanet quidquid eſt realiter idem cum materia, & forma; ſed unio eſt idem cum materia, & forma, etiam ſi illa ſumatur de connotato, in obliquo, & quoad denominationem: Ergò.

6 *Urg.* 2. Implicat., aliquid deficere, etiam in obliquo, de connotato, & quoad denominationem, cujus nihil deficit etiam de obliquo, de connotato, & de forma denominante; ſed in caſu poſito, niſi unio ſit à materia, & forma realiter diſtincta, nihil deficit de unionis obliquo, de connotato, de forma denominante; aliàs aſsignent, & ſciemus, illud quidpiam eſſe, præter materiam, & formam: Ergò. *Urg.* 3. Unio ſumpta in obliquo, & quoad denominationem, non eſt nihil purum, aliàs etiam in obliquo perſiſteret in partibus ſeparatis: Ergò eſt aliquid reale, & poſitivum: ſed non materia, aut forma; alioquin, his perſiſtentibus poſt hominis interitum, illa quoad obliquum, & denominationem perſeveraret: Ergò.

7 *Impug.* 2. Unio quoad obliquum eſt, per vos, mutua materiæ, & formæ intrinſeca communicatio, aut intrinſeca formæ informatio, & intrinſeca receptio materiæ; ſed, per vos, poſt hominis interitum, deficit unio in obliquo, & de connotato, perſeverantibus materia, & forma: Ergò, his perſeverantibus, deficit mutua illarum communicatio. Sed hæc non eſt purè extrinſeca, & effectiva, ſed formalis, &

intrinſeca:

intrinſeca : Ergò illis aliquid intrinſecum deficit , ratione cujus non denominantur, ut anteà, formaliter intrinſecè mutuò communicatæ.

8 *Si dicant* : Eis aliquid intrinſecum deficere ; non quidem unionis entitatem , ſed entitates ipſas materiæ , & formæ , quoad ineſſe , quia materiæ deficit forma , & formæ materia. *Contrà* : Illud *ineſſe* materiæ , & formæ , quid eſt? Si eſt ipſa entitas materiæ , & formæ : utique datur de facto entitas formæ D. Petri : Ergò datur ejus *ineſſe* ; conſequenter ineſt materiæ : Entitas quoque materiæ illius exiſtit de facto ; adeòque exiſtet materiæ *ineſſe* ; quod eſt falſiſsimum: Ergò materia , & forma , quoad *ineſſe* , aliquid poſitivum important , præter ſuas entitates ; aut nihil omninò ſignificas , dum diſtinguis partes illas, quoad *ineſſe* , ab ipſis, quoad entitates.

9 *Si recurras* ad connotata : quatenùs materia ſecundùm ſuum *ineſſe* connotat formam , & forma , vice verſa, materiam ; quod non præſtant penes nudas entitates. *Argumentor* ità : Vel entitas formæ connotat materiam intrinſecè præcisè ratione ſuæ ipſius entitatis , aut ratione alterius ? Si primùm : Ergò in quocumque eventu exiſtat entitas formæ , ac materiæ , forma connotabit materiam , cum perſiſtat tota ratio formalis connotandi in actu ſecundò. *Si ſecundum* : Aſsigna quid ſit illud. Nam , ſi aſsignes materiam; hæc eſt connotatum ipſum , ſeu ad ſummum ratio formalis paſsivæ connotationis ; non ratio formalis connotationis activæ , quæ ſe teneat ex parte formæ : Ergò debet eſſe aliquod exercitium formæ ab ejus entitate realiter diſtinctum , quod erit unio.

10 Confugiunt demùm ad actionem cauſæ efficientis applicantis formam materiæ , & materiam formæ. *Sed contrà*: Actio agentis eſt omninò extrinſeca materiæ , & formæ ; ſed per formam ſubjecto extrinſecam nulla communicatur ſubjecto formalis intrinſeca denominatio, ſed extrinſeca ſolùm,

&

& effectiva : Ergò vi actionis nequeunt materia, & forma formaliter intrinsecè denominari mutuò sese connotantes, invicem communicatæ, & unitæ. *Conf.* Quia formalis artefacti objectivi denominatio est practica, & intrinseca, nequit formaliter causari ab actu intellectùs, utpotè extrinseco: Ergò pariter.

11 *Urg.* Materia, & forma non consistunt in exercitio uniendi, connotandi, & sese uniras denominandi, alioquin à tali exercitio, connotatione, & denominatione nequirent separari : Ergò consistunt in intrinseca indifferentia, & aptitudine ad illud exercitium. Sed illud, quod in aliqua intrinseca habitudine, & indifferentia ad exercitium consistit, ad illud reduci nequit sine aliquo intrinseco determinativo superaddito : Ergò non sufficit actio causæ efficientis. Prob. min. Quod est subjecto extrinsecum, non immutat intrinsecè subjectum, ut patet in visione, intellectione, &c. Ergò nequit intrinsecè mutari de indifferentia intrinseca ad intrinsecum exercitium sine aliquo intrinseco superaddito.

12 *Impug.* 3. prima solutio : Implicat, formam aliquam deficere de connotato, & quoad denominationem, quin connotatum, aut aliquid denominans deficiat; sed in hominis interitu, nec deficit materia, quæ est connotatum formæ, nec deficit forma, que est materiæ connotatum, neque aliquid aliud de intrinsecis hominis constitutivis : Ergò nec deficit unio de connotato, nisi realiter à partibus distinguatur. Prob. maj. exemplo apud Contrarios validissimo: Implicat relationem ad secundum filium deficere, etiam de connotato, & quoad denominationem, perseverante secundo filio : Ergò.

13 *Nec* iterùm appelles ad defectum actionis causæ efficientis. *Primò*, quia potest ea non deficere, si sit actio solius Dei. *Secundò* propter dicta; nam ea actio, utpote extrinseca, nequit intrinsecam præbere denominationem. *Tertiò*, quia vi actionis conservantis relationem ad secun-

dum filium, non persistit relatio ad ipsum, nisi perseveret secundus filius. *Conf.* Ideò, pereunte secundo filio, permanet relatio quoad entitatem, quia remanet primus filius, ad quem Pater actu referatur, actuque denominetur; sed pereunte forma compositi, materia non unitur, aut denominatur vi unionis, qua illi formæ uniebatur: Ergò.

14 *Urg.* Implicat, formam non deficere quoad entitatem, ejus primaria denominatione pereunte; sed in hominis interitu perit omninò primaria unionis denominatio: Ergò. Prob. min. Primaria unionis denominatio, est denominatio actu uniendi, ut actionis actu agere, relationis actu referre, intellectionis actu intelligere; sed hæc denominatio deficit: Ergò. Prob. maj. Denominatio potentis agere non est actionis, sed agentis: Ergò denominatio potentis uniri non est unionis, sed unibilis. Tenet conseq. Nam, sicut materia, & forma sunt proportionatæ ad uniendum, ità agens ad agendum: Ergò primaria unionis denominatio non est posse, sed actu unire.

15 *Adde*: Si vi solius connotationis, aut actionis extrinsecæ salvari potest uniendi exercitium: cur salvari quoque non poterit per solam connotationem passi, & extrinsecæ superioris causæ applicationis denominatio agendi, & denominatio referendi per solam termini connotationem? Quid etiam prohibet, asserere hominem esse solam animam connotantem materiam? Quid, asserere, omnia composita esse solam materiam, quæ penes varias connotationes diversas sortitur species? *Si dicant*, denominationem actu agendi excedere capacitatem agentis ex se ipso; non autem denominationem uniendi capacitatem materiæ, & formæ. *Cedo* rationem disparitatis; quæ certè nulla erit, cum non sit minùs proportionatum agens cum plena virtute ad agendum, quàm ad uniendum materia, & forma.

16 *PROB.* 2. Conclusio: Quod est ex se intrinsecè indifferens ad aliquam intrinsecam denominationem, nequit

ad

ad eam intrinsecè determinari, nisi ei superaddatur aliquid intrinsecum; sed materia, & forma sunt ex se intrinsecè indifferentes, ut uniantur, vel non uniantur intrinsecè: Ergò. Maj. patet; quia intrinseca indifferentia nequit per aliquid purè extrinsecum auferri, ut patet in indifferentia agentis, relativi, &c. *Resp.* Contrarii, majorem veram esse de indifferentia entitativa, & respectu denominationis primariæ, quales sunt indifferentia causæ ad agendum, extremi relativi ad referendum, &c.

117 *Sed age*: Quare denominatio agendi est primaria, requirens actionem ab agente distinctam, & denominatio relativi, exigens relationem distinctam ab extremis; at denominatio uniendi est secundaria, non exigens unionem superadditam? *Quia*, inquiunt, denominatio agendi superat proportionem, & perfectionem agentis, & denominatio relativi proportionem extremorum; eò quòd agens nequeat secum identificare suam ultimam actualitatem, & extrema non sunt in genere relativo: Cæterùm denominatio uniendi non excedit capacitatem materiæ, & formæ, cum sint per se ordinatæ ad uniendum. *Sed* numquid agens non est per se ordinatum ad agendum; aut non per se agit?

118 *Deindè*: Agens nequit secum identificare suam ultimam actualitatem agendi: cur igitur materia, & forma identificare poterunt suam ultimam actualitatem uniendi? *Præterea*: Si materia, & forma ex se non unitæ fiunt intrinsecè unitæ vi actionis causæ efficientis, aut mutuæ utriusque connotationis, omni alio secluso; cur extrema, ex se non relativa, fieri relativa non poterunt eodem modo? *Adde*, juxta hanc doctrinam facilè dici posse, nullam denominationem excedere capacitatem subjecti denominabilis, adeòque negari poterunt plures, aut ferè omnes formæ denominantes. (5)

(5) *Vid. P. Lossad. hic, num.* 15.

119 *Atque hinc* facilè intelliges, quare denominatio relationis ad ſecundum filium ſit ſecundaria, atque deficere poſsit ſolùm quoad denominationem; quia, ſecundò filio pereunte, remanet exercitium referendi cum ſuo termino formali, qui eſt filius: fac, ut, ſeparatis materia, & forma, perſiſtat uniendi exercitium, & permanebit unio quoad entitatem. *Adverte*, ut inſtantias prælucidas, materiam, & formam non eſſe entitativè indifferentes ad uniendum, ſi ly *entitativè* appellet ſuprà indifferentiam, quia non eſt indifferentia exigens novam entitatem ad determinationem, ſed novum modum; licet ſint, ſi appellet ſupra materiam, & formam, quatenùs ſunt entitates indifferentes. (6)

SOLVUNTUR ARGUMENTA CONTRARIA.

120 *ARGUES* 1. D. Thomas docet *primò*; quòd (7) *forma unitur materiæ abſque omni medio.* Secundò docet: (8) *Non oportet, ea uniri per aliquod vinculum, ſicut ea, quæ ſunt penitùs diverſa.* Tertiò: (9) *Forma autem per ſe ipſam facit rem eſſe in actu:: nec dat eſſe per aliquod medium:* Undè *unitas rei compoſitæ ex materia, & forma eſt per ipſam formam, quæ ſecundum ſe ipſam unitur materiæ, ut actus ejus; nec eſt aliquod aliud uniens, niſi agens, quod facit materiam eſſe in actu.* Demùm aſſerit: (10) *Formam ſecundum ſe ipſam uniri materiæ; & non per aliud ligamentum.*

121 *Reſp.* D. Thomam, his, aliiſque locis non negare inter materiam, & formam medium modale impropriè, & *ut quo* medians; ſed medium entitativum, medians propriè, & *ut quod*, ut calx mediat inter lapides. Primò itàque loco diſputat

(6) *Alia vide apud Pal. & Loſſad.*

(7) 2. *Conf. cap.* 71. (8) 1 *par. quæſt.* 76. *art.* 7.

(9) 1. 2. *quæſt.* 110. *art.* 1. *ad* 2.

(10) *Quæſt. unic. de Anima.*

diſputat contrà Averroem, alioſque Philoſophos ponentes inter animam, & corpus, phantaſmata, potentias aliquas, aut ſpiritum corporalem: Secundò loco contrà illos agit, qui inter animam, & corpus ponebant aliqua corpora: in tertiò demùm expreſsè docet; non dari medium, qualis eſt forma medians inter Agens, & materiam. *Vide* D. Thomam. Ex quibus patet in forma ſolutio.

22 Advertenter *nota*: Unionem modalem inter materiam, & formam, non propriè inter ipſas mediare: quia id ſolùm propriè mediare dicitur, quod impedit extrema ſe ſe immediatè contingere, eaque tantùm ſibi ipſi hinc indè conjungit; neque eſt illorum invicem formalis nexus, ſed utriuſque ſecum ipſo terminat unionem: hoc modo lapis unitur lapidi media calce, & albedo ſubſtantiæ, media quantitate. Mediat igitur impropriè tantùm, & abuſivè; cum ſit purum exercitium uniendi, ſeu potiùs immediatus, & intimus extremorum contactus: Undè materia, & forma immediatè uniuntur, licet non ſint ſua ipſarum immediata unio: Sicut agens immediatè agit, quamvis non ſit ſua actio; & ſubjectum immediatè reſpicit, licet non ſit ſuus reſpectus, ſeu relatio.

23 *ARGUES* 2. (11) Unio inter materiam, & formam eſt informatio formæ, & receptio materiæ; ſed forma abſque ullo ſuperaddito informat materiam, & materia recipit formam: Ergò. Prob. min. Forma eſt ratio formalis informandi, & materia eſt ratio formalis recipiendi; ſed ratio formalis abſque ullo ſuperaddito formalem præſtat effectum, formalemque denominationem: Ergò. *Reſp.* diſt. maj. prob. Sunt rationes formales informandi, & recipiendi in actu primo, concedo; in actu ſecundo, nego maj. Quamvis autem ratio formalis in actu ſecundo ſine ullo ſuperaddito præſtet effectum, ut patet in actione, & relatione; ſecùs ratio formalis in actu primo. Forma itàque non per actu informare, ſed

(11) *Coll. Rip. & Lang. hìc.*

sed per esse informativam ; & materia, non per actu accipere, sed per esse receptivam, constituuntur.

24 *Dices* : Unio non est ratio formalis informandi, & recipiendi in actu secundo : Ergò. *Prob. ant.* 1. Si unio esset ratio formalis informandi, unio animæ cum corpore esset ratio formalis vivificandi corpus in actu secundo, & unio albedinis cum subjecto esset ratio formalis dealbandi in actu secundò ; sed hoc est falsum : Ergò. *Prob.* 2. idem ant. Si unio esset ejusmodi ratio formalis informandi, priùs informaret materiam, quàm formam; sed hoc est falsum, aliàs forma inveniret materiam actu informatam, adeòque cum illa non faceret unum ens per se : Ergò.

25 Maj. patet : Quia medium, qualis est unio inter materiam, & formam, priùs attingit quodlibet extremum, quàm unum extremum alterum. *Conf.* Unio mediare nequit inter extrema, ut separata ; sed aliundè non mediat inter illa, ut unita, quia sic jam important unionem constitutivè : Ergò. *Urg* Si actio medians inter agens, & passum, etiam ageret, agens non ageret immediatè ; si relatio, medians inter subjectum, & terminum, terminum respiceret, subjectum non respiceret terminum immediatè : Ergò, si unio medians inter materiam, & formam, exercitè actuaret, & informaret materiam, forma non informaret immediatè.

26 *Ad inst.* nego ant. *Ad* 1. *prob.* nego min. Licet enim unio animæ non sit ratio formalis vivificandi, *ut quod*, in actu primo, & per modum formæ ; est, *ut quo*, in actu secundo, & per modum exercitæ informationis. Idem suo modo intellige de albedine, & qualibet forma absoluta, quæ non sit purus actus ; cum non consistat in exercitio. *Ad* 2. *prob.* nego maj. Nam unio est ipsa immediata informatio formæ ; adeòque non priùs, sed simùl cum forma informat materiam, in qua recipitur ; at unio informat solùm, *ut quo*, & forma *ut quod* : Undè forma non invenit materiam

infor-

informatam, & in actu, sed affert secum exercitium informationis, & actuationis afficiens, *ut quo*, materiam simùl cum forma. Sicut sessio non priùs, neque immediatiùs, quàm sedens, recipitur in scamno.

27 *Ad* maj. prob. resp. dist. illam: Medium entitativum, & propriè tale, concedo; medium modale, & improprium, nego. Solutio constat ex dictis *num.* 22. *Si dicant*: Ergò simùl sunt duæ formæ in eadem materia, forma scilicet, & unio. *Insta*: Ergò simùl procedit de facto idem numero effectus à duplici causa totali, agente scilicet, & actione? Unio itàque non est forma, *ut quod*, sed *ut quo*, seu potiùs exercitium informationis; sicut actio solùm est causa, *ut quo*, seu potiùs causalitas: non igitur est inconveniens, formam simùl, & unionem modo dicto informare materiam. *Vel* dices, formam informare immediatè *ut quod*, non immediatè *ut quo*: Sicut de agente dici solet respectu effectus.

28 *Ad Conf.* dist. maj. Ut unita reduplicativè, concedo; sic enim non mediat, sed constituit formaliter extrema: ut unita specificativè, nego min. Sicut actio mediat inter passum, & agens, non reduplicativè, ut agens; sed specificativè; & relatio mediat inter extrema relativa sumpta specificativè; non reduplicativè accepta. *Ad Urg.* dist. ant. Si actio ageret, & relatio respiceret, *ut quod*, concedo ant. si ageret, si respiceret, *ut quo*, nego ant. & conseq. Sicut actio est id, quo agens agit immediatè, relatio id, quo subjectum immediatè respicit; ità unio est id, quo forma immediatè informat, & quo immediatè recipit materia.

29 *ARGUES* 3. Posita actione agentis materiam, formam applicantis; materia, & forma se ipsis uniuntur: Ergò. Prob. ant. Materia, & forma per se ipsas sunt immediatè proportionatæ ad uniendum, cum illa sit prima potentia, hæccine primus actus: Ergò. *Si dicas*: Materiam, & formam esse proportionatas in actu primò; secùs in actu secundò:

dò : Sicut agens ad agendum , subjectum relativum ad respiciendum , &c. *Contrà* 1. Proportio in actu secundò inter materiam , & formam stat in eo , quòd materia sit primum subjectum recipiens formam , & forma sit primus actus informans materiam ; sed hoc habent materia , & forma per se ipsas : Ergò. Min. patet : Quia modus unionis non est primum subjectum recipiens formam , nec primus actus informans materiam.

30 *Contrà* 2. Quia in actu primo proporcionatur natura humana cum sua prima proprietate ; v. gr. cum risibilitate, anima cum intellectu , intellectus cum specie impressa , figura cum quantitate , extrema cum unione ; ea omnia in actu quoque secundò proportionantur , ac uniuntur sine modo superaddito : Ergò pariter. *Contrà* 3. Semèl posita proportione in actu primò inter corpus , & locum , vi actionis causæ efficientis , corpus occupat locum pro priori ad *ubi* : Ergò pariter. Ant. patet : Nam *ubi* resultat ex positione corporis in loco. *Adde* : Indifferentia agentis non tollitur per actionem , sed pro priori ad ipsam : Ergò à pari.

31 *Ad arg.* resp. appobando solutionem ibi datam : Licet enim materia , & forma sint ex se in actu primo proximo proportionatæ , sunt tamen intrinsecè indifferentes adunien-dum , vel non uniendum ; adeòque determinari , & proportionari debent per modum superadditum. *Ad* 1. *impug.* nego min. ad ejus prob. dist. illam : Unio non est primum subjectum recipiens formam , nec primus actus informans materiam , *ut quod* , concedo ; *ut quo* , nego. *Vel* : non est in concreto , concedo ; in abstracto , nego. Licet enim non sit primum subjectum recipiens , est ipsa receptio primi subjecti; & quamvis non sit primus actus informans , est ipsa formalis informatio primi actus. Quod explicari potest exemplo actionis respectu agentis.

32 *Ad* 2. *impug.* cujus ant. plura inculcat , quorum non est una ratio , dicimus : eas formas denominantes , quæ

in i)

in modo exercito, seu in exercitio consistunt, se ipsis esse cum subjecto denominabili, & in actu primò, & in actu secundò proportionatas, atque determinatas; adeòque, ut suam præstent denominationem, non egent modo superaddito: hujus generis sunt figura respectu quantitatis, unio respectu extremorum unibilium, existentia respectu essentiæ, subsistentia respectu naturæ, &c. Cæterùm illæ formæ, quæ non consistunt in exercitio, sed in aptitudine, & indifferentia ad exercitium, solùm in actu primò sunt cum subjecto proportionatæ: ejusmodi sunt intellectus cum anima, species cum intellectu, quantitas, & accidens quodlibet entitativum, indigens superaddito inhærentiæ modo, ut suam formalem præstet denominationem.

33 Atque hujus quoque generis sunt materia, & forma, quæ non consistunt in uniendi exercitio, à quo separari valent; sed in aptitudine ad illud exercitium. *Hinc*: Si in argumento sumatur paritas à formis secundi generis, nulla est; nam idem omninò dicimus de qualibet alia forma entitativa: Si à formis primi generis accipiatur, discrimen ex dictis patet. *Si dicas*: Sicut forma est indifferens ad uniendum, ità habitus scientiæ est indifferens ad attingendam secundam conclusionem, qualitas, ut duo, est indifferens ad intensionem, species intentionalis Angeli, ut repræsentet novum objectum, voluntas Dei ad liberam volitionem, pater, ut referatur ad secundum filium, & Verbum Divinum ad terminandam humanitatem; sed hæ indifferentiæ non tolluntur per aliquid superadditum: Ergò.

34. *Resp.* negando conseq. Quia in primis indifferentia scientiæ, & speciei intentionalis Angeli sunt extrinsecæ, cum sint ad objectum ipsis extrinsecum; at indifferentia materiæ, & formæ est intrinseca, cum sit ad intrinsecam unionem. *Deindè*: Quatenùs attinet ad exemplum de qualitatis intensione idem asserimus in Metaphysica, (12) ac de mate-

li ria,

(12) *Lib. 2. quæst. 5. art. 2. num. 19.*

ria, & forma in præſentiarùm. *Tamdem*: Voluntas Divina, & Divinum Chriſti ſuppoſitum ſecum identificant ſuam ultimam actualitatem volendi, ac terminandi: conſequenter ſolùm dicunt indifferentiam connotativam, illa objecti creati, iſtud humanitatis: ideò tollitur indifferentia per ſolam connotationem. Contrarium evenit in materia, & forma.

35 Idem ſuo modo dicimus de indifferentia Patris ad reſpiciendum ſecundum filium; quia, cum pater ſit jam in exercitio referendi ad primum filium; indifferentia illa eſt purè connotativa, adeòque per ſolam ſecundi filii connotationem determinatur. Quæmadmodùm forma, jam informans materiam, pereumdem informationis modum determinatur ad informandam novam materiam per nutritionem acquiſitam, poſita tantummodò nova materiæ connotatione. *At*, ſicut requiritur ſuperaddita relatio, ut pater referatur ad primum filium; ità requiritur ſuperaddita unio, ut forma informet materiam primam.

36 *Ad 3. impug.* primæ ſolut. nego conſeq. Quia locus reſpectu corporis eſt quid extrinſecum; adeòque utriuſque indifferentia eſt extrinſeca per extrinſecam applicationem auferibilis: è contrà verò comparantur adinvicem materia, & forma. *At*, ſi loquamur de loco intrinſeco determinato ex loco extrinſeco reſultante; ad hunc determinatur intrinſecè per ubicationem ex poſitione corporis in loco extrinſeco reſultantem, corpuſque in loco intrinſeco conſtituentem. *Ad addit.* dicimus, eam veram eſſe de indifferentia determinativa agentis, quæ ſolùm aufertur per primæ cauſæ prædeterminationem in agente neceſſario; & per propriæ etiam voluntatis determinationem in agente libero: ſed, ſi procedat de indifferentia activa reſpectu effectus, tollitur per actionem.

37 *ARGUES 4.* Materia, & forma per ſe ipſas ſunt formaliter unitæ: Ergò. Prob. ant. Per illud ſunt partes formaliter unitæ, per quod conſtituitur compoſitum formaliter unum;

unum; sed per materiam, & formam constituitur formaliter unum: Ergò. Prob. min. Per materiam, & formam constituitur formaliter ens: Ergò. Conseq. tenet; quia unitas est proprietas entis. *Conf.* 1. Homo per solam materiam, & formam est homo, juxtà illud Athanasii: *Perfectus homo ex anima rationali, & humana carne subsistens*: Ergò. *Conf.* 2. *Anima rationalis, & caro unus est homo*, teste eodem Sancto Athanasio: Ergò constituitur unus per materiam, & formam.

38 *Ad arg. resp.* 1. dist. maj. prob. Per quod compositum inadæquatè constituitur unum, concedo maj. per quod constituitur adæquatè, nego maj. & distincta min. nego conseq. Unitas consistit in entitatis indivisione in plures entitates ejusdem rationis; v. gr. in indivisione hominis in plures homines: Cum igitur homo constituatur homo per materiam, & formam unitas, seu per materiam, formam, & unionem; per easdem, quatenùs unas, & indivisas, nedùm inter se mutuò, sed etiam in plures materias, formas, & uniones, constituitur homo formaliter unus homo. Quare per unionem, qua partes formaliter uniuntur constituitur inadæquatè compositum formaliter unum; non adæquatè.

39 *Resp.* 2. aliter dist. eamdem maj. Per quod compositum constituitur formaliter unum unitate compositionis, concedo; unitate transcendentali identitatis, nego maj. Unitas transcendentalis ea est, quam explicuimus numero antecedenti, quæ proindè à tota rei entitate, quatenùs indivisa, desumenda est: Unitas compositionis consistit in conjunctione partium. Compositum itàque denominatur *unum* prima unitate per materiam, & formam unitas; secunda verò per unionem, qua partes denominantur formaliter unitæ.

40 *Dices* 1. Omnis unitas conveniens parti est transcendentalis: Ergò. 2. Homo, quia est compositus, est indivisus in se, sed esse compositum dicit de formali unita-

tem compoſitionis, & eſſe indiviſum in ſe, dicit unitatem tranſcendentalem : Ergò hæ unitates non diſtinguuntur. 3. Si per unionem accidentalem conſtitueretur homo *unus*, homo eſſet concretum accidentale : Ergò, ſi per unionem modalem *unus* conſtituitur, erit concretum modale. 4. Homo non definitur per unionem : Ergò non illam importat conſtitutivè.

41 *Ad* 1. conceſſo ant. nego conſeq. Nam unitas compoſitionis ſolis compoſitis convenire poteſt, qualis non eſt pars ; quamvis tranſcendentalis omni enti conveniat. *Ad* 2. diſt. maj. Eſt indiviſus indiviſione tranſcendentali ſolùm, ideſt in plures homines, nego ; indiviſione etiam compoſitionis, ideſt in plures partes, concedo maj. Primum habet adæquatè per totam entitatem, & inadæquatè per ſingulas partes, & unionem : Secundum procedit formaliter ab unione. *Ad* 3. nego conſeq. Quia *accidentale* dicitur, quidquid non eſt independens ab inhæſione, qualis eſſet homo, cujus unio foret accidentalis : at verò dicitur *modale*, cujus præcipuà forma eſt modus, qualis non eſt anima rationalis.

42 *Ad* 4. diſt. ant. Explicitè, concedo ; implicitè, nego. Omne compoſitum definitur per partes phyſicas, non utcumque, ſed unitas, in quibus unio ſaltem implicatur. *Ad* 1. *Conf.* poſitam *num.* 37. diſt. ant. Per materiam, & formam unitas, concedo ; ſeparatas, nego. *Ad* 2. *Conf.* diſt. ant. Anima rationalis, & caro ſeparatæ, nego ant. unitæ, concedo. Nec alia eſſe poteſt mens Athanaſii. Atque indè ſolùm inferri poteſt, per materiam, & formam hominem eſſe unum unitate tranſcendentali, prout ſuprà explicatum eſt.

43 *ARGUES* 5. multipliciter. *Primò* : Si ad determinandas materiam, & formam, requireretur unionis modus ; cum quælibet ſuam habeat indifferentiam, quælibet haberet ſuum unionis modum ; hoc eſt falſum : Ergò. *Secundò* : Si daretur unio à partibus diſtincta, in utraque reciperetur ;

ſed

sed hoc repugnat, sicut idem accidens esse in duplici subjecto: Ergò. *Tertiò*: Unio non mediat inter effectum formalem formæ, & ipsam formam: Ergò non est ejus causalitas. Idem argui potest de materia prima.

44 *Ad primùm*, nego maj. Quia cum indifferentia formæ sit activa, indifferentia materiæ passiva, eadem forma determinari possunt; sicut, juxtà Contrarios, eadem actione determinantur: Est enim unio partium nexus, qui natura sua petit esse unus utriusque partis. *Ad secundùm*, negò min. Licet enim repugnet, idem esse accidens, in duplici subjecto totali; neutiquam esse in duplici partiali: atque ità unio est in utraque parte; sed est, *ut quod*, in forma, quippè, quæ activè concurrit ad unionem, &, *ut quo*, in materia, utpotè passivè concurrente: estque proindè in utraque unita specificativè.

45 Exemplum habes in accidentis inhærentia, quæ simùl est in accidente, *ut quod*; in subjecto, *ut quo*: sessio, cursus simùl afficiunt sedentem hominem, & currentem, ac loca sessionis, & cursus. *Nec dicas*, unionem, quippè materialem, non posse recipi in anima spirituali: *Nam* anima est, *ut quo*, corporea. *Ad tertiùm* dicimus, effectum formalem intimùm formæ esse ipsam, ut communicatam, atque unionem reduplicantem; at prior est unio specificativè sumpta, quàm reduplicativè accepta. *Nota*: quòd anima conjuncta corpori sine unionis modo, non esset informans, sed assistens; sicut Dœmon assumens corpus aereum.

ARTICULUS II.

An totum substantiale à suis partibus simùl sumptis, & unitis realiter distinguatur?

1 COnveniunt omnes, totum essentiale metaphysicum non esse à suis partibus simùl sumptis, & unitis

unitis realiter diſtinctum: De toto integrali plerique conſentiunt: De toto per aggregationem, quem viderim, diſſenſit nemo: De toto phyſico accidentali rarus, aut nullus aliter opinavit: De toto demùm phyſico ſubſtantiali eſt in præſenti præcipua diſputatio, affirmantibus Scotiſtis, Thomiſtis negantibus cum Jeſuitis. *Aſt* totum dupliciter uſurpant Scotiſtæ, cathegorematicè, & ſincathegorematicè. Primò modò accipiunt totum ſubſtantivè pro compoſito per ſe uno, ex materia, & forma: Secundò modò uſurpant totum adjectivè pro compoſito, & ejus partibus.

NOSTRA CONCLUSIO.

2 *DICIMUS*: Totum phyſicum ſubſtantiale non eſt à ſuis partibus ſimùl ſumptis, & unitis realiter diſtinctum. Sic, præter Philoſophum, (1) D. Thomas: (2) *De humanitate verò non ſic eſt intelligendum, quòd ſit quædam forma conſurgens ex conjunctione formæ ad materiam, quaſi realiter ſit alia ab utraque: quia, cum per formam materia fiat hoc aliquid actu, ut dicitur 3. de Anima, text. 9. illa tertia forma conſurgens non eſſet ſubſtantialis, ſed accidentalis.* Et alibi: (3) *Non enim, præter partes, eſt totum.*

3 *PROB.* Concluſio ratione: Totum (adde, ſi placet, *cathegorematicè* ſumptum, ſeu *ſubſtantivè*) non diſtinguitur realiter adæquatè à ſuis partibus ſimùl ſumptis, & unitis: ſed neque diſtinguitur realiter inadæquatè: Ergò. Probanda eſt utraque præmiſſa. *PROB. maj.* 1. Totum, prout à ſuis partibus realiter diſtinctum, aut eſt in ſua entitate realiter compoſitum, aut realiter ſimplex; ſed neutrum dici poteſt: Ergò. *Prob. min.* quoad primam partem: Si totum prout diſtinctum à ſuis partibus, eſſet entitas compoſita, componeretur ex partibus ulterioribus, à partibus totius realiter

(1) 4. *Phyſic. cap.* 4. (2) 4. *contra cap.* 81.
(3) 4. *Phyſic. text.* 89.

siter distinctis, atque ex illis resultaret totum utique ab ulterioribus partibus realiter distinctum; de quo fieret idem argumentum, &c.

4 *Prob.* nunc min. quoad secundam partem: Si totum, prout à suis partibus realiter distinctum, esset simplex, *sequeretur* 1. quòd compositum non esset compositum, & quòd entitas simplex partes haberet essentiales: *Sequeretur* 2. quòd illa entitas simplex, in qua staret quidditas totius hominis, non esset spiritualis, cum essentialiter dependeat à materia; non materialis, utpotè perfectior anima rationali, cum omne totum sit sua parte nobilius; sed hæc omnia falsa sunt, & absurda: Ergò *implicat in terminis, & est contra Scotum*, ut Mastrius inquit, (4) totum, prout à suis partibus distinctum, esse simplicem entitatem.

5 *Si dicant*, totum cathegorematicè sumptum, prout à suis partibus distinctum, neque esse [illegible], neque compositum; sed formam totalitatis causatam à partibus componentibus. *Contrà* 1. Inter esse simplicem, aut compositum physicè, & in re medium dari non potest, quamvis dari possit præcisivè. *Contrà* 2. Illa forma totalitatis, vel habet partes, vel non? Inter hæc non datur medium: sed, si habet partes, composita est; si secùs, est simplex: Ergò. *Dices*: habere partes essentiales compositivas; non tamen formales. *Benè sic*: Ergò cathegorematicè, & formaliter non habet partes: Ergò formaliter est simplex; adeòque verificabuntur illata *num.* 4.

6 *Prob.* 2. *prima maj. arg.* Si homo in esse totius cathegorematicè distingueretur realiter adæquatè ab anima rationali, non erit formaliter, & identicè rationalis, animal, vivens, &c. cum non identificet animam, quæ est unica radix discurrendi, sentiendi, & vegetandi; sed hoc est falsum: Ergò. *Si dicas*: Totum importare animam constitutivè, seu compositivè, licet non formaliter, & identicè. *Infero*:

(4) *Hìc, disp.* 5. *num.* 169.

fera: Ergò homo formaliter, & identicè non habet principium physicum discurrendi: Ergò, prout sic, non est formaliter discursivus, seu rationalis.

7 *Resp.* aliter Scotistæ, (5) asserentes, homini non convenire intellectionem, seu discursum ratione tertiæ entitatis, neque in ea recipi; sed ratione animæ, quàm formaliter includit, & constitutivè importat: at verò materiales operationes, ut sensationem, & vegetationem, formaliter, & immediatè convenire toti ratione sui, atque in eo recipi: *Sic argum.* Quod non recipit intellectionem, nec mediatè, nec immediatè, verè non intelligit, ut est evidens, cum intellectio sit actio vitalis, & immanens; sed humanitas, per vos immediatè non recipit intellectionem; aliundè, cum non recipiat animam, quæ est receptivum immediatum illius, eam non recipit mediatè: Ergò nullatenùs intelligit.

8 *Nec dicas*: Humanitatem recipere intellectionem ratione partis, ex qua intrinsecè constituitur. *Nam*, animam esse partem, qua humanitas constituitur, per se, non est animam identificari cum humanitate; sed aliundè non est, animam intrinsecè uniri humanitati, cum tota quidditas totius partibus non uniatur, neque faciat cum illis compositionem, ut tu ipse doces: (6) Ergò semper verificatur, intellectionem recipi in aliquo non identificato, nec unito humanitati: Ergò intellectio, nec immediate, nec mediatè recipitur in humanitate.

9 *Deindè*: Si humanitas non recipit immediatè intellectionem, verè non intelligit; hoc est falsum: Ergo. Prob. maj. Intellectio est actus vitalis; sed qui elicit actum vitalem, illum immediatè recipit: Ergò. Prob. min. Qui elicit actum vitalem, illum immediatè producit, cum per illum vivat in actu secundo; sed qui producit immediatè actum vitalem, eumdem recipit immediatè, quia actus vitalis est omninò immanens: Ergò. *Conf.* Per vos, si habitus charitatis

(5) *Vid. Mast. ubi supr. num.* 173. (6) *Mast. ibid. num.* 170.

tatis esset tota ratio agendi in amorem supernaturalem, anima non viveret per amorem supernaturalem : Ergò, si anima esset tota ratio intelligendi, humanitas ab ea realiter distincta minimè viveret per intellectionem.

10 *Prob. adhuc* 3. *prima maj.* Si totum esset realiter adæquatè distinctum à suis partibus, illud produceretur ex nihilo sui, ut clarum est, cum nihil ejus ipsum præcedat; aliundè fieret ex nihilo subjecti sustentationis, & eductionis: Ergò. Maj. patet : nam totum solùm præcedunt materia, forma, & unio, quæ nihil sunt totius, à quo, per vos, realiter distinguuntur. Prob. min. Totum à partibus distinctum non habet pro subjecto materiam, nec formam, cum illis non uniatur, nec in eis recipiatur, ut Scotistæ propugnant: Ergò. Eodem modo probari potest, illud solùm posse in nihilum abire, adeòque neque generari, neque corrumpi posse.

11 *Dicunt* Scotistæ, totum non fieri ex nihilo, sed ex suis partibus : quia partes sunt aliquid essentiale totius, cum sint de ejus essentia ; quamvis non sint aliquid formale totius : distinguuntur itàque à toto realiter, sed non essentialiter ; pariter totum à suis partibus non essentialiter, sed realiter. *Contrà* : Licet partes essentialiter constituant totum, habent essentiam realiter adæquatè distinctam ab essentia totius cathegorematicè sumpti ; alióquin essentia totius non erit realiter distincta ab essentia suarum partium ; consequenter, nec totum à partibus : Ergò essentia partium, nec est tota essentia, nec pars essentiæ totius : Ergò, licet totum fiat ex partibus, non fit ex aliquo sui, nec formali, nec subjectivo.

12 *Urg.* Partes realiter adæquatè distinctæ à toto, non sunt aliquid totius per identitatem, ut est per se evidens; nec per unionem physicam, siquidem nec partes toti, nec totum unitur partibus, juxtà Scotistas : Ergò solùm esse possunt aliquid totius per possessionem, quam ipsi vocant *intimam*

nam incluſionem Aſt quid obſtat in eductione totius ex partibus, quas à ſe ipſo realiter diſtinctas poſsidet, & includit, quominùs illa productio rei ex nihilo ſui, tam ſubjectivo, quàm formali dicatur? *Nec dicas*: partes eſſe aliquid totius per compoſitionem, aut conſtitutionem. *Quia* non eſt compoſitio ex partibus, & toto, ſed ex partibus inter ſe: adeòque, & partes, & earum compoſitio ſunt à toto realiter diſtinctæ.

13 *Atque* hinc Scotiſtarum idiomatis intelligentia facilis, & ſanè quàm utilis erit, ut eorum evaſiones præcludas. Admittunt has locutiones: *Partes intrinſecè componunt, conſtituunt totum: ſunt de eſſentia totius: ſunt aliquid ejus: includuntur in toto: diſtinguuntur à toto, tamquàm incluſum ab includente.* Cave tamen, ne his prætendas, ab Scotiſtis admiſſum iri identitatem realem etiam inadæquatam. Volunt enim, partes conſtituere, componere, cauſare intrinſecè totum realiter diſtinctum, intra cujus ſinum includuntur partes; non per modum differentiarum in ente, aut rationalis in homine; ſed potiùs, ut ità dicam, ſicut bombix ſub ſerico globulo à ſe cauſato.

14 *Prob.* jam min. primi ſyllogiſmi *num.* 3. quòd ſcilicet totum non diſtinguatur realiter inadæquatè à partibus ſimùl ſumptis: Si totum realiter inadæquatè diſtingueretur à ſuis partibus, cum illis identificaretur, & inſuper cum alia entitate, quæ, cum non ſit tota ejus quidditas, & eſſentia, erit pars. Vel igitur totum eſt realiter diſtinctum à trium partium collectione; vel non? Si ſecundum: Ergò non diſtinguitur à collectione omnium ſuarum partium. Si primum: Ergò illi collectioni addit quartam entitatem de cujus, triumque priorum collectione idem fit argumentum; & ſic in infinitum.

15 *Nec dicas*, eam eſſe formam totalitatis. *Nam*, quocumque nomine eam appelles, non eſt tota quidditas totius, niſi totum adæquatè diſtinguatur à ſuis partibus, ut diſtin-

guitur

guitur illa tertia entitas: Ergò est pars. *Nec dicas* iterùm, totum, non distingui ab omnibus omninò partibus; sed à materia, forma, & unione. Quia tua argumenta de omnibus omninò partibus idem probant, aut nihil probant. *Deindè*: Cur complexum ex his, & tertia entitate, est homo; & non complexum ex materia, forma, & unione? Præcipuè, cum ex iis, veluti ex potentia, & actu, fiat unum per se; non ex tertia entitate, quæ jam venit actui completo in linea substantiali.

16 *PROB.* 2. Conclusio multipliciter: *Primò*: Præcisè positis, & intellectis materia, forma, & unione; ponitur, & intelligitur compositum, nedùm causativè, ut volunt Scotistæ, sed formaliter: Ergò. Prob. ant. His præcisè positis, ponitur aliquid formaliter compositum: Ergò. Prob. ant. Præcisè posita partium unione, ponitur formalis compositio, cum hæc sit formaliter distinctorum unio: Ergò. *Secundò*: A paritate de composito integrali, quod, juxta Scotistarum multos, non distinguitur à suis partibus: item, de composito accidentali, quod plerique eorum indistinctum admittunt: demùm, de toto per aggregationem, quod, juxtà omnes, à suis partibus distinguitur realiter.

17 His exemplis, quibus, si quid suadetur, in substantiali composito ex materia, & forma idem omninò probatur, facilè omnia illorum instabis argumenta. *Tertiò*: Totum metaphysicum non distinguitur realiter, nec formaliter adæquatè, aut inadæquatè à suis partibus simùl sumptis, licet sit earum effectus metaphysicus: Ergò à pari. *Urg.* Essentia metaphysica totius non distinguitur realiter ab essentia metaphysica complexi ex materia, forma, & unione; aliàs assignent, quid sint anima, & corpus unita, præter animal rationale; sed essentia metaphysica, sive totius, sive partium non distinguitur realiter à toto, & partibus: Ergò. (7)

(7) *Vid. Lang. hic, num.* 798.

18 *Quartò*: Totum non distinguitur realiter à sua essentia; sed partes unitæ sunt essentia totius: Ergò. *Dicent*: (8) Partes esse totius essentiam in obliquo; non in recto. *Sed* cur idem dicere non possumus de toto essentiali metaphysi. cò, de toto integrali, de toto accidentali, & per aggregationem? *Numquid*, sicut homo ex anima, & corpore, ità ex animali, & rationali, ità ex corpore, brachiis, pedibus, &c. ità etiam album ex subjecto, & albedine, ità denique acervus tritici ex multis granis non componitur, aut constituitur? Nonnè suam exercent causalitatem partes istæ in suo genere, sicut illæ in genere physico essentiali?

19 *Quintò*: Tertia entitas in homine, aut est adæquatè corpus, aut adæquatè spiritus, aut unum, & aliud inadæquatè. Non corpus; cum sit effectus animæ, quæ, per vos, nequit præstare ullo modo esse corporeum: non spiritus; cum dependeat à materia: Ergò est partim corpus, partimque spiritus; adeòque identicè, & formaliter est corpus ipsum, eademque anima. *Adde*: Illa tertia entitas advenit enti in actu completo, scilicet materiæ informatæ; non secùs, ac quantitas advenit tertiæ entitati, & quantitati albedo: Ergò non minùs, quàm istæ, illa est accidentalis forma, & non totalitas substantialis.

20 *Tandem* sunt ex Contrariis, (9) qui dicant, partes non manere in toto; sed transire in tertiam entitatem, suasque formales rationes amittere: atque ità dicunt, totum distingui à suis partibus penes suas rationes formales, & ante conversionem; non autem posteà, quia tunc sunt jam ipsum totum. At opposita est communis Scotistarum opinio, quàm suprà impugnavimus. Qui hanc velit impugnatam, adeat Illustrissimum Palanc. *hic*, *num.* 4. Magist. Lang. *num.* 794. & P. Lossad. *disp.* 7. *cap.* 3.

SOLVUN-

(8) *Curs. Alcant. hic*, *num* 2.

(9) *Fabr. Theor.* 21. *& in* 3. *dist.* 9. *& Lalem. apud Pal. hic*, *num.* 4.

SOLVUNTUR ARGUMENTA CONTRARIA.

21 ARGUES 1. Omnis cauſa realis, ſive intrinſeca, ſive extrinſeca realiter diſtinguitur ab effectu; ſed materia, & forma ſimùl ſumptæ, & unitæ ſunt realis cauſa totius: Ergò. Maj. patet: *Tum*, quia cauſa in communi definitur: *Principium per ſe influens eſſe in aliud*: Tum etiam, quia effectus realiter dependet à cauſa; idem autem à ſe ipſo realiter dependere non poteſt. Hoc eſt præcipuum Scotiſtarum fundamentum. *Inſta* illud: Omnis pars numeri ternarii exceditur à numero ternario; ſed tres unitates ſimùl ſumptæ ſunt partes numeri ternarii: Ergò tres unitates ſimùl ſumptæ exceduntur à numero ternario? *Item*: Omnis homo eſt unus; ſed Petrus, & Paulus ſunt homines: Ergò ſunt unus?

22 Demùm inſtari quoque poteſt in toto accidentali, in compoſito metaphyſico, & in aggregato ex plurimis entitatibus. Atque ideò prædictus arguendi modus falax eſt: (10) quia medium, ſcilicet *Cauſa*, in majori ſumitur in ſingulari, perfectèque diſtribuitur pro qualibet cauſa ſigillatim: at in minori non diſtribuitur perfectè, quia non ſumitur pro materia, & forma ſigillatim, ſed pro ambabus collectivè. Omiſsis itàque aliorum ſolutionibus in noſtris Authoribus facilè inveniendis; *reſp.* diſt. min. Sunt cauſa totius, utcumque ſumpti, nego min. determinato modo inadæquato accepti, materia videlicet eſt cauſa totius, quatenùs importantis formam, & forma eſt cauſa illius, prout dicentis materiam, concedo min. & diſt. conſeq. Diſtinguuntur à toto, ut cauſato, concedo; ut conſtituto, nego conſeq. (11)

23 Itàque materia, & forma duo in compoſito exercent munera realiter diſtincta, etſi neceſſariò connexa, *cau-*

ſare

(10) *Vid. Pal. hìc.* (11) *Vid. Coll. Rip. hìc, à num.* 12.

ſare ſcilicet, & *conſtituere*. Materia cauſat totum, recipiendo formam; conſtituit autem totum, ſe toti communicando per identitatem; nam de ratione conſtitutivi eſt, cum conſtituto realiter identificari: pariter forma cauſat totum, informando materiam; at conſtituit totum, ſe illi per identitatem communicando. Igitur compoſitum de materiali eſt conſtitutum ex materia; eſt autem cauſatum à materia, ſumptum de formali: E contrà ſumptum de formali, eſt conſtitutum ex forma; & ſumptum de materiali, eſt à forma cauſatum.

24 En igitur, ut compoſitum materialiter acceptum, quatenùs ex materia conſtitutum, non diſtinguitur realiter à materia, cum ſit ipſa materia toti communicata; & idem ſumptum formaliter, prout ex forma conſtitutum, realiter à forma non diſtinguitur, quia eſt forma ipſa identicè communicata: Cæterùm compoſitum de materiali, ut cauſatur à forma, ab hac realiter diſtinguitur; & de formali, ut cauſatur à materia, diſtinguitur realiter à materia.

25 Contrà hanc ſolut. *dices* 1. Eo modo materia, & forma cauſant totum, quo dant eſſe compoſito; atqui materia non dat compoſito eſſe formale, nec forma eſſe materiale, ſed è contrà: Ergò materia cauſat totum non de formali, ſed de materiali acceptum; & forma cauſat illud de formali, & non de materiali. *Secundò*: Materia, & forma, ut cauſantes, eædem, eodemque modo ſunt, ac ut conſtituentes; ſed quatenùs cauſantes realiter diſtinguuntur à toto: Ergò. *Tertiò*: Juxta ſolutionem, totum, ut cauſatum, realiter diſtinguitur à ſuis partibus, ut cauſantibus; ſed nihil ampliùs prætendit Scotiſtarum Schola: Ergò.

26 *Ad* 1. reſp. diſt. maj. Eo modo, quo dant eſſe compoſito cauſativè, ſive per modum cauſæ, concedo maj. conſtitutivè, ſeu per modum conſtituentis, nego maj. & diſt. min. nego conſeq. Materia itàque dat eſſe materiale compoſito, per modum conſtitutivi, ut ſuprà diximus; at

verò

verò dat ipsi esse formale, per modum causæ; quatenùs per receptionem formæ est causa materialis, qua compositum habet esse formale. Pari modo forma, per modum constitutivi dat composito esse formale: dat tamen esse materiale per modum causæ; quatenùs vi suæ informationis determinat materiam, ut sit esse materiale totius.

27 *Ad secundùm*, nego maj. Materia enim, & forma, ut causantes, ipsæque, ut constituentes, in eo differunt, quòd, ut causantes de materiali suas ipsarum important entitates, & de formali important unionem ad invicem, velut rationem formalem causandi: Cæterùm, ut constituentes, dicunt de formali suam communicationem toti, unione se habente veluti mera conditione præsupposita. Ut causantes igitur reduplicant unionem; ut constituentes suam identitatem respectivè cum toto, prout suprà dictum est.

28 *Ad tertiùm*, nego min. Intentum enim Scotistarum est, totum esse diversum à suis partibus simùl sumptis, & collectivè acceptis, seu ab utriusque partis collectione; à qua tamen non distinguitur, quia collectio illa non causat, sed constituit totum. Partes enim, ut constituentes, collectivè se habent; ut causantes verò divisivè: &, prout sic, quælibet pars distinguitur à toto inadæquatè sumpto, secundùm eam inadæquationem, qua est ejusdem partis effectus. *Nota*: quòd effectus *quo* immediatus formæ est ipsa communicata, non communicatione identitatis cum composito; sed communicatione unionis cum materia. Idem intellige de materia respectu formæ.

29 *Instab.* Materia non causat totum, ut divisa à forma, nec forma, ut divisa à materia: Ergò causant totum collectivè. *Conf.* Materia, & forma causant totum, prout illud componunt; sed illud componunt collectivè sumptæ: Ergò. *Urg.* Omnes partes divisivè sumptæ sunt omnes partes collectivè acceptæ; sed divisivè acceptæ causant totum, à quo realiter distinguuntur: Ergò. *Urg.* 2. Materia, ut uni-

ta formæ, cauſat totum, & ſimiliter forma, ut unita materiæ; ſed ità ſunt ſimùl, & collectivè, non enim cauſat una poſt aliam: Ergò.

30 *Ad inſt.* diſt. ant. Ut diviſa diviſione unionis, concedo ant. ſic enim non eſſent unitæ; diviſione cauſalitatis, nego ant. & conſeq. Dum enim dicimus, materiam, & formam diviſivè cauſare totum; non intendimus, eas ab unione diviſas, ſeu non unitas cauſare totum; ſed per id ſignificare volumus, in cauſalitate unius alteram non ingredi in recto, & cauſativè, ſed in obliquo, & connotativè: Undè materia cauſat, importando formam de connotato; ideſt, recipiendo formam, unita formæ: & forma, vice verſa, unita materiæ, informando materiam. Ideò ad utriuſque cauſalitatem non requiritur utriuſque collectio, ſed potiùs diviſio, ſeu diſtributio.

31 *Si dicas*: Cauſalitas materiæ, & formæ eſt unio; ſed non cauſant diviſivè diviſione unionis: Ergò neque diviſione cauſalitatis. *Reſp.* Cauſalitatem materiæ eſſe unionem dicentem formam de connotato; &, vice verſa, eſſe cauſalitatem formæ: Undè fieri poteſt ſine diviſione unionis, diviſio cauſalitatis. *Ad Conf.* nego min. Collectivè enim ſumptæ neque cauſant, neque componunt, ſed conſtituunt totum, ſeu ſunt identicè ipſum totum. In exercitio enim conſtituendi, cum neutra pars alteram connotet, quia utraque conſtituit ſe toti communicando intranſitivè; uniri poſſunt per modum collectionis conſtituentis, ſive ad modum adæquati conſtitutivi: cujus oppoſitum vidimus in munere cauſandi.

32 *Ad* 1. *Urg.* inſto arg. Omnes Apoſtoli Chriſti collectivè ſumpti, ſunt omnes diviſivè accepti; ſed omnes collectivè ſunt duodecim: Ergò etiam diviſivè? *Reſp.* igitur, neg. maj. quia, ſi omnes diviſivè eſſent omnes collectivè, omnes diviſivè eſſent tota omnium collectio; adeòque poſſet ità fieri diſtributio: *Ergò materia eſt omnes partes collectivè,*

vè, forma est omnes partes collectivè. (12) *Ad 2. Urg.* nego min. plurium enim collectionem partes omnes ingrediuntur æquè in recto, influuntque simùl in quocumque collectionis munere: at in receptione materiæ, neque influit forma, neque se habet in recto, sed in obliquo; è contrà in informatione formæ.

33 *Replic.* 1. Quælibet pars divisivè est causa partialis, & inadæquata respectu totius, & totum est effectus totalis respectu utriusque: Ergò utraque collectivè est causa totalis, & adæquata respectu compositi. *Secundò*: Partes divisivè acceptæ causant totum; sed non causant se ipsas collectivè sumptas, alioquin essent sui ipsarum causæ: Ergò. *Adde*: Usurpationes partium in recto, vel in obliquo, simùl collectivè, aut divisivè esse meras intellectùs cavillantis reflexiones, seu conceptiones: Ergò, prout in re, nulla est realis diversitas inter partes, sive in recto, sive in obliquo, collectivè, aut divisivè sumptas.

34 *Ad 1. replic.* insto: Quælibet causa totius divisivè est pars illius: Ergò omnes collectivè sunt una pars adæquata illius? *Resp.* igitur, negando conseq. Quia, licet ex pluribus causis partialibus extrinsecis fiat una causa totalis; non tamen ex pluribus intrinsecis. Et ratio est: quia causæ extrinsecæ manent extra effectum, causantque per virtutem à se distinctam, & attemperabilem, ut simùl, per modum unius adæquatè causantis, in eodem causandi genere adunentur: Cæterùm causæ intrinsecæ impræscindibiliter important conceptum partialitatis, & incompletionis: sicut ergo repugnat ex terminis pars adæquata, aut incomplementum adæquatum totius, ità repugnat causa intrinseca totalis alicujus effectus.

35 *Nec obstat*, quòd totum sit adæquatus partium effectus. *Nam* etiam dicitur adæquatus effectus generantis, materiæ, formæ, & finis; quin tamen quatuor illæ causæ una

(12) *Vid. Dial. lib. 1. quæst. 3. art. 1. num. 12.*

fiant cauſa adæquata. Ut itàque dicatur compoſitum adæquatus effectus materiæ, & formæ, ſufficit, eas concurrere, ut cauſas adæquatas, ſeu unicas, in ſuo genere cauſandi inadæquatè. Poſſunt quidem materia, & forma unaquæque vocari cauſa intrinſeca in ſuo genere adæquata, ideſt unica: ſed abſolutè in genere cauſæ intrinſecæ prorsùs implicat cauſa totalis, vel adæquata. Non ità in genere cauſæ extrinſecæ, utpotè ex ſe præſcindente ab adæquatione, vel inadæquatione.

36 *Ad 2. replic.* nego min. Partes enim diviſivè ſumptæ cauſant collectionem earumdem, in qua totum conſiſtit. *Nec* indè infertur, unamquamque ſemetipſam cauſare: ſiquidem materia collectionem cauſat, prout dicentem formam; & forma, è conversò, quatenùs dicentem materiam; ut ſuprà diximus de compoſito. *Ad addit.* dicimus, eas partium uſurpationes eſſe formaliter mentis noſtræ reflexiones; at non objectorum vacuæ, ſeu quibus ex parte rei non correſpondent objecta diverſa: ſiquidem partes collectivè realiter inadæquatè diſtinguuntur ab ipſis diviſivè, ſeu, quod idem eſt, ab earum qualibet diviſivè ſumpta.

37 *Hinc* objectum hujus actus: *Forma unita, ſeu informans materiam*, realiter inadæquatè diſtinguitur ab objecto hujus: *Materia unita, ſeu recipiens formam*: Nam primum importat connotationem materiæ per formam, ſecundum connotationem formæ per materiam; quæ connotationes, non ſecùs, ac materia, & forma, diſtinguuntur. Quibus addi poteſt, juxtà Scotiſtam, primum objectum importare alteram unionem formæ cum materia; ſecundum alteram materiæ cum forma.

38 *ARGUES 2.* multipliciter. *Primò*: Hæc propoſitio eſt falſa: *Homo eſt materia unita formæ*: Ergò etiam iſta: *Homo eſt materia, & forma unitæ.* Tenet conſeq. quia copulativa, cujus altera pars eſt falſa, falſa eſt. *Secundò*: Partes ſimùl ſumptæ non ſunt idem inter ſe: Ergò neque cum ter-

tiò,

tiò, scilicet composito. *Tertiò*: De toto, & partibus simùl sumptis verificantur contradictoria realiter, nimirùm *generari*, *& non generari*: Ergò. *Ad* 1. nego conseq. & suppositum prob. quia consequentis propositio non est merè copulativa, sed complexiva, sicut hæc: *Petrus, & Paulus sunt duo*, quæ verà est, quin altera pars illius verificetur; ut meditanti patebit.

39 *Ad* 2. dist. conseq. Ergò neque cum tertiò adæquatè sumpto, concedo; inadæquatè accepto, nego. Ut essent idem inter se, haberent esse idem adæquatè cum tertiò. *Adde*: partes simùl complexivè acceptas reduplicativè esse idem inter se; nam materia complexivè cum forma, est forma complexivè cum materia, cum illa sit complexum ex materia, & forma, & hæc idem complexum ex forma, & materia. *Ad* 3. nego ant. Quia, sicut de toto, ità de complexo ex materia, & forma verificatur *generari*, *& corrumpi*. Licet enim materia, & anima, quoad *esse*, sint ingenerabiles; sunt tamen generabiles quoad *inesse*, prout complexum illud hominem constituunt.

40 *Si opponant* aliquas Arist. (13) authoritates, quibus innuere videtur, syllabam *Ba* distingui ab *A*, & *B*: *Dicimus*, eum loqui de partibus divisivè sumptis; aut eo modo, quo velint Scotistæ, negantes distinctionem compositi integralis à suis partibus; ea enim syllaba est compositum integrale. *Si opponant* D. Thomam (14) asserentem, dari in Christo formam totius resultantem. *Resp.* Ang. Doctorem loqui de resultantia virtuali; non de reali. *Nota*: Concilium Constant. damnasse hanc propositionem: *Duæ naturæ Divina scilicet, & humana sunt unus Christus*, loquendo de unitate personali, quam non à naturarum unitate, sed ab unitate Divini suppositi desumendam esse, definit.

(13) 5. *Metaph. tex.* 19.
(14) *In* 3. *dist.* 2. *quæst.* 1. *art.* 3.

LIBER II.

DE PRINCIPIIS EXTRINSECIS ENTIS NATURALIS.

QUÆSTIO I.

DE CAUSIS IN COMMUNI.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex ſit cauſa?

QUONIAM ea, quæ hìc de natura, arte,& violento à Peripateticis ariſtotelico more adduci ſolent, explicavimus ſupra ; (1) hìc de cauſis priùs in communi, poſteriùs de ſingulis in particulari diſputabimus. At *Cauſæ* nomen tripliciter ſumi poteſt. *Primò* pro omni principio ; ita , ut illud omne , à quo aliquid quoquo modo oritur , illius cauſa dicatur : atque hoc ſenſu Pater Æternus à Græcis Patribus, Latinis renuentibus , Filii cauſa appellatur : & privatio dicitur

(1) *Lib. 1. quæſt. 4. art. 2.*

tur ab Aristotele causa generationis. *Secundò* sumi solet strictissimè pro sola causa efficienti. *Tertiò* accipitur medio, temperatoque modo pro eo, quod esse quocumque modo influit in effectum.

2 Atque hoc tertio modo, qui reliquis proprior est, usurpata, definitur Causa: *Principium, per se influens esse in aliud.* Ubi *Principium* ponitur loco generis; per illud enim causa convenit cum privatione. Additur *per se influens esse*, quibus à privatione differt, quippè quæ nullum in principiatum præstat influxum: item à causis per accidens, & conditionibus ad causandum requisitis, quæ, prout tales, non per se influunt. Additur demùm *in aliud*, ut significetur, effectum debere esse à principio influente in natura, seu essentia realiter distinctum; hanc enim vim habet significationis nomen *aliud* substantivè acceptum.

3 Hinc autem facilè inferri potest, duo in primis requiri, ut aliquid alterius causa dicatur: *primò*, ut effectus ille, qui producitur à causa, realiter in natura distinguatur: *secundo*, ut effectus à propria causa dependeat; cum enim ab illa recipiat suum esse, manifestè sequitur, hunc ab illa aliqua ratione pendere. Ex quibus patet, causæ definitionem illis Divinis Personis adaptari non posse, quæ sunt alterius principium: nam Filius v. gr. nec dependet à Patre, nec est *aliud*, id est *aliud quid*, ab illo, licet sit *alius* ab ipso, seu alia persona, aut aliud suppositum.

4 Ratio est: quia *neutrum genus est informe, masculinum autem est formatum; similiter fœmininum: & ideo convenienter per neutrum genus significatur essentia communis; per masculinum autem, & fœmininum aliquod suppositum determinatum in communi natura:: & ideo, quia in divinis distinctio est secundùm personas, non autem secundùm essentiam; dicimus, quòd Pater est alius à filio, sed non aliud: & è conversò dicimus, quòd sunt unum, sed non unus.* (2) Si igitur *aliud* sumatur

(2) D. Thom. 1. p. quæst. 31. art. 2. ad. 4.

tur ſubſtantivè non multiplicatur in Divinis; ſicut nec aliud quodvis ſubſtantivum nomen, ne ſignificetur ſubſtantia multiplex: multiplicatur autem adjectivè, adeoque Filius eſt aliud ſuppoſitum à Patre, & Spiritu Sancto.

5 Cauſa communiter ſumpta *primò* dividitur in intrinſecam, & extrinſecam. *Intrinſeca* eſt, quæ ſuo effectui intrinſecè communicatur, quales ſunt materia, & forma, de quibus libro primo. *Extrinſeca*, quæ ſuo effectui, non ſe ipſam, ſed aliud eſſe ex ſe prodiens, communicat; ut Artifex reſpectu cathedræ. *Hìc* nota, eamdem rem poſſe ſimùl eſſe cauſam intrinſecam, & extrinſecam reſpectu ejuſdem ſub diverſa ratione: Sic intellectus eſt cauſa efficiens intellectionis, & ſimùl cauſa materialis illius.

6 Quælibet ex his cauſis, intrinſeca nimirùm, & extrinſeca, ſua gaudet diviſione; illa in materialem, & formalem, hæc in efficientem, & finalem. Cauſa materialis eſt, quæ ſuum cauſat effectum per intrinſecam alterius concauſæ, ſcilicet formæ, receptionem. *Formalis* eſt, quæ ſuum cauſat effectum per intrinſecam alterius concauſæ, materiæ nimirum, actuationem, & informationem. *Efficiens* eſt illa, à qua propriè oritur rei productio, ſeu actio, & quæ cæteris utitur quodammodo in rerum effectione. Sic artifex lignea materia utens, artificioſam inducēs navis diſpoſitionem, navigationis finem intendens, efficiens cauſa navis appellatur. *Finalis* demùm cauſa eſt illud, cujus gratia, & amore producitur effectus: ſic finalis cauſa conſtructionis navigii eſt navigatio.

7 Hæc igitur eſt illa decantata cauſæ diviſio quadrimembris omnium ferè Philoſophorum conſenſione approbata in quatuor cauſarum genera nuper expoſita; ad quæ omnes cauſæ, aut directè pertinent, aut facilè revocantur. Quidquid enim influit in effectum, vel influit intrinſecè per modum prædicati ex ſe indifferentis, illudve diſponentis, & ſic eſt, aut pertinet ad cauſam materialem; aut per modum

prædi-

prædicati intrinsecè determinativi, & actuativi, sicque est causa formalis. *Vel* influit extrinsecè: sic, aut influit effectivè, seu efficiendo; & erit causa efficiens: aut movendo, & alliciendo, tamquam id, cujus intuitu, & amore agens operatur; & erit causa finalis.

8 De cætero autem quidquid in effectum influat quoquo modo, in aliquam ex his causis erit revocandum; ad eam nimirùm, quam vel adjuvet, vel disponat: itaque materiæ dispositiones ad genus causæ materialis; agentis vires, potentiæ, requisita quævis, ad genus causæ efficientis; idea, quæ mentem operantis certo modo facundat, ac determinat, species quoque impressa quid simile præstans, ad genus causæ efficientis quodammodò revocari solent; quamvis à multis non incongruè ad genus causæ formalis, aut etiam finalis reducantur.

DIVISIONES CAUSÆ MATERIALIS, ET FORMALIS.

9 CAusa materialis primò dividitur in primam, & secundam, de quibus egimus, *lib. 1. quæst. 2. art. 1.* Dividitur secundò in intrinsecam, & extrinsecam. *Intrinseca* est, quæ recipit formam intrinsecè denominantem; ut materia prima hominis, aut paries respectu albedinis. *Extrinseca est*, quæ formam recipit extrinsecè denominantem; ut paries respectu visionis, qua extrinsecè denominatur *visus*. Sed nota, quòd licet materia extrinseca extrinsecè formam terminet, concretum tamen intrinsecè constituit: est enim paries pars intrinseca hujus concreti *paries visus*.

10 Causa formalis dividitur in intrinsecam, & extrinsecam. *Intrinseca* est, quæ suum causat effectum per intrinsecam sui ipsius communicationem; ut anima rationalis, forma lapidis: Sed de hac satiùs libro 1. tota quæst. 3. *Extrinseca* est exemplar extrinsecum, quod agens in rei formatione imitatur. Hæc à Græcis appellatur *Idea*, latinè *forma*,

seu

ſeu *ſpecies* ; eò quòd ab illa ſuam ſpeciem fortiatur ideatum; non quidem per modum compoſitionis , ſed per modum imitationis. Ejuſmodi eſt ſpecies , ſeu imago illa intentionalis, quam Artifex ante rei conſtructionem mente præconceptam habet , ad cujus ſimilitudinem conficit ideatum. Atque illa definiri poteſt : *Forma intentionalis , quam agens in confectione operis imitatur.*

§ 11 *Hinc* : Licet idea propriùs dicatur ſimilitudo illa intentionalis , quam artifex ſua mente præconcipit ante operis externi conſtructionem ; per quamdam tamen proportionem appellari quoque poterit *idea* externum exemplar,quod artifex ſibi præ oculis proponit imitandum. *Sed* notari plurimùm debet , ideam non eſſe ſpeciem intentionalem artificis intellectui ab objectis impreſſam ; ſed , quam ſua mente format , atque exprimit Artifex adjutus partim objecto externo, partim habitu artificioſo. Atque inde colliges, non eſſe ideam quamcumque ſpeciem expreſſam , ſed ſolùm eam , quæ vi artificioſi habitus, aut virtutis operativæ dicit reſpectum imitabilitatis.

§ 12 *At* ſola agentia rationalia , & intellectiva Deus, Angelus , & Homo ideis propriè uti dicuntur ; quia hæc ſolùm poſſunt propriè finem intendere , ſimilitudinem rei faciendæ diſtinctè percipere , & opus externum cum interno exemplari comparare. Impropriè tamen bruta quoque , ea præſertim , quæ vivaciori inſtinctu prædita ſunt , ut operationes humanas imitari videantur , interno exemplari , ſeu imagine operantur. Et , quamvis in agente creato , ſolùm reſpectu artificialium idea locum habeat , quippè quæ ſola quoad totum ſuum contextum à rationis directione pendent : quia tamen totus ordo univerſi ad Deum,velut artefactum ad ſuum artificem,comparatur; certum eſt, *omnium rerum , quæ in hoc mundo fiunt , ideas exiſtere apud Deum.* (3)

DIVI-

(3) *D. Dioniſ. V. D. Thom. 1. p. quæſt. 15.*

DIVISIONES CAUSÆ EFFICIENTIS.

13 CAusa efficiens *primò* dividitur in causam primam, & secundam. *Prima* est, quæ primò principaliùs, & cum omni independentia producit effectum: ejusmodi est solus Deus. *Secunda* est, quæ propriam virtutem, ejusque usum recipit à causa prima, à qua necessariò dependet in operari: qualis est omnis creatura. *Secundò*: causa efficiens creata dividitur in causam per se, & per accidens. Causa per se est, quæ ex propriæ naturæ, aut rationis intentione operatur; ut, cum homo audit sacrum, aut ignis comburit. Causa per accidens est, quæ, præter effectus intentionem, effectum producit; ut, si Medicus, curationem intendens, mortem induxerit.

14 *Tertiò* dividitur in principalem, & instrumentalem. *Principalis* est, quæ propria virtute operatur, ut artifex. *Instrumentalis* est, quæ virtute principalis agentis, cui subordinatur, ipsi transeunter communicata operatur, ut malleus, serra. *Quartò* dividitur in universalem, & particularem. *Universalis* est, quæ sua virtute plures continet effectus specie distinctos; ut Sol producens plantas, metalla, animantia, &c. *Particularis* est, quæ unum dumtaxat in specie effectum producit, ut ignis ignem, & leo leonem generans.

15 *Quintò* dividitur in univocam, & æquivocam. *Univoca* est, quæ producit effectum ejusdem perfectionis, & speciei, ut leo leonem. *Æquivoca* est, quæ producit effectum specie dissimilem, & causæ virtutem non adæquantem; ut Deus, & corpora Cœlestia, quæ in omnia influunt sublunaria. *Sexto* dividitur in proximam, & remotam. *Proxima* est, quæ proximè; *Remota*, quæ remotè influit in effectum: sic pulsus perturbatio proximè causatur ab immoderato cordis calore; radicaliter verò à febri, seu humore maligno.

16 *Septimò* dividitur in totalem, & partialem. *Totalis*

eſt, quæ totaliter, & ſola in ſuo genere effectum producit; ut cum ignis eſt cauſa totalis alterius ignis. *Partialis* eſt, quæ non ſola, ſed cum alterius generis ejuſdem conſortio cauſat effectum: ut, dum equi duo, aut plures trahunt currum. *Octavò* dividitur in liberam, & neceſſariam. Cauſa *libera* eſt, quæ agit ex propria electione, ſuæque actioni ita dominatur, ut poſitis omnibus per ſe requiſitis ad agendum, poſſit agere, vel non agere; v. gr. homo. Cauſa *neceſſaria* eſt, quæ agit ex impetu naturæ; nec ſuam actionem, poſitis ad agendum requiſitis, moderari, aut ſuſpendere poteſt; ut Sol neceſſariò profundens lucem, & ignis calorem.

17 *Nonò* dividitur in phyſicam, & moralem. *Phyſica* eſt, quæ agit per verum, realemque motum, ſeu phyſicum influxum, ut domum incendens, dicitur cauſa phyſica illius inuſtionis. *Moralis* eſt, quæ ſolùm influit moraliter, ideſt in prudentum æſtimatione, quatenùs conſulit, ſuadet, aut non impedit, potens, & debens, effectus productionem: Sic ille, qui domum comburendam conſulit, moralis cauſa dicitur illius combuſtionis. *Decimò* dividitur in cauſam, *ut quod*, & *ut quo*. Prima eſt id, quod producit effectum, ut Artifex. Secunda eſt ipſa virtus agendi, quæ ineſt, ut quod agenti, ut ars, ſeu induſtria artificis.

DIVISIONES CAUSÆ FINALIS.

18 Finis, ſive cauſa finalis *primò* dividitur in finem *cujus gratia*, & finem *cui*. Primus eſt illud, quod volumus, aut intendimus. Secundus eſt ſubjectum, aut perſona, cui illud ipſum volumus, aut deſideramus. Sic, dum Præceptor laborat ad erudiendum diſcipulum; eruditio eſt finis *cujus gratia*, & diſcipulus eſt finis *cui*. *Secundò* dividitur in finem ultimum, & intermedium. *Ultimus* eſt, propter quem cætera volumus, & ad quem ea omnia ordinamus, ipſum verò volumus propter ſe ipſum: *Intermedius*

eſt,

est, propter quem aliquid volumus, ipsum tamen ad aliud ulteriùs ordinamus: Ut, cum quis Deo placere studens per virtutem, carnem macerat; hujus macerationis finis intermedius est virtus, ultimus est Deus.

19 *Tertiò* dividitur in finem objectivum, & formalem. *Objectivus* est res, quam volumus: *Formalis* est rei desideratæ possessio: sic finis objectivus avari pecuniæ sunt, finis formalis est divitiarum possessio: finis objectivus justi est Deus; finis verò formalis est Dei possessio, seu consecutio. *Quartò* dividitur in finem operis, & finem operantis. Primus est, ad quem ex natura sua opus ordinatur. Finis operantis est, quem sibi operans pro suo libito præfigit. Itaque finis eleemosynæ est subventio pauperis; at finis elargientis plerùmque est Deus, aliquandò vana gloria.

20 *Quintò* dividitur in finem primarium, & secundarium. *Primarius* est, qui primariò, & directè intenditur: *Secundarius* est, qui solùm intenditur secundariò, & veluti ex consequenti. Itaque primarius finis elargientis eleemosynam, est subsidium pauperis; secundarius esse potest bonum exemplum, quod aliis præbetur. *Sextò* dividitur in naturalem, & supernaturalem. *Naturalis* est ille, qui solis naturæ viribus consequi potest; ut sanitas infirmi. *Supernaturalis* est, qui omnem naturæ ordinem superat, & sola gratia acquiri potest; v. gr. supernaturalis beatitudo. *Demùm* esse potest adæquatus, aut inadæquatus, totalis, vel partialis, ut de causa efficiente dictum est.

21 Causa quæcumque illa sit ex his, quas proximè exposuimus, in duplici statu reperiri potest. Primus est status actus primi, seu potentiæ: Secundus est status actus secundi, sive exercitii. Est causa in actu primo, cum veram habet potentiam, seu virtutem ad causandum requisitam. Est in actu secundo, dum exercet jam causandi munus. At verò: quia causæ virtus esse potest adæquata, & expedita, aut inadæquata, & impedita; cum suam habet virtutem expe-

ditam, & adæquatam, dicitur eſſe in actu primo proximo; cum eam habet aut inadæquatam, aut impeditam, eſt in actu primo remoto.

QUÆSTIONES MULTÆ.

22 *INQUIRES* 1. Qualis ſit quadrimembris illa cauſæ diviſio in materialem, formalem, efficientem, & finalem? *Reſp.* 1. Diviſionem illam non eſſe immediatam. *Ratio eſt*: Quia cauſa in communi immediatiùs dividitur in intrinſecam, & extrinſecam; quarum prima dividitur in materialem, & formalem; ſecunda in efficientem, & finalem. Et, quamvis cauſa materialis, & formalis ulterius in intrinſecam, & extrinſecam dividatur; neque materialis extrinſeca, neque extrinſeca formalis ſunt propriè, & in toto rigore cauſa materialis, & formalis.

23 *Reſp.* 2. Eam diviſionem neque univocam, neque infimam eſſe. *Non eſt infima*, nam ſingula membra in alia ſubdividuntur, ut ex dictis patet. *Non eſt univoca*: quia licet ſingula illius diviſionis inferiora propriè cauſæ rationem participent; inæqualiter tamen, perfectiùs quippè rationem cauſæ participat efficiens, quàm finalis; perfectius quoque formalis, quàm materialis. *Reſp.* 3. Eam diviſionem non eſſe adeò rigidam, ut membra ſemper mutuò ſe excludant: quia intellectus eſt ſimul cauſa efficiens, & materialis ſuorum actuum.

24 *Reſp.* 4. Eam diviſionem eſſe adæquatam: quia nulla eſt cauſa, quæ ad ea quatuor genera non pertineat, ut conſtat ex dictis *num.* 7. & 8. Atque ibi diximus, ideam, quatenus quodamodò mentem Artificis ad certum artis effectum determinantem, ad genus cauſæ efficientis pertinere; ad quod reducenda quoque eſt ſpecies impreſſa propter eamdem rationem: quatenùs extrinſecè dantem ſpeciem ideato, revocandam eſſe ad genus cauſæ formalis; ad quod

æquo

æquo jure pertinet objectum habitus, seu potentiæ specificativum: & quatenùs est id, ad quod exprimendum, artifex operatur; *habet rationem finis.* (4)

25 *INQUIRES* 2. Quænam sit causalitas causæ materialis, & formalis? *Resp.* eam consistere in unionis modo utrique communi, & superaddito. *Ratio est*: Quia causalitas materiæ, & formæ est earum exercitium informandi, & recipiendi; sed hoc exercitium stat in unionis modo utrique communi, & superaddito, ut fusè probavimus: (5) Ergò. *Neque* est inconveniens, duarum causarum partialium mutuò sese causantium esse unam, eamdemque formalem causalitatem, quæ vi unius connotationis sit causalitas unius, & vi alterius alterius causalitas.

26 *INQUIRES* 3. An formalis effectus formæ sit ipsa forma communicata, ut communiter dici solet? *Resp.* Effectum formalem *quo* intimum, & immediatum esse ipsam formam, ut communicatam: at verò effectum *qui* mediatum, & totalem esse compositum. *Ratio est*: Quia effectus immediatus formæ est materia reduplicativè, ut informata; at materia reduplicativè, ut informata, est forma ipsi communicata. Insuper forma mediâ informatione materiæ causat totum, quod proindè illius effectus *qui*, & totalis appellari debet. Idem cum proportione discurrendum est de effectu materiæ.

27 *INQUIRES* 4. Qualis sit divisio causæ efficientis in primam, & secundam? Et suppono, divisionem illam nulli videndam esse univocam, nisi cui videatur, æquali perfectione tribuendum esse Deo, & creaturæ causandi munus, & virtus. *At*, quod solùm impræsentiarùm quæstionis est: utrum causæ secundæ verè sint causæ? Veteres multi, quos sequutus est Malebranchius (6) expresè negarunt creaturis virtutem, & efficaciam omnem ad operandum; easque

(4) *Div. Thom. quæst.* 3. *de Verit. artic.* 1.

(5) *Lib.* 1. *q.* 5. *art.* 1. (6) *Lib.* 6 *de Met. p.* 2. *cap.* 3.

que ſolummodò eſſe *cauſas occaſionales*, quatenùs earum occaſione, ſolus Deus operatur juxta ordinem ſuæ providentiæ, dixerunt.

128 *Sed hæc poſitio ſtulta eſt; quia ordinem tollit univerſi, & propriam operationem à rebus, & deſtruit judicium ſenſus* (7) Quare ad quæſitum *reſp.* cauſas ſecundas verè cauſas eſſe, eaſdemque verè, & propriè agere, atque virtute propria operari. *Suadetur* 1. Ex Sacra Pagina, ubi legimus: (8) *Germinet terra herbam virentem, & lignum pomiferum, faciens fructum juxta genus ſuum.* (9) *Aliud cecidit in terram bonam, & dabat fructum:: Ultrò terra fructificat, primùm herbam, deindè ſpicam, deindè plenum frumentum.*

129 *Secundò* ex Concil. Trident. (10) eos expreſsè damnante, qui dixerint, liberum hominis arbitrium *nihil omninò agere, ſed merè paſsivè ſe habere.* Neque ullo verò ſenſu ſalvari poſſet definitum dogma de vera hominis libertate, ac illud quoque de duabus operationibus, duobuſque principiis in Chriſto Domino, omni prorſus abrepta creaturis activitate. *Tertiò*: Quia Deus eſſet unica vera cauſa cujuſcumque pravi operis, occaſione à creaturis oblata; quod nefas eſt dictu. *Quartò* ſequeretur, quòd homo, hominem generans, non ſecùs crearet animam, ac hominem generaret: ſiquidem Deus, illius occaſione, æquè ſolus præſtaret utrumque.

130 *Quintò*: Nulla eſſet intrinſeca differentia viventium à non viventibus: nam, ſi Deus decerneret ad præſentiam lapidis, ſicut, per te, decrevit ad hominis præſentiam, vitales actus producere; tam verè lapis viveret abſque ullà intrinſecà variatione, quàm homo. Et unde probabis intrinſecam hominis ab aſsino differentiam, ſi uterque ratiocinandi

(7) *Div. Thom. in 2. diſt. 1. quæſt. 1. art. 4. V. 3. Cont. c. 69. & 1. part. quæſt. 105. art. 5.* (8) *Geneſ. 1.*
(9) *Marc. (4. 10) Seſſ. 6. can. 4.*

di virtute destitutus sit. *Adde*: in posterùm nullum fore naturalis Philosophiæ fundamentum, quo ex variis effectibus, varias causarum indoles, atque naturas stabilivit; sed eos potiùs soli Deo nunc ita, aliter posteà operanti juxtà occasiones, quas quivis valet nullo fingere fundamento, tribuendos esse.

• 31 *OPPONES* contrà nostram resolutionem. *Primò* plures Sacræ Scripturæ textus, quibus innui videtur, Deum cuncta solum operari: nam (11) *Deus operatur omnia in omnibus.* (12) *Ego sum Dominus faciens omnia, extendens Cœlos solus, stabiliens terram; & nullus mecum, &c. Secundò*: Creatura à solo Deo dependet essentialiter: Ergò à solo Deo causatur. *Tertiò*: Deus immediatè concurrit ad omnes effectus creatos; sed non concurrit inefficaci virtute, sed efficaci: Ergò superfluit concursus creaturæ. *Quartò*: Non repugnat, à Deo fieri effectus omnes, quos ad causarum secundarum præsentiam experimur: Ergò.

• 32 *Quintò*: Conceptus supremæ potestatis agendi, est conceptus supremæ Divinitatis: Ergò conceptus potestatis activæ inferioris erit conceptus cujusdam Divinitatis: Ergò, qui veram agendi potentiam creaturis attribuunt, tametsi subordinatam supremæ potentiæ, inferiorem quamdam creaturis attribuunt incautè Divinitatem. *Ad primum* resp. in illis, ac similibus Scripturæ locis intelligi, Deum omnia solum efficere per modum causæ primæ, & universalissimæ, omnia suâ providentiâ dirigentem, ac disponentem; etsi particulares etiam causæ creatæ effectus proprios, non sine Divino concursu, producant. Quamvis multa Deus omninò solus efficiat, ut Mundi creationem, de qua loquitur Scriptura in secundo textu.

• 33 *Ad secundum*, resp. creaturam à solo Deo essentialiter dependere, tamquam à primâ causâ pro omni eventu necessaria ad illius productionem, & conservationem: at verò

(11) 1. *Corin.* 13. (12) *Isaiæ.* 44.

verò plures etiam creaturæ ab aliis creaturis ſuàpte naturà dependent, tamquàm à causà ſecundà connaturaliter exactà ad earum productionem, & conſervationem. *Ad tertium* reſp. Deum ad omnes effectus creatos efficaciſsimà, & pluſquàm ſufficienti virtute, quantùm eſt ex ſe, & in actu primo, concurrere: aſt non ita eam aplicat in actu ſecundo, ut ſemper otioſum reddat influxum cauſæ creatæ; ſic enim ſuum concurſum attemperat, ut cauſis ſecundis influendi locum relinquat in effectus ipſis proportionatos.

34 *Ad quartum*, reſp. in primis actum vitalem, & liberum creatum à Deo ſolo fieri non poſſe, neque actum quatenùs formaliter peccaminoſum; alioquin per actum vitalem creatum Deus viveret, atque formaliter peccaret. *Deinde* eſt repugnantia naturalis, quamvis non metaphyſica, in eo, quòd combuſtio ignis ſtupæ aplicati à ſolo Deo, & non ab igne, fiat. *Tandem*, quamvis plurima ſint, quæ à ſolo Deo fieri valent, non inde ſequitur ab illo ſolummodò de facto fieri: à potentia enim ad actum ineptè arguitur. *Ad quintum*: Inſto argumentum: Conceptus entis ſupremi eſt conceptus ſupremæ Divinitatis: Ergò conceptus entis inferioris eſt conceptus cujuſdam Divinitatis? Ergò, qui verum entis conceptum creaturis attribuunt, tametſi ſubordinatum ſupremo enti, inferiorem quamdam creaturis attribuunt incautè Divinitatem?

35 *Reſp.* igitur, conceſſo ant. neg. utramque conſeq. quia ſicut entitas, & exiſtentia, ita potentia activa, eo ipſo, quòd finita ſit, participata, inferior, & ab alio dependens, repugnat veræ Divinitati, quæ impræſcindibiliter infinita eſt, imparticipata, & independens. At ſumma Dei bonitas liberalis maximè, ſuique diffuſsiva creaturas facit quodammodò participes ſuarum perfectionum, non minùs activæ potentiæ, quàm entitatis, & exiſtentiæ, licet participatione imperfectà, & à Divinitatis culmine remotiſsima. (13)

INQUI-

(13) *V. P. N. Corſin. tr. 2. Phy. Gener. cap. 6.*

36 *INQUIRES* 5. Quænam sit causalitas causæ efficientis? *Resp.* eam esse actionem, seu ipsius causæ effectionem, quæ in modo positivo à cusà realiter distincto consistit. *Ratio est*: quia causalitas cujuscumque causæ est illud exercitium, in quod causa tandem prorumpit, ut det existentiam effectui; & hujusmodi est actio, seu effectio respectu causæ efficientis. Cœterùm, quòd actio illa sit à causà efficiente realiter distincta *prob.* 1. Nam, si causa creata ageret per actionem secum realiter identificatam, secum identificaret actum ultimum de linea operandi, ac proinde esset actus purus, & simpliciter infinitus in eàdem lineà.

37 *Secundò*: Quia sæpissimè existit causa sine actione ullà, ut ignis sine calefactione, animal sine visione, auditione, &c. Recursus ad connotata, quæ tunc casus deficiunt, quin actio entitativè deficiat, nihil plus Adversario proderit, quàm similis recursus Thomistis in stabiliendà inter materiam, & formam unione distinctà nobis oppositis: atque ex ibi (14) dictis facilè hìc argumentum assumes. (15) *Tertiò*: Quia substantiæ creatæ repugnat existere per existentiam à se realiter indistinctam, ut fusè ostendimus in Methaphysica: Ergò, & agere per actionem à se indistinctam; nam utrumque eadem ratio convincit, ut ex ibi dictis reponi potest.

38 *Oppones* 1. Agens per se ipsum tribuit esse suæ actioni absque actione aliâ: Ergo etiam effectui. 2. Licet Deus ab æterno extiterit, quin aliquid creaverit, ab illo non distinguitur actio creativa: Ergò. 3. Actio non requiritur ad determinandum agens necessarium, utpotè suà naturà determinatum, neque ad determinandum agens liberum, quippè quod præsupponitur determinatum ante actionem: Ergò. 4. Si daretur similis actio, ea non posset à solo Deo produci; quod repugnat. *Ad* 1. neg. Conseq. quia

(14) *V. lib.* 1. *quæst.* 5. *art.* 1. *à num.* 9.

(15) *V. Pal.* 2. *Phy. quæst.* 10. *à num.* 5.

actio non habet esse, *ut quod*, sed *ut quo*, velut exercitium dandi esse effectui; ideoque immediatè fit ab agente: è contra verò effectus.

39 *Ad* 2. neg. conseq. quia Deus est actus purus suam secum identificans actualitatem cujuscumque lineæ, adeoque sola creaturarum connotatione, sine novo exercitio formali, denominatur de novo creans per eam actionem, qua ab æterno se ipsum amat, & cognoscit: Contrarium militat in creaturâ. *Ad* 3. dicimus, agens necessarium esse naturaliter determinatum; indiferens tamen essentialiter, cum, saltem divinitùs, exercitio privari possit: liberum etiam præsupponitur determinatum, determinatione causæ primæ; at etiam per actionem se determinat ad effectum.

40 *Ad* 4. *resp.* nullam esse repugnantiam in eo, quòd Deus solus nequeat producere entitatem essentialiter exigentem egredi à causâ creatâ; cujusmodi est actio creaturæ, actus vitalis, actus liber, ut talis, &c. at non ex insufficientiâ Divinæ virtutis; sed ex summâ illius perfectione, quâ nequit aliquid facere modo, quo id fieri repugnat. Cæterùm actionem omnem simul cum creatura per actionem secum identificatam producit: quia in hoc nulla involvitur repugnantia.

ARTICULUS II.

De Causarum prærequisitis, seu conditionibus ad causandum.

1 QUamvis Causarum conditiones, earumque prærequisita idem significare velint, iis tamen diversis nominibus exponi solent: ideoque sub prærequisiti vocabulo ea statuimus, quæ hoc nomine tradi solent; & quæ conditionis nomine præcipiuntur, eodem titulo significamus. Sunt itaque prærequisita in duplici differentiâ: quædam sunt ex parte actus primi, quædam ex parte actus secundi.

ſecundi. Prima ſunt, quæ virtutem cauſæ, aut complent, aut expediunt; ut robur in cruribus ad deambulandum, oculorum appertio ad videndum.

2 Secunda ſunt, quæ, completam, expeditamque cauſæ virtutem ſupponentia, eam ſolummodò applicant, vel ad illius applicationem, & exercitium conferunt; ut uſus voluntatis, quo exteriores potentias applicat ad operationem. *Inſuper* eſſe poſſunt prærequiſita, tàm ex parte actûs primi, quàm actus ſecundi, poſitiva, vel negativa. Poſitiva ſunt, quæ in aliquo poſitivo, cauſæ virtutem, aut exercitium coefficiente, conſiſtunt; v. gr. lux, & oculorum appertio ad videndum: Negativa ſunt, quæ conſiſtunt in carentia alicujus impedimenti cauſæ virtutem, hujuſve uſum poſitivè impedientis; v. gr. carentia concattenationis ad currendum.

3 Atque hinc, ſicut ad cauſandum ſua requirunt cauſæ prærequiſita, ita frequenter experiuntur impedimenta, tùm ex parte actûs primi, tùm ex parte actûs ſecundi. Impedimentum ex parte actûs primi eſt illud, quod cauſæ virtutem, vel aufert, vel impedit, aut retardat; v. gr. maxima terræ ſiccitas ad fructificandum, & concattenatio ad currendum. Impedimentum ex parte actûs ſecundi eſt illud, quod virtutem non prohibet, non aufert, non retardat; prohibet autem exercitium; v. gr. prava conſuetudo impediens facilem virtutis actum. Atque iſta quoque eſſe poſſunt poſitiva, qualis eſt terræ ſiccitas ad fructificandum; aut negativa, qualis eſt carentia applicationis ignis ad comburendum.

4 Conditiones autem, quæ communiter cauſis aſsignari ſolent, ſunt. *Diſtinctio*, *Nobilitas*, *Prioritas*, *Connexio*, & *Simultas*, ſeu *Approximatio*. Causà enim, cum præſtet entitatem effectui; diſtinctionem ab effectu, nobilitatem quamdam reſpectu illius, atque prioritatem vendicare videtur: &, cum effectum ipſum ſua limitatæ virtutis ſphæ-

ià contineat; cum eo, & vinculum, & quaſi cognationem quamdam, atque approximationem habere debet. Quæ autem in dubium meritò vocari ſolent circa cauſarum conditiones, & prærequiſita, hìc breviter perſtringemus.

QUÆSTIONES MULTÆ.

5 INQUIRES 1. Quænam prærequirat cauſa, ut ſit in actu primo proximo ad cauſandum? *Reſp.* cauſam conſtitui in actu primo proximo, & expedito ad cauſandum, ex eo quòd habeat omne prærequiſitum, ſivè poſitivum, ſivè negativum ex parte actùs primi. *Ratio eſt*: quia tunc ex terminis intelligitur cauſa in actu primo, ſeu potentià proximà, & expeditâ ad cauſandum, cùm habet ſuam virtutem expeditam, & completam; ſed cauſa cum omnibus prærequiſitis poſitivis completam habet virtutem, ea enim ſunt, quæ virtutem complent; cum negativis eandem habet expeditam, nam ea ſunt impedimentorum carentiæ: Ergò.

6 *Inde inferes*, neque prærequiſita ex parte actùs ſecundi eſſe neceſſaria, ut cauſa ſit in actu primo proximo conſtituta; neque impedimenta ex parte actùs ſecundi obſtare, quominùs cauſa eadem plenam, & expeditam potentiam habeat ad cauſandum: quia neque hæc prærequiſita virtutem augent, aut expediunt, cum ſolùm ſe teneant ex parte applicationis ad exercitium, neque impedimenta iſta illam prohibent, aut infirmant, quamvis exercitium, & actum impediant.

7 *INQUIRES* 2. Utrum omnis cauſa realis realiter diſtinguatur à ſuo effectu. *Reſp.* affirmativè. Et ratio eſt: quia, ſi cauſa non diſtingueretur realiter ab effectu, cauſa primò realiter producens effectum, ſe ipſam primò produceret; imò cauſa, effectum continens pro priori ad ejus productionem, contineret virtutem productivam ſui ante ſui productionem;

ductionem ; ſed hoc repugnat : Ergò. Prob. min. Cauſa pro priori ad ſui productionem , cum non exiſtat , nihil eſt actu; ſed quod actu eſt nihil , nequit actu aliquid producere , aut actu virtutem productivam continere : Ergò. *Adde* : Productionem eſſe apud omnes evidens ſignum diſtinctionis inter producens , & productum ; atque hinc realem probari diſtinctionem inter Patrem , & Filium in Divinis.

8 *INQUIRES* 3. Utrum res ſemel producta poſsit elevari divinitùs ad novam ſui productionem , ſeu poſsit , ut ajunt , ſe ipſam producere , quoad ſecundum eſſe. *Reſp.* Id ex terminis repugnare. *Ratio eſt* : Quia per novam illam productionem , vel producitur aliquid de novo ex parte termini , vel non ? Si primum : Ergò non producit cauſa ſe ipſam , ſed quidpiam novum à causà jam productà diverſum. Si ſecundum : Ergò illa nova actio reverà nihil efficit , cum totam cauſam, ad quam terminatur, totaliter productam ſupponat. *Conf.* Actio productiva rei denominat rem practicè , & intrinſecè productam ; ſed actio præſtans intrinſecam , & practicam denominationem , aliquid intrinſecum ponit in termino intrinſecè denominato : Ergò, ſi nova actio nihil de novo ponit in ipſa cauſa producente, illam non producit.

9 *Urg.* Cauſa conſtituitur talis per virtutem actionis effectivam ; ſed nova cauſæ jam exiſtentis actio nequit efficere virtutem illam , quà efficitur eadem actio : Ergò. Prob. min. Nullus actus cauſare poteſt ſuam potentiam, nullus effectus ſuam cauſam ; alioquin , cum potentia ſit prior actu , cauſa prior effectu , poſſent actus , & effectus dare eſſe eſſentialiter præſuppoſitum ad ſui productionem: Ergò. *Nota*: Adverſarios facile reduplicare *quoad primum eſſe*, & *quoad ſecundum eſſe* : ſed revera nihil dicunt; quia his terminis nihil reduplicant ex parte rei productæ , ſed ſolùm ex parte actionis , quam volunt eſſe primam , aut ſecundam.

10 *Oppones* 1. Cauſa realis , jam producta , verè exiſtit,

eſt-

eſtque productiva, & producibilis: Ergò poteſt à Deo elevari ad ſe producendum per ſecundam actionem. Tenet conſeq. tùm, quia ideo nequit res prima productione ſe producere, quia pro priori ad primam ſui productionem non exiſtit: tum etiam, quia non repugnat, eundem terminum duas actiones totales terminare. *Secundò*: Sufficit diſtinctio inadæquata inter principium, & principiatum, ut patet in Patre Æterno producente Filium à ſe penes perſonalitatem, non penes naturam, diſtinctum; ſed complexum ex Deo cauſam elevante, & ipſa cauſa inadæquatè diſtinguitur à cauſa elevata: Ergò. *Adde*: Chriſtus veluti principalis cauſa ſe ipſum producit in Euchariſtia: Ergò.

11 *Ad* 1. reſp. Cauſam ſemèl productam verè exiſtere, eſſeque productivam non ſui, ſed alterius; at neutiquam eſt ulteriùs producibilis, niſi deſtruatur priùs, aut eſſe novum recipiat. Sicut ante primam ſui productionem non exiſtit, ita poſt primam ſui productionem non habet virtutem illam, qua primò fuit producta à ſua cauſa, ut ſe quoque ipſam producat, ſicut cauſa ſui produxit. Neque poteſt idem terminare duas productiones totales, ut videbimus. *Ad ſecundum reſp.* principium inadæquatè producens principiatum, debere inadæquatè diſtingui: ſed adæquatè producens, ut in caſu argumenti, debet diſtingui adæquatè. *Ad addit.* dicimus, Chriſtum ſe producere reduplicativè, ut præſentem ſacramentaliter, per præſentialitatis productionem; non ſpecificativè.

12 *INQUIRES* 4. Utrum cauſa ſit nobilior, & perfectior ſuo effectu? *Reſp.* Cauſam formaliter, ut talem, eſſe ſuo effectu perfectiorem. *Ratio eſt*: Quia cauſa, formaliter ut talis, dat eſſe effectui, ac proindè non cauſa ab effectu, ſed effectus à cauſa dependet: atqui multò perfectius eſt dare eſſe, quam accipere, cum id neceſſitatis ſit, illud fœcunditatis, & abundantiæ; multò quoque nobilius eſſe independens, quàm dependere, ut per ſe patet: Ergò. Id autem

tem intelligendum eſt de cauſa formaliter, ut tali, ſeu quatenùs cauſandi munus exercente: nam de cauſa entitativè, & materialiter ſumpta aliter eſt diſcurrendum.

13 Itaque cauſæ intrinſecæ ſemper ſunt ignobiliores effectu, ſivè mediato, qui eſt compoſitum, ſivè immediato, qui eſt pars ipſa, quatenùs communicata: Etenim perfectius eſt compoſitum qualibet ſua parte, perfectior quoque forma, prout materiæ communicata, ipsàque completa, quàm ſecundùm ſe, & incompleta. Cauſa efficiens principalis, ſi univoca ſit, qualis homo reſpectu hominis, & leo reſpectu leonis, eſt æquè perfecta; ſi æquivoca, eſt ſuo effectu nobilior. *Ratio* primi eſt: quia dat effectui omnem hujus perfectionem: Ergò habet adminùs æqualem effectui perfectionem, ut tantam habeat, quanta requiritur ad productionem effectùs.

14 *Ratio* ſecundi eſt: quia cauſa æquivoca eſt ſublimioris ſpeciei, quàm effectus, ut patet in Sole reſpectu plantæ. Tum etiam, quia continet virtutem ad plures diverſæ ſpeciei effectus: Ergò ſuperat ſingulos perfectione. Cæterùm cauſa inſtrumentalis, cum non agat virtute proprià, ſemper eſt ex ſe imperfectior effectu; quia ordinatur à principali agente, veluti medium ad finem, ad proprium agentis effectum. At purè materialiter effectum valet, aut morali æſtimatione, aut phyſica perfectione ſuperare; ut, ſi malleo argenteo clavus ferreus efficiatur.

15 Cauſa quoque finalis eſſe poteſt ſuo effectu nobilior; ut, ſi quis eleemoſynam elargiatur ex motivo charitatis: aut æquè nobilis; ut, ſi elargiatur ex motivo miſericordiæ: aut etiam ignobilior; ut, ſi ex motivo innanis gloriæ, aut turpitudinis illa conferatur. Enim verò quoties finis ignobilior eſt ſuo effectu, id ex inordinatione agentis oritur; ex rei ſiquidem naturâ, aut ex ordinato agentis procedendi modo finis ſæpiùs eſt mediis nobilior, numquam imperfectior: nam *inconveniens eſt, quòd aliquid ſit propter*

vilius

vilius se, ut docet D. Thom. (1) & inordinatè procedit, qui perfectius ordinat ad imperfectius.

16 *Oppones* 1. Sæpè stupidus homo filium generat ingeniosum, deformis pulchrum, infirmus robustum, &c. Ergò. *Secundò*: Asinus cum equâ mullum generat, asino quidem suâ naturâ perfectiorem: Ergò. *Tertiò*: Corpora cœlestia influunt in viventium generationes; sed viventia perfectiora sunt non viventibus, qualia sunt Sol, & astra: Ergò. *Quartò*: Actus est habitûs causa; sed actus est imperfectior habitu: Ergò. *Ad* 1. dici potest, perfectiones illas, in quibus effectus suas excedere causas dicuntur, esse accidentales; cum tamen resolutio nostra de essentiali perfectione loquatur.

17 *Aut* aliter dici potest, multoties hominem in aliis dotibus imperfectum, esse in ratione causæ præstantissimum, quatenùs causandi virtutem possidet efficacem: & è contrà. Unde causæ perfectio, aut imperfectio non aliunde attendenda est, nisi ex virtute effectûs causativâ, quales non sunt in homine ingenium, pulchritudo, &c. nisi ejusmodi accidentia virtutem productivam firmare, aut infirmare valeant. *Adde*, non solùm patrem, & matrem, sed astra quoque conferre plurimum ad accidentalem prolis perfectionem; ut, qui sub meliori syderum aspectu nascuntur, fœlicioris indolis evadant.

18 *Ad secundum* resp. mullum non esse effectum adæquatum asini, sed asini, & equæ. Unde nihil mirùm, si asinum in perfectione excedat; potest enim effectus causam inadæquatam, licet non adæquatam, superare. *Ad tertium* dicimus, corpora cælestia influere in viventium generationes, non quatenùs viventia, seu sub ratione viventium, sed quatenùs corporea, & sub ratione corporis sublunaris: quâ ratione sunt illa nobiliora. *Aut* dici potest, illa respectu viventium generationis esse instrumenta Angeli Cœlorum motoris.

(1) *In* 2. *dist.* 15. *art.* 1.

toris. (2) *Ad quartum* dicimus, actum non eſſe cauſam, ſed intellectùs cauſalitatem reſpectu habitùs, aut illum apella cauſam inadæquatam, ſivè concauſam cum intellectu.

19 *INQUIRES* 5. Quonam dignitatis ordine cauſæ ad invicem comparentur? *Reſp.* Cauſa formalis eſt materiali nobilior; efficiens eſt nobilior utraque; finalis eſt quodammodò omnium nobiliſsima. (3) Prima pars patet: quia forma eſt actus, & perfectio materiæ. *Secunda* conſtat ex dictis: nam materia, & forma diviſivè ſunt imperfectiores compoſito; cum tamen cauſa efficiens ſit adminùs æquè perfecta. *Tertia* demum ex eo patet, quòd cauſalitas finis eſt intentionalis, & ſpiritualior: *Tùm*, quia cauſa finalis movet immota, Dei adinſtar: *Tùm* etiam, quia, ut notat D. Thom. (4) eſt omnium aliarum cauſa; ſiquidem agens non agit, niſi motum à fine; cum tamen ejus cauſalitas à nulla alia procedat.

20 *INQUIRES* 6. An, & quatenùs cauſa debeat eſſe prior ſuo effectu? *Reſp.* Cauſam omnem eſſe ſuo effectu priorem, non ſemper prioritate temporis, ſed naturæ. *Ratio eſt*: quia prioritas naturæ conſiſtit in reali dependentia unius ab alio; (5) ſed effectus realiter dependet à cauſa: Ergò eſt effectus poſterior, cauſa autem prior prioritate naturæ. Cæterùm, cauſam non ſemper eſſe tempore priorem ſuo effectu, patet in Sole reſpectu illuminationis, & in materia prima reſpectu formæ, aut compoſiti. *Nec dicas*, correlativa, quales ſunt cauſa, & effectus, debere eſſe ſimul natura, & cognitione. *Nam* id verum eſt de prædicamentalibus; ſecùs de tranſcendentalibus, quales ſunt cauſa, & effectus, in quantum tales.

21 *INQUIRES* 7. An detur mutua cauſalitas, ſeu, ut alii loquuntur, mutua inter cauſas prioritas? *Reſp.* 1. Repugnat mutua cauſalitas in eodem genere cauſæ. *Ratio eſt*:

(2) *V. Div. Thom.* 1. *part. quæſt.* 70. *art.* 3. *ad* 3.
(3) *V. D. Thom. Opuſc.* 31. (4) 2. *Phyſ. lec.* 5. *& Opuſc.* 30.
(5) *V. Metaphyſ. lib.* 2. *quæſt.* 5. *art.* 5.

quia, ſi duo, aut plura ſe ſe invicem in eodem genere cauſæ, v. gr. efficientis, cauſarent; unumquodque ſimùl dependeret, & non dependeret ab influxu alterius: dependeret quidem, ut ſupponitur, cum quodlibet dependeret à ſua cauſa: inſuper non dependeret; nam, quod eſt prius natura, non dependet à poſteriori; ſed quælibet ex illis cauſis eſſet altera prior, utpotè illius cauſa: Ergò *ſecundùm idem genus cauſæ aliquid eſſè cauſans, & cauſatum, eſt impoſſibile.* (6)

22 *Reſp.* 2. Dari poteſt mutua cauſalitas in diverſo genere cauſæ. *Ratio eſt*: quia nulla eſt repugnantia in eo, quòd unum dependeat ab alio, ſitque illo poſterius in uno cauſandi genere, & in alio ſit prius, & id à quo illud dependet: Itaque materia prior eſt forma in genere cauſæ formalis, & ab ea, ut à ſuſtentante, dependet forma: è contra forma prior eſt materia in genere cauſa formalis, & ab illa materia dependet, tamquàm ab actu ipſam perficiente, & actuante: *Unde forma, & materia invicem ſibi ſunt cauſæ quantùm ad eſſè; forma quidem materiæ, in quantùm dat ei eſſe actu; materia verò formæ, in quantùm ſuſtentat ipſam.* (7)

23 Cauſa quoque efficiens quodammodò cauſat finem, quatenùs multoties finem ipſum efficit; & finis cauſat principium efficiens, quatenùs ipſum movet. Sic Medicus eſt cauſa efficiens ſanitatis; & ſanitas eſt cauſa finalis Medici curantis: ſic etiam demonſtratio eſt cauſa finalis ſcientiæ, & ſcientia eſt cauſa efficiens demonſtrationis. *Sed* plurimùm obſervari debet, cauſam in his eventibus eſſe cauſam ſimul, & cauſatum aliter, & aliter: nam finis, ut intentus, movet agens; ut obtentus, cauſatur ab agente: agens, quatenùs intendens finem, cauſatur à fine; quatenùs exequens media ad finem, cauſat finem.

24 Similiter materia, penes ſuum eſſe ſubjectivum purè

(6) *Ariſt.* 5. *Met.* & *Div. Thom. ibid. lect.* 2.
(7) *Div. Thom. ubi ſupr.*

rè potentiale à forma non habitum, eſt cauſa formæ ; ſecundùm eſſe actuale, quod habet à forma, eſt effectus formæ: Forma itidem, ſecundùm ſuum eſſe actuale incompletum, quod ex ſe ipſa, non à materia, poſsidet, eſt cauſa materiæ ; at verò, quatenùs recepta, ſuſtentata, & completa per materiam, eſt effectus materiæ. *Inde* intelliges jam, poſſe dari mutuam cauſalitatem in diverſo genere cauſæ ſibi invicem correſpondentis, quales ſunt efficiens cum finali, & formalis cum materiali ; & non, ſi utcumque genera diverſa comparentur : atque ita intelligendum eſt axioma: *Cauſæ ſunt ſibi invicem cauſæ.*

25 *At* non rarò contingere quoque poterit mutua illa cauſalitas inter cauſam efficientem, & materialem : nam ultima diſpoſitio ad formam, ignis, v. gr. quæ eſt calor ſummus, ab igne efficienter dimanativè procedit; & ipſa nihilominùs, cum ſit materiæ diſpoſitio ad ignem, in ignem influit quodammodò in genere cauſæ materialis; reducitur quippè diſpoſitio ad genus cauſæ, quam diſponit. Sic etiam ingreſſus aeris, feneſtram apperientis, eſt cauſa efficiens apperrionis, & appertio ipſa eſt materialis diſpoſitio ad aeris ingreſſum.

26 *Imò* ſub eodem ſubalterno genere, & ſub diverſis infimis evenire poteſt mutua cauſalitas : ſiquidem calor ille ſummus, qui eſt ultima ad ignem diſpoſitio, eſt cauſa materialis ignis, quippè qui materiam ad ignis acceptionem ultimò diſponit ; & ſimùl cauſatur ab igne in genere cauſæ materialis, cum non in materia nuda, ſed in toto ex materia, & forma ignis compoſito recipiatur : Cæterùm cauſat ignem in genere cauſæ materialis diſpoſitivæ ; cauſatur autem ab igne in genere cauſæ materialis purè receptivæ.

27 *Oppones* contra primam reſp. 1. Partes minimi naturalis ſe ſe mutuò conſervant. 2. Duo ignes mutuò ſe fovent. 3. Ignis, qui aerem, ſeu cinerem calefacit, ab eiſdem fovetur, & conſervatur. 4. Lapides fornicis atque pondera æqua

in ſtatera ſe mutuò ſuſpendunt : 5. Equi, trahentes currum, rotas movent, à rotis adjuvantur : 6. Vinum calefacit ſtomachum, & ſtomachus vinum : 7. Manus quoque ſe ſe cenfricantes mutuò calefiunt: 8. Habitus cauſat actum, & actus habitum cauſat, &c. Ergò.

28 *Reſp.* ad 1. Partes minimi naturalis ſe mutuò conſervare negativè, & indirectè, contrariis nimirùm reſiſtendo ; non autem poſitivè efficiendo. *Ad* 2. eodem modo reſpondetur : nam ignes conjuncti fortiùs reſiſtunt contrariis, eos conſumere connantibus ; atque ita ſe mutuò conſervant negativè, & indirectè, non poſitivè. *Ad* 3. eodem modo reſpondetur. *Ad* 4. *reſp.* lapides fornicis, ac ſtateræ pondera non ſe mutuò cauſare, ſed concurrere veluti cauſas partiales ad ejus ſuſpenſionem, ſtateræque equilibrium. *Ad* 5. pari modo dicimus, equos, rotaſque currus eſſe cauſas partiales, ſe ſe juvantes ad vehendum currum.

29 *Ad* 6. *reſp.* Stomachum, & vinum ſe mutuò calefacere, ſed diverſo calore : unde effectus vini eſt calor in ſtomacho ; & effectus ſtomachi eſt calor in vino, qui calores realiter diſtinguuntur : non ergò influit in cauſam effectus cauſæ. *Ad* 7. eodem modo reſpondetur. *Ad* 8. dicimus, habitum non eumdem numero actum efficere, à quo fuit cauſatus, ſed alium ſimilem. *Hinc* notabis, idem poſſe eſſe cauſam ſuæ cauſæ in diverſo genere ; quia ſic contingere valet ſub diverſa ratione : at non in eodem genere ; ita enim ſub unica ratione contingeret.

30 *Oppones* jam contra ſecundam *reſp.* 1. Repugnat mutua prioritas realis durationis, ſeu temporis reſpectu cauſarum diverſi generis : Ergò, & mutua naturæ prioritas ad mutuam cauſalitatem requiſita. 2. Quod eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati : Ergò, ſi effectus unius cauſæ eſſet ſuæ cauſæ cauſa, eſſet cauſa ſui. 3 Si calor, qui eſt ultima diſpoſitio ad ignem ſimul eſſet ignis effectus, ignis, utpotè cauſa efficiens caloris, exiſteret pro priori ad calorem;

ſed

ſed aliundè non exiſteret, quippè non poſitus adhuc extra omnes ſuas cauſas, quorum una eſt calor ipſe: Ergò.

631 *Ad* 1. *reſp.* nego conſequen. quia, ſi duo mutuò ſe præcederent tempore, & duratione, ſe mutuò adæquatè præcederent, & ſic prioritas, & poſterioritas eſſent ejuſdem ſecundùm idem, quod repugnat: non ſic in noſtro caſu, in quo prioritas, & poſterioritas ſunt ſub diverſa ratione, ut ex dictis conſtat. *Ad* 2. diſt. maj. Quod eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati, ſi prima ſit cauſa ſecundæ in eo genere, in quo ſecunda eſt cauſa cauſati, concedo; ſi in diverſo genere, nego maj. Quia avus eſt cauſa efficiens filii, filius etiam cauſa efficiens nepotis, avus dicitur cauſa mediata nepotis: At materia eſt cauſa materialis formæ, forma cauſa formalis materiæ; ideo materia nō eſt cauſa ſui; & ſic de aliis.

632 *Ad* 3. *reſp.* ignem pro priori ad calorem revera exiſtere, eſſeque extra omnes ſuas cauſas, etiam diſpoſitivam, quæ eſt calor, quamvis non intelligatur exiſtens, neque intelligatur calor. Itaque ſummus calor, & forma ignis, à qua dimanat, ſunt ſimùl tempore, & duratione; ſolùmque præcedit ignis calorem prioritate naturæ in genere cauſæ efficientis; & è contra calor eſt prior igne in genere cauſæ materialis: cum autem prioritas naturæ nullam involvat realem antecedentiam, ut ex ſæpè dictis conſtat; neque ignis eſt in re ante calorem, licet intelligatur prior in genere cauſæ efficientis; neque calor ante ignem, etſi prior in genere cauſæ materialis intelligatur.

633 *INQUIRES* 8. An, & quatenùs cauſa connectatur cum effectu? *Et* ſuppono, cauſam nullam dicere connexionem cum exiſtentia effectus, aut è contrà; cum poſſint invicem exiſtere, quolibet deficiente. *Reſp.* Cauſam creatam eſſentialiter connecti cum poſſibilitate ſuorum effectuum: non è converſo; cum effectus creaturæ, ipſa deficiente, poſſit à Deo produci. *Ratio eſt*: quia nequit effectus poſſibilitas deficere, quin pro priore deficiat virtus, etiam radicalis,

dicalis, cauſæ illius productivæ, cum ea virtus neceſſariò, & à priori inferat effectûs poſsibilitatem; atque radicalis cauſæ virtus eſt ſuâ ipſius forma ſubſtantialis: Ergò deficiente effectûs poſsibilitate, deficeret ejus cauſa. Vide, quæ diximus in Metaph. (8) de connexione Divinæ Omnipotentiæ cum poſsibilibus. (9)

934 *INQUIRES* 9. Quid reſolvendum ſit de approximatione agentis ad paſſum? *Suppono* 1. Quodlibet agens creatum determinatam ſuæ activitatis ſphæram habere, ultra quam naturaliter operari non poſsit; quæ major, aut minor eſt, juxta cauſæ virtutis, & activitatis menſuram: Sic ingens incendium longiùs calorem, lucemque protendit, quàm exigua lucerna: ideo Sol ampliſsimam habet ſphæram, cum vel in terræ viſceribus operetur. *Suppono* 2. Immediationem agentis ad paſſum eſſe poſſe, vel immediationem ſolùm virtutis, ut cum ignis non per entitatem, ſed per calorem attingit paſſum; vel immediationem ſuppoſiti, ut cum ignis entitativè paſſum attingit.

935 *Reſolvo* 1. Nulla cauſa creata agere poteſt in paſſum diſtans, quin agat aliqua virtute per medium diffuſa; licet multoties medium non immutet defectu diſpoſitionis, & aptitudinis. *Ratio eſt* 1. quia operari ſequitur ad eſſe: Ergò operari in hoc loco, ſequitur ad eſſe in hoc loco; at, cum operari non ſemper ſequatur ad eſſe formale, & quidditativum ſuppoſiti, ſed ad eſſe virtuale, ſeu ſuppoſiti virtutem; neceſſe eſt, ut vel agens, vel ejus virtus ſit in loco, ubi operatur. *Secundò*: Agens non minùs dependet à loco, quàm à tempore; ſed nulla res eo tempore operari poteſt, quo, nec in ſe, nec in ſua virtute exiſtat: Ergò.

936 Id ipſum confirmat experientia. Paſsim quippè videmus, agentis influxum impediri, quoties interponitur aliquid illius virtutis contactum impediens: Sic, clauſa feneſtra,

(8) *Metaph. lib. 1. quæſt. 3. art. 3.*
(9) *V. Colleg. D. Thom. quæſt. 6. Phyſ. art. 2. §. 4.*

neſtra, ceſſat cubiculi illuminatio, quin Solis illuminantis virtus minuatur, aut cubiculum extrahatur à ſphæra virtutis ſolaris: ſic etiam, manu præ oculis poſita, ceſſat imiſsio ſpecierum ab objectis, actuſque videndi ex parte potentiæ: Sic demùm ignis propinquam ſtupam non comburit, niſi priùs ferream laminam interpoſitam penetraverit. Quibus addi poteſt, naturam non uti fruſtra locali motu, ut agentia conjungat paſsis; ita, ut quò longiùs ab eis diſtant, eò in eis debiliùs operentur, ut patet in calore ignis, in luce candelæ, in odoribus, coloribus, ſonis, &c.

37 *Reſolvo* 2. Cauſa creata poteſt divinitùs agere in paſſum diſtans, ſive intra, ſive extra naturalem ſuæ activitatis ſphæram, quin operetur in medio, aut per illud ſuam virtutem effundat. *Ratio eſt*: quia nulla eſt repugnantia in eò, quòd Deus cauſæ virtutem, ignis calorem, v. gr. ab eo extrahat, aliòque, medio relicto, deffundat, ibique operetur: Unde agentis approximatio ad paſſum non eſt eſſentiale requiſitum ad agendum, ſed mera conditio naturaliter indiſpenſabilis, & divinitùs ſuplebilis citra repugnantiam.

38 *Oppones* contra primam reſolutionem plurima experimenta: 1. Torpedo piſcis ſtupefacit manum piſcatoris, quam non attingit: 2. Sol producit aurum in terræ veſceribus, in quibus, nec lux, nec calor pertingere videtur: 3. Magnes attrahit ferrum, etiam interpoſita tabula: 4. Oculi faſcinantes lædunt pueros diſtantes, non viros propinquiores: 5. Oſcitans, & tuſsiens alios etiam diſtantes provocat ad tuſsiendum, & oſcitandum: 6. Baſiliſcus oculorum aſpectu viros interimit: 7. Remora curſum navis rapidè decurrentis detinet: 8. Unius quoque lyræ chorda, dum percutitur, chordam alterius illi uniſonam, ſeu in ſimilem ſonum aptaram commovet, atque ſonare facit: 9. Approxis herba ignem concipit è longinquo.

39 *Denique*: Dum vites in Hiſpania florent, vinum quo-

que

que inde asportatum in Anglia commovetur; & aqua in lebetis fundo frigidior est, quàm in superiori parte lebetis. Hæc, aliaque sexcenta quotidiè fieri experimenta, à compluribus observatum est: sed meritò, constanterque negamus, ea singula fieri in distans. Licet enim in his casibus causa efficiens à passo plurimùm distet distantia supposiți; non tamen distat distantia virtutis, cum potiùs illi virtute sua præsens fiat: idque magis ex eo patet, quòd juxta medii, vel interjecti spacii diversitatem, diversa quoque, major, aut minor, debilior, aut fortior sequatur operatio.

140 Singula percurramus 1. Torpedo itaque piscatoris manum stupefacit noxia, venenataque qualitate ab hamo ad arundinem usque ad manum piscatoris diffusa; vel, ut aliis placet, tremore quodam per medium ipsum communicato; cujus signum est, quòd solus piscator, non alius, etsi proximior, venenatur. 2. Sol etiam sua virtute, & calore usque intima terræ viscera penetrat, quibus aurum, aliaque metalla, juxta mineralem terræ indolem, producit: imò Pythagoras putavit, calorem syderum in centro terræ esse vehementiorem, quia eorum radii concentrantur.

141 3. Magnes quoque per effusionem alicujus virtutis, quævis illa sit, ferrum attrahit; cujus signum est, quòd non in quacumque, sed proportionata distantia ejusmodi causet effectum; &, interposita tabula, non ita promptè ferrum excitat, sed postquàm subtilissimè se se inter tabulæ poros insinuaverit; atque adeo per medium agit, quod non similiter attrahit, quia non est ejusdem cum ferro indolis, & dispositionis: 4. Oculi verò fascinantium, si fascinatio dœmonum ope non fiat, venenatos halitus, corruptosque spiritus vitales per medium utique deffundunt, qui ab imaginatione excitati, tenera puerorum corpora lædunt, non duriora virorum: sicut idem pestifer aer dispositum lædit, secùs indi spositum.

142 Idem quoque dici solet de lupo raucedinem pastori, quem

quem priùs viderit, inducente. 5. Tuſsiens, & Oſcitans alios ad ſimiles affectus commovet per ſpecies intentionales, aut ideas intrinſecas ab oſcitante, & tuſsiente advenientes, cogente imaginativa: Unde, niſi ſenſibus oſcitatio, aut tuſsis percipiatur, nulla fit provocatio. Idem dicimus de riſu, & fletu ad fletum, & riſum provocantibus. 6. De Baſiliſco idem dicimus, ac de torpedine, oculiſque faſcinantium. 7. Quòd de remora adjicitur, falſum, aut fabuloſum eſt. (10) provocatibus.

43 8. De uniſonis lyræ chordis dicimus, motum illum fieri; quatenùs alteriùs chordæ ſonus, cum ex commotione quadam reſultet, ſecum tremorem quemdam, aeriſque undulationem inducit, quarum vi facilè, commoventur, quæ ſunt eodem undulationis motu mobilia: itaque cum nervus lyræ ſit uniſonus cum alio, tremor unius per aerem propagatus alium facillimè commovet, ac ſonare facit. Atque ideo, ſi vehemens fiat ſonus, etiam ſolidiora corpora concutit; ut, cum ſentimus terram commoveri, ac ſub pedibus contremiſcere ad ſtrepitum tonitrui, tormenti bellici, aut cujuſpiam alterius. 9. Approxis autem non concipit ignem, donec medium incaleſcat, nam tenues halitus longiùs diffundit, qui tenuem flammam, aut ignis calorem concipientes, ad eam uſque perducunt.

44 *Ad ultimum* facilè reſpondetur, eodem tempore, quo vites in Hiſpania florent, vinum quoque inde aſportatum commoveri, non à vite florenti, ſed à verno calore, quo vites ad florendum, & vini ſpiritus ad ejuſmodi motum excitantur. Aqua etiam in lebete ſuperiùs calidior eſt, & infundo frigidior; vel quia calor, utpotè naturæ levis, ſurſum tendit potiùs, quàm infra detineatur; vel, quia calidior aqua, quippè, quæ levior, ſurſùm aſcendit, frigidior verò, utpotè gravior, infra ſubſidet.

45 *Inſtabis* experimento præjactis omnibus ſolemniori: ſaltem negari non poteſt, pulverem, quem vocant *ſympati-*

(10) *P. Corſ. tr. 2. Phyſ. gen. cap. 7.*

cum (qui fit ex vitriolo, vel simplici, vel ad vehementis caniculæ æstûs calcinato) agere in distans; siquidem experientia compertum est, adstantis, atque distantis hominis curari vulnera, si pannus, illius sanguine tinctus tali pulvere aspergatur, temperatoque in loco servetur; eadem quoque vulnera inflammari, si in calidiori loco existat ea frigescere, si pannus ipse in frigidiori loco collocetur.

46 *Resp.* Illud pulveris experimentum non in quacumque distantia fieri (alioquin Dœmonum ope fieri, vult Pater Lossad.) (11) sed certis, determinatisque limitibus: non tamen propterea fit indistans, sed per suæ virtutis diffusionem: quæ sic explicari potest, ut partes subtiliores vitrioli cum spiritibus effusi sanguinis admixtæ, ab ipsis invulneratum hominem attrahantur, sicque mederi possint: Compertum enim est medicamenta omnia, non ratione crassioris substantiæ, sed subtilioris substantiæ halitibus, sivè spirituum effusione, qui, si exhalaverint, inefficax redditur remedium, operari. Itaque nihil prohibet, quin à sanguine, & vitriolo tenuissimi halitus ad vulnerati corporis partes advolent, illique medeantur.

47 *Sed dices*: quâ virtute spiritus sanguinis, & vitrioli ad vulneratum corpus reddire possunt? Cur etiam vulnerato corpori, cujus sanguis vitriolo permixtus est, potius, quàm aliis etiam propinquioribus adjungatur? *Resp.* Id duplici ratione explicari posse: *Primò*: quia ex illa sanguinis, & vitrioli mixturâ subtilioris substantiæ spiritus, qui tenuissimis particulis componuntur, per aerem, etiam ad magnam distantiam exhalantur, donec vulnus attingat corporis, à quo, tum ob connaturalitatem, tum ob indigentiam attrahitur.

48 Ob *connaturalitatem*, inquam: quia sanguis effusus fuit vulnerati corporis portio, quæ ipsi potius, quàm aliis est connaturalior: unde hujus potiùs, quàm alteriùs vulnera

(11) *Tract. 2. Phys. disp. 3. cap. 4. num. 3.*

re sanare debent illius spiritus balsamica vitrioli virtute affecti ; cum præsertim particulæ , quæ ejusdem substantiæ sunt, faciliùs,& arctiùs inter se adhæreant, & conjungantur. *Ob indigentiam* quoque : nam unaquæque res arripit ea, quæ sibi prosunt , ut ignis lucernæ oleum , & arborum radices humorem terræ. Nec mirum , illiusmodi in tanta copia, tanta virtute fieri exhalationem : nam odor , qui simili diffusione defertur , ad remotissima adeo loca pertingit , ut cadaberum odor ad quingenta milliaria à vulturibus percipiatur. (12)

49 *Secundò* : reditus ille fieri potest per naturalem inclinationem , qua res quælibet tendit in suæ conservationis locum ; ut lapis deorsum , aer sursum , calida ad locum calidum , frigida ad frigidum : ideoque frigidos aeris vapores violenter calefactos ad res frigidas , ut ad marmora confugere experimur ; atque inde marmora per æstatem sudare videntur. Cum igitur spiritus sanguinei , sive subtilior substantia sanguinis effusi corpori vulnerato fuerit congenita; verosimile est , eam ad suum corpus , velut exul cives ad suam patriam , innatam inclinationem habere ; atque suo reditu puriores vitrioli partes, quibus permixta fuit , secum rapere, & sic mederi.

50 *Hinc* ad aliud quoque responderi potest experimentum , quo visum est , ad occisoris aspectum cadaberis vulnera apperiri , atque ebullire. Ideo enim id contingere potest , quòd in ejusdem occisoris vestibus sanguinis aspersus hæreat , cujus spiritus ad corpus , unde emanarunt redire conentur , atque ita irrumpendo vulnera , & emortui hominis sanguinem commoveant,ejusque spiritus faciant ebullire. *Nec dicas* , quandoque visum esse , id contingere ad præsentiam occisoris , in cujus vestibus nullum sanguinis vestigium apparuit : Quia , & si non crassa sanguinis materia visu perceptibilis insit , supersunt spiritus subtilissimi;

(12) *V D. Thom. 2. de anim. lect. 22.*

ut remanet in viis per quas ambulant feræ, ferarum odor, quem canes facilè percipiunt. (13)

51 *Oppones* jam contra 2. reſolut. 1. Nulla cauſa operari poteſt, etiam divinitùs, extra ſuam ſphæram; alioquin operari poſſet in infinitam diſtantiam: Ergò. 2. Actio, ſeu cauſalitas nequit ſeparari ab effectu, cujus eſt modus; ſed etiam eſt modus cauſæ: Ergò. 3. Finis cauſare non poteſt, adhuc divinitùs, ſine approximatione intentionali, quæ fit prævia cognitione: Ergò neque cauſa efficiens ſine phyſica approximatione. 4. Deus nullo modo operari poteſt in loco à ſe diſtante: Ergò neque cauſa creata, adhuc virtute divina. 5. Cauſa nequit agere, quando non eſt: Ergò neque agere poteſt, ubi non exiſtit.

52 *Ad 1. reſp.* diſt. ant. Extra ſuam ſphæram intrinſecam, concedo; extrinſecam, nego. Sphæra intrinſeca eſt ratio formalis *ſubqua* ſuæ virtutis, ultra quam nulla cauſa extendi poteſt, niſi velut purum Dei inſtrumentum, ſola Dei virtute operans; atque ideo nec viſus ſonum, aut Angelum, nec auditus lucidum valet percipere: ſphæra extrinſeca eſt ſpatium illud, aut loci ambitus ultra quem cauſæ virtus naturaliter diffundi non poteſt; bene vero divinitùs. Neque inde operari poteſt in diſtantiam actu, & cathegorematicè infinitam, cum hæc repugnet; ſed ſolùm syncathegorematicè, & in potentia; quatenùs ad majorem, & majorem diſtantiam ſine fine per Dei elevationem operari poteſt.

53 *Ad 2. reſp.* actionem, ſeu cauſalitatem tranſeuntem eſſe modum effectùs inhæſivè; & egreſivè eſt modus cauſæ: ideo ſicut inhæſivè eſt ab effectu inſeparabilis quandiu durat, licet pereat, durante effectu; ita eſt inſeparabilis à cauſa egreſivè, quatenùs eſſentialiter petit egredi ab ipſa cauſa. *Ad 3.* nego conſeq. quia voluntas eſt potentia cæca impotens moveri à bono non prævie cognito; at verò

cauſa

(13) *V. alia apud P. Loſſad. ubi ſup. à num. 7.*

cauſæ efficiens non pendet à phyſico effectûs contactu ; ſed ſufficit virtutis approximatio. *Ad* 4. nego conſeq. quia Deus ratione immenſitatis eſt neceſſariò ubique præſens ; at ſimilis ratio nequit cauſis creatis effingi. *Ad* 5. dicimus ; cauſam, quæ virtualiter non eſt, operari non poſſe ; benè verò, quæ entitativè non eſt, ut patet in ſemine, mortuo generante : ita, quæ alicubi non eſt virtualiter, operari non poteſt ; poteſt autem, quæ ibi non eſt entitativè.

54 *INQVIRES* ultimò : Utrum exiſtentia cauſæ ſit indiſpenſabilis conditio ad cauſandum ? *Reſp.* 1. cauſam finalem non requirere phyſicam exiſtentiam, ſed ſolam intentionalem, ſive ſui cognitionem, ut patet, cum quis appetit finem non exiſtentem, ſed poſsibilem, aut futurum. *Reſp.* 2. cauſam efficientem, ut cauſet debere exiſtere, vel inſeipſa, vel ſaltem in ſua virtute : Quod enim nullo modo exiſtit, nihil eſt ; ac nihil operari poteſt, cum ad eſſe ſequatur operatio. At multories virtus cauſæ jam non exiſtentis producit effectum ; ut, ſi Petrus, poſt inflictam Paulo ſagittam, moriatur ante Pauli vulnerationem, dicitur vulnerationis cauſa ; quia illo mortuo, impulſus vulneravit Paulum.

55 Idem explicari ſolet in ſole, cujus virtus in terræ viſceribus conficit metalla : Idem quoque in generante, poſt cujus mortem, ſemen ab ipſo effuſum, tamquam virtus generantis, in matris utero prolem generat. Et ratio eſt : quia cauſa non tam entitate ſua, quàm ſua virtute operatur : Ergò cauſa entitativè non exiſtens, dummodò exiſtat virtualiter, ſeu exiſtat ejus virtus, cauſare poteſt. De cauſa materiali, & formali facilè intelligi poteſt, eas debere exiſtere eodem reali durationis, ſeu temporis inſtanti, quo cauſant, quia earum cauſalitas, aut dicit, aut committatur intrinſecam earumdem communicationem.

****

ARTI-

ARTICULUS III.

Utrum idem numero effectus valeat simul, aut divisivè à duplici causa procedere?

1 ETsi præsens difficultas de quocumque causarum genere, sivè de causis generis cujuscumque procedat, eam de efficiente solùm examinabimus: *Tum*; quia de causis intrinsecis id ipsum resolvimus, *lib. 1. quæst. 3 art. 3.* & de finali, idem quoque statuunt Theologi tract. de Beatitud. *Tum* etiam quia rationes nostræ, siquid possunt in causis efficientibus, equo jure suadent de causis cujuscumque generis; sed in primis certùm est, eumdem numero effectum posse à multiplici partiali causa produci, ut trahitur idem currus à pluribus equis: imò, & à multis quoque adæquatis diversi generis alia efficiente, finali alia; alia materiali, alia formali.

2 *Insuper* certum est, eumdem pariter effectum posse à multiplici causa adæquata ejusdem generis, sed ordinis diversi, procedere; cum hæ sub diversa formali ratione influant in effectum: itaque idem homo producitur à parente, ut causa particulari, & sub ratione hominis ab astris sub ratione corporis sublunaris, & sub ratione universalissima entis à Deo; à quo omnia quæcumque à causis creatis fiunt, sub ea quoque ratione producuntur. Est igitur quæstionis status: *Num* idem effectus numero produci possit à duplici causa totali ejusdem generis, & ordinis?

3 Sed duplici adhuc sensu id dubitari potest. *Primò* de causis divisivè, seu in actu primo: id est, an effectus, qui ab una causa, aut produci potest, aut productus est, si ab ea non producatur, aut non fuerit productus, possit, aut potuerit ab alia idem numero produci; v. gr. an filius, qui genitus fuit ab uno Patre, potuerit ab alio gigni; aut an filium eumdem quem Petrus generare potest, possit Paulus

quoque

quoque generare, casu quo à Petro non generetur. *Secundò* de causis simul, & in actu secundo influentibus; ideſt, utrum duæ causæ totales, non solum contineant sua virtute, ac quælibet ab alia divisim valeat eumdem effectum efficere, verùm simul etiam possint illum producere.

Prima Conclusio.

4 *DICIMUS* 1. Idem numero effectus nequit adhuc divinitùs à duplici, aut multiplici causa totali ejusdem generis, ejusdemque ordinis simùl provenire. Sic contra omnes ferè Jesuitas Scotistæ communiter, ac Thomistæ cum Div. Thom., afferente: (1) *Impossibile est, ut ejusdem effectus sint plures causæ secundùm idem.* Et alibi: (2) *Impossibile est, quòd duæ causæ completæ sint immediatè unius, & ejusdem rei, quòd patet in omni genere causarum.* Ac D. Thomam loqui de potentia Dei absoluta, ex eo patet, quòd eodem sensu negat, duas causas completas posse eumdem effectum producere, quo statuit duo corpora posse eumdem locum replere; ut patet ex *resp. ad* 3.

5 *PROB.* 1. conclusio, arque ostenditur repugnantia ex parte causarum: Si idem numero effectus à duplici simul causa totali, & adæquata produceretur, quælibet ex illis totalis esset, & adæquata, ut supponitur; & non esset adæquata, nec totalis; sed hoc manifestam ex terminis involvit contradictionem: Ergò. Prob. maj. quoad secundam partem in qua tota est difficultas: causa totalis in actu secundo est, quæ totum effectum, ita producit, ut nihil relinquat ab alia simul producibile; sed nulla ex prædictis causis ita produceret totum effectum: Ergò.

6 Prob. maj. Causa partialis in actu secundo illa est, quæ ita effectum producit, ut non totum, sed partem producat, partemque, relinquat, ab alia simul producibilem: Ergò pariter; nam hæc, & non alia excogitari potest inter

cau-

(1) 5. *Metaph. lect.* 2. (2) 1. *p. q.* 52. *art.* 3.

cauſam totalem, & partialem differentia. *Conf.* cauſa totalis nihil effectûs relinquit improductum : Ergò nihil permittit ſub eadem ratione ab alia produci. Prob. conſeq. ſi cauſa *A* totum producit effectum, nihilque omittit ſua produtione, effectus ſub ea ratione, qua producitur adæquatè à cauſa *A*, nihil participat à cauſa *B*: Ergò.

» 7 *Reſp.* Contrarii : (3) In eo caſu illas cauſas non eſſe totales totalitate negativa, & excluſionis ; ſed totalitate poſitiva, & ſufficientiæ ; quia non eſt de conceptu cauſæ totalis, quòd influat ſola, quòd ſit unica, quòd denique influxum omnem alienum excludat ; ſed ſolùm, quòd ejus actio independenter ob alterius actione ſufficiat ad effectum producendum. *Atque* hinc, licet una cauſa nihil relinquat improductum ; id ipſum, quòd illa producit, permittit, ab alia ſimul produci : ſicut ſubſiſtentia Verbi nihil relinquit in humana natura interminatum, viſio, & comprehenſio nihil in objecto relinquunt inviſum, & incomprehenſum; at relinquit ſubſiſtentia illa naturam ſimul per alias ſubſiſtentias divinas terminabilem ; viſio quoque, & comprehenſio objectum relinquunt viſibile adhuc, & comprehenſibile.

» 8 *Impug.* 1. ſolutio : Sufficientia actionis ad totum effectum producendum non conſtituit cauſam in actu ſecundò totalem : Ergò requiritur etiam totalitas excluſionis alterius cauſæ ejuſdem generis, & ordinis. *Prob. ant.* 1. Sufficientia actionis ſtare poteſt, quin cauſa ſit in actu ſecundò totalis : Ergò. Prob. ant. Poteſt cauſa actionem producere ex ſe ſufficientem ad totum effectum producendum, atque hanc ab extrinſeco impediri à totius effectûs productione, ut docet experientia : Ergò. *Prob.* 2. *illud ant.* Quando duo ignes concurrunt ad alius ignis productionem, quilibet concurrit actione de ſe ſufficienti ad totum effectum producendum ; ſed non concurrunt, ut cauſæ totales ; alioquin naturaliter, imò de facto nedum divinitùs, poſſent concurre-

re

(3) *P. Loſſ. tract. 2. diſt. 5. cap. 2. num. 11. & 12.*

re duæ causæ totales ad unius rei effectionem : Ergò.

9 *Impug.* 2. Licet actiones utriusque causæ simul ad eumdem effectum concurrentis ex se sint sufficientes ad totum effectum producendum, quælibet tamen actio, quatenùs hìc, & nunc simul cum alia concurrit, est insufficiens: Ergò. Prob. ant. Licet virtus cujusvis causæ sit ex se sufficiens ad duos effectus adæquatos producendos; quatenùs tamen hìc, & nunc influit adæquatè in unum, est insufficiens ad simul influendum in alium adæquatè : Ergò pariter Ant. meritò admittitur ab Adversariis; (4) quia alioquin posset causa simul, & semel producere aliquid ipsa, saltem extensivè, perfectius, imò æquo jure posset quid intensivè nobilius efficere.

10 Prob. conseq. Sicut virtus causæ adæquatur per unius effectus adæquati productionem, ita actio adæquata cum effectùs producibilitate; sed per te virtus causæ exercitè producentis effectum est insufficiens ad alium effectum adæquatum simul producendum : Ergò. *Nec dicas* : Quòd causa in unius effectùs adæquati productione totas vires impendit: *Nam* etiam effectus per unius actionis adæquatæ productionem, passivam producibilitatem adimplet. *Insuper* : Si causa, quia vires omnes, summumque connatum applicat in effectùs adæquati productione, producens simul alium effectum, ageret supra vires : *Cur* effectus, qui per actionem unam totus producitur, productus simul ab alia, non produceretur supra totam ejus capacitatem?

11 *Urg.* Repugnat, duplicem actionem ab eadem causa simul activè adæquari: Ergò etiam simul passivè adæquari ab eodem effectu. Conseq. tenet à paritate, ut suprà. Quod attinet ad exempla posita *num.* 7. facilis est disparitas : siquidem tres Divinæ subsistentiæ ratione identitatis cum Divina essentia, quam terminant, non se excludunt in terminando; visio etiam, & comprehensio sunt actiones purè speculativæ, quæ in objecto nihil efficiunt intrinsecum : faciant igitur

(4) *Pater Lossad. ubi supr. num.* 23.

Adversarii, ut utriusque causæ virtus, vel actio sit eadem in aliquo tertio, aut sint puræ speculativæ respectu productionis effectûs, & poterunt simul eumdem effectum producere.

12 *PROB.* 2. conclusio, & ostenditur repugnantia ex parte effectûs: Effectus simul productus à duplici causa adæquata simul dependeret adæquatè ab utraque, & à neutra dependeret adæquatè; sed hoc repugnat evidenter: Ergò. Maj. quoad primam partem, est certa: quia de ratione effectus, modo quo effectus est, est dependentia à sua causa. Quoad secundam prob. Effectus potens existere sine causæ influxu, non dependet adæquatè à tali causa; sed effectus ille valet existere, sine influxu cujusvis causæ divisivè: Ergò. Min. pat. Siquidem quavis deficiente, dummodò altera perseveret, persistit effectus.

13 *Resp.* Contrarii: (5) effectum ab utraque illa causa dependere determinatè dependentia causalitatis, quia verè ab utraque accipit esse; non tamen ab utraque dependere determinatè dependentia necessitatis, sivè indigentiæ, sed solùm indeterminatè, & vagè ab earum altera, quia non aliter iis causis indiget. *Sed* in primis, effectum illum ab utraque causa non posse dependere, dependentia causalitatis adæquatæ, ut prætendit solutio, ex dictis in prima probatione constat.

14 *Impug.* solutio: Implicat dependentia causalitatis adæquatæ, sine dependentia indigentiæ, & necessitatis: Ergò. *Prob. ant.* 1. Implicat dependentia causalitatis adæquatæ sine passiva effectûs potentialitate ad causandum; sed potentialitas est indigentia, & necessitas in ordine ad actum, cujus est potentialitas: Ergò. *Nunc sic*: Atqui effectus ab aliqua causa productus habet passivam capacitatem determinatam ad hoc, ut ab ea determinata causa producatur: Ergò, & habet determinatam necessitatem. *Adde*: si effectus à neutra

(5) *Pater Lossada ubi supr. num.* 7.

tra determinatè dependet, à nulla per se, licet ab utraque per accidens, dependet; aut nulla erit differentia inter dependentiam per se, & per accidens.

15 *Urg.* Effectus non dependet dependentia adæquatæ causalitatis ab ea causa, à qua non dependet dependentia necessitatis; sed per vos effectus ab utraque causa dependeret dependentia adæquatæ causalitatis: Ergò. Prob. maj. Effectus non dependet dependentia causalitatis adæquatæ, nisi à causa, à qua unicè dependet; sed ab ea causa, à qua unicè dependet, dependet dependentia necessitatis, ut clarum est: Ergò. Prob. maj. Effectus productus solùm dependet hic, & nunc dependentia causalitatis adæquatæ ab ea causa, à qua producitur, prout existit hìc, & nunc; sed solùm producitur, prout existens hìc, & nunc, ab ea causa, à qua unicè dependet: Ergò.

16 Maj. est certa: quia in effectu tanta est actualis dependentia causalitatis, quanta est virtus causans, cum ex hac oriatur causalitatis dependentia. Prob. min. Causa, à qua effectus non dependet unicè hìc, & nunc, non ponit effectum, prout hìc, & nunc existentem: Ergò. Ant. patet: Siquidem effectus, ab illa causa unicè hìc, & nunc non dependens, dependet simul ab alia; consequenter non ab illa, sed ab utraque ponitur, prout existens hìc, & nunc. *Nunc sic*: sed causa, à qua effectus non ponitur, prout existens hìc, & nunc, non terminat hìc, & nunc adæquatam effectus dependentiam causalitatis: Ergò in casu argumenti neutra independenter ab alia, sed utraque simul est adæquata; à nulla dependet effectus adæquata causalitate, nisi dependeat dependentia necessitatis.

17 *Si dicant*: (6) Effectum productum à duplici causa prout existentem reduplicativè duarum actionum vi, utraque causa indigere; nulla tamen determinatè secundùm se sumptum, seu quatenùs existentem hic, & nunc specificativè.

(6) *Pater Lossada, num.* 10. *in fine.*

Contrà : Effectus quatenùs exiſtens hic, & nunc ſpecificativè habet determinatam exiſtentiam ; ſed determinata exiſtentia connotat determinatam productionem, atque adeo cauſam quoque determinatam : Ergò indiget hic, & nunc cauſa determinata ; ſed per te non indiget utraque : Ergò altera ſolùm, & non altera.

18 *PROB.* 3. concluſio, ac oſtenditur repugnantia ex parte cauſalitatis : Duæ cauſæ totales, nequeunt eumdem effectum producere unica cauſalitate, ſivè actione, ſed neque valent duplici actione, ſeu cauſalitate : Ergò. Maj. eſt certa : quia cauſalitas agentis eſt ejuſdem virtutis explicatio, ac proindè duplicis virtutis nequit eſſe una cauſalitas adæquata. Prob. min. Duplex actio, eſt duplex fieri effectus, cum actio, & paſsio, adhuc juxta Contrarios, non diſtinguantur realiter ; ſed duplex *fieri* correſpondet duplici *facto eſſe* : Ergò. *Urg.* Ita comparatur *facere* ad agens, ſicut *fieri* ad effectum ; ſed repugnat ſimul duplex *facere* totale ejuſdem agentis : Ergò.

Secunda Concluſio.

19 *DICIMUS* 2. Repugnat eumdem numero effectum, adhuc divinitùs, à duplici cauſa totali adæquata ejuſdem generis, & ordinis, diviſivè, ſeu in actu primo produci : adeoque effectus ab hac cauſa productus, aut producibilis, etſi ab ipſa non producatur, à nulla alia produci poteſt. Id fieri poſſe naturaliter contendunt Scotiſtæ cum Jeſuitis : at noſtra concluſio communis eſt Thomiſtarum cum Div. Thoma, (7) aſſerente : *Impoſsibile eſt, eumdem filium naſci, ſivè ſit alius Pater, ſivè ſit alia mater : ſicut etiam non eſt idem numero ſigillum, ſivè ſit alia cera, ſivè aliud corpus ſigilli, ex cujus impreſsione cera ſigillatur.*

20 *PROB.* Concluſio : Implicat cauſam producere effectum, quem ſua virtute non continet ; nihil enim à cauſa produ-

(7) *Quodlib. 5. artic. 8.*

produci poteſt præter illud quod continet in ſua virtute; ſed una cauſa alterius effectum ſua virtute non continet eumdem numero: Ergò. Prob. min. Cauſa illum tantummodò continet effectum, qui ejus in virtute continetur; ſed idem numero effectus in virtute unius cauſæ contentus, non continetur in alia: Ergò. Prob. min. Effectus, prout contentus in una cauſa, eſt ejuſdem cauſæ virtus, ſeu activitas; ſed virtus unius cauſæ non eſt eadem numero virtus alterius, præſertim juxta Contrarios, qui cauſæ virtutem operativam cum cauſæ ſubſtantia ponunt identificatam: Ergò.

21 Min. patet: Nam virtus cujuſvis cauſæ eam continet in actu primo proximo ad cauſandum; ſupponimus autem, utramque cauſam in actu primoeſſe realiter diſtinctam. Prob. maj. Effectus ſolùm virtualiter in cauſa continetur; ſed effectus, prout virtualiter contentus in cauſa eſt ipſa cauſæ virtus, & activitas: Ergò. Min. patet à paritate de creatura poſſibili, quæ antequam producatur nihil eſt, *niſi fortè in mente creantis, ubi non eſt creatura, ſed creatrix eſſentia.* (8) *Nec dicas*: Unam cauſam non eamdem numero, ſed ſimilem, habere virtutem. *Nam* inde, non eoſdem nnmero, ſed ſimiles effectus valet producere.

22 *Conf.* Cauſa ſpecie diverſa non continet effectus ſpecificos alterius cauſæ, nam leo non continet effectus equi: Ergò una numero cauſa non continet effectus individuales alterius. Prob. conſeq. Ideo una cauſa ſpecie diverſa non continet effectus aliarum, quia ſpecifica cauſæ differentia cauſam determinat ad determinatos ſpecie effectus; ſed etiam individualis cauſæ differentia, limitat quodammodò cauſam, eamque ad determinatos individuales effectus determinat: Ergò. Patet min. quia ſic comparatur, proportione ſervata, individuatio ad gradum ſpecificum, ſicut differentia ſpecifica ad gradum genericum. *Urg.* Individuatio cauſæ ita cauſam determinat ut alterius actionem producere non valeat: Ergò à pari. *Reſp.*

(8) *D. Thom. q. 3. de pot. art. 5. V. Met. lib. 1. q. 3. art. 1.*

223 *Reſp.* 1. Contrarii: (9) Non requiri, ut duæ cauſæ valeant diviſivè eumdem numero effectum producere, quòd virtus unius cauſæ ſit virtus alterius; ſed ſufficere, ſi utriuſque virtutis eadem ſit activitatis ſphæra, ſub qua talis effectus contineatur; ſicut idem color eſt intra ſphæram cujuſvis potentiæ viſivæ: nec ſphæra activitatis eſt virtus cauſæ, ſed objectum virtutis, ſeu ratio *ſubqua* tendit potentia phyſica. *Sed* hæc ſolutio noſtrum argumentum minimè diſſolvit, ut conſideranti patebit: ſiquidem effectus cauſæ, nedùm intra virtutis ſphæram comprehendi debet, ſed intra cauſam quoque virtualiter contineri; effectus, ut virtualiter in cauſa contentus, nihil eſt aliud, quàm virtus cauſæ: Ergò, ſi cauſarum virtutes diſtinguuntur, effectus quoque virtualiter in ipſis contenti diſtingui debent.

224 Neque exemplum coloris, aut alterius objecti potentiæ purè intentionalis, & ſpeculativæ quidquam Contrariis prodeſſe poteſt: nam ea objecta non ſunt, ut effectus à ſuis cauſis, ſimpliciter producta, ſed ſpeculativè tantùm attacta, ſeu percepta: ideoque poſſunt, & diviſivè, & ſimul, nedum divinitùs, ſed naturaliter etiam, imò de facto contingit paſsim, à multis potentiis attingi. Numquid inferre indè licebit, eumdem effectum à multis cauſis totalibus naturaliter poſſe, & de facto produci?

225 *Secundò reſp.* (10) Differentiam ſpecificam diverſificare rationem genericam, & conſtituere eſſentiam ſimpliciter diverſam ab aliis ſpeciebus ſub eodem genere contentis; ideoque una cauſa ſpecifica nequit alterius effectus producere: Cæterùm differentia, inquiunt, individualis non diverſificat eſſentiam; ac proinde ſinit, eam habere in quolibet individuo virtutem ad omnes effectus ſpecie ſimiles. *Sed* rogo: Quare differentia ſpecifica diverſificat ſpecificè rationem genericam; at ratio individualis non diverſificat numericè indivi-

(9) *P. Loſſ. tract. 2. diſp. 5. cap. 1. num. 11.*
(10) *Pater Loſſad. ubi ſup. num. 12.*

dividualem? *Aut*, cur differentia ſpecifica conſtituat ſpeciem ita ab aliis diverſam, ut non contineat omnes effectus genericè ſimiles; aſt differentia individualis è contra reſpectu individui? Atque hinc paritas eſt inſoluta.

¶ 26 *Dicunt*, ejuſmodi argumentationem nimis probare: nam indè veroſimiliùs infertur, cauſam ratione differentiæ individualis coarctari ad unicum numero effectum; ſicut ratione differentiæ ſpecificæ ad unicum tantùm in ſpecie effectum determinatur. *Sed* minime gentium: quia differentia ſpecifica ita cauſam determinat ad determinatam ſpeciem, ut eam non relinquat virtualiter multiplicem ſpecificè; at individualis differentia ita cauſam ad certum determinat numerum, ut eam relinquat intra ſuam ſphæram, individualem numero multiplicem virtualiter. Et ſi hujus diſparitatis rationem exoptes, expecta parumper uſque ad *n.* 52. & 53.

SOLVUNTUR ARGUMENTA CONTRARIA.

27 ARGUES 1. contra 1. concluſionem: (11) Poteſt idem effectus contineri totaliter in duplici cauſa; v. gr. idem lumen in duplici ſole, ſi duplex exiſteret, vel idem calor aquæ in duplici igne; ſed aliundè non repugnat, utramque ſimul actione totali in eumdem numero effectum influere: Ergò. Maj. ſupponi debet, ut ſit huic locus quæſtioni. Prob. min. De conceptu actionis totalis ſolùm eſt ita ſufficere ad exiſtentiam effectûs, ut non indigeat alterius juvamine; in hoc enim diſcernitur ab actione partiali: atqui è una ſufficientia ex terminis non negat aliam, ut patet in viſu Petri ſufficienti ad videndum colorem *A*, ſed minimè excludente Pauli viſum, utique ſufficientem: Ergò.

28 *Conf.* Locus uno corpore totaliter occupatus poteſt divinitùs alio corpore ſimul occupari. *Item*: Poteſt juxta Thomiſtas, eadem humanitas per tres divinas ſubſiſtentias

utique

(11) *P. Loſſad. tract. 2. diſp. 5. cap. 2. à num. 2.*

utique totales, simul terminari: Ergò pariter idem numero effectus duas simul actiones totales terminare. *Urg.* Causa prima, & causa secunda diversis actionibus totalibus valent eumdem numero effectum producere: Ergò. *Si dicas:* Causas primam, & secundam concurrere ad eumdem effectum sub diversa ratione; illam sub ratione entis, istam sub ratione specifica talis entis.

29 *Contrà*: Nam, quidquid sit de ratione *sub qua*, actio causæ primæ se sola sufficit ad effectum in rerum natura ponendum: Ergò effectum eumdem, quem actione totali producit causa secunda, actione quoque totali simul efficit causa prima. *Urg.* iterùm: Sol, & leo veluti causæ totales leonem generant, quamvis sub diversa ratione; atqui sol sua virtute sola leonem generare non potest: Ergò ad rationem causæ totalis non requiritur adæquata effectus continentia.

30 *Ad arg.* neg. maj. cujus falsitas constat ex dictis pro secunda conclusione. Sed, quia non inde solùm oritur repugnantia simultatis duplicis causæ adæquatæ respectu ejusdem numero effectus; permissa maj. nego min. ad prob. neg. maj. quia ulterius requiritur totaliter in effectum influere; per quod, & discernitur à causa partiali, & excludit alterius causæ totalis concursum; quia sufficientia actionis stare potest cum causæ potentialitate in actu secundo, ut diximus *num.* 8. Neque est ad rem exemplum illud de potentia visiva, ut constat ex dictis *num.* 24.

31 *Ad conf.* resp. neg. ant. quoad utramque partem. Disparitas, quoad primam, est: quia duo corpora penetrata fiunt unum in ratione occupantis locum per extensionis localis attemperationem: cæterùm duæ causæ totales una fieri non possunt in ratione causantis, nisi, aut earum vires identificentur, aut temperentur actiones, quatenùs, vel essent una causa, vel duæ partiales tantùm. Disparitas quoad secundam, est: quia tres Divinæ subsistentiæ gaudent eadem infinita virtute absoluta, & æquali relativa terminandi, adeoque non se

exclu-

excludunt interminando: aſt duæ cauſæ totales habent diſtinctas virtutes, ac diverſis actionibus totalibus operantur, quarum ratione ſe mutuò excludunt in cauſando. (12)

32 *Ad urg.* reſp. veram eſſe ſolutionem ibi datam; quia ſub diverſa ratione non inconvenit, plures cauſas totales eumdem effectum producere: neque de his eſt dubium quippè diverſi ordinis. *Ad* contrariam impugnationem, totum concedimus, cum in diverſo ordine, ſubque diverſa ratione id ſine repugnantia contingere valeat: nam indè ſolùm ſequitur, actionem Dei eſſe totalem, & non eſſe totalem in diverſo ordine, ſub diverſa ratione; non ſub eiſdem, ut infertur evidenter in caſu quæſtionis. En quàm debile ſit munimentum contrariis exemplum hoccine, ut noſtra diluant argumenta. De cæterò, Deus ſolus valet eumdem effectum; nam continet eminenter, & virtutem, & actionem creaturæ.

33 *Neque* indè inferas, ſolùm Deum poſſe producere quamvis actionem creatam: *Nam* vitalem producere non poteſt; quia hæc eſſentialiter petit oriri à potentia vitali ea ipſa actione vivente, cum actio vitalis vita ſit, quæ eſt *Motus ab intrinſeco*; aſt Deus vita creata vivere non poteſt. *Ad alteram urg.* diſt. conſ. Non requiritur adæquata continentia ſub omni ratione, concedo; ſub aliqua ſaltem, nego. Sol nequit ſe ſolo producere leonem, quia ſolùm continet totum leonem ſub ratione corporis, ſub qua ſola à parte rei exiſtere non poteſt. Cæterùm, ſi ſemel ponatur ab alio leone ſub ratione particulari; à ſole cauſatur adæquatè ex parte rationis *quæ*, licet ſub ratione corporis. Atque hinc patet diſparitas, inter cauſas ſuperiores creatas, ac Deum ſub omni ratione effectus creatos continentem.

34 *ARGUES* 2. Si duo corpora luminoſa eidem ſpatio applicentur, eamdem numero producunt illuminationem: Ergò. *Si dicas*: Ea lumina concurrere, velut cauſas partiales

(12) *V. lib. 1. quæſt. 3. art. 3. n. 46. & 47.*

les illuminationis, ut octo, quam velut una totalis efficiunt. *Contrà*: Nam applicari possunt spatio solùm capaci illuminationis, ut quatuor: in quo casu non producent illuminationem, ut octo: Ergò producunt illuminationem, ut quatuor, veluti causæ totales. Prob. conseq. Utrumque lumen spatium illuminat quantùm potest, sed utrumquè totaliter, & adæquatè spatium potest illuminare: Ergò.

35 *Si dicas* iterùm: illa duo lumina eidem spatio æquè applicari non posse, cum sint necessariò in diversis locis, à quibus omnes illuminabilis spatii partes æquè distare non possunt. *Contrà*: Potest Deus utrumque luminosum corpus penetrare; sed tunc casus æquè ab omnibus spatii partibus distarent eamdem, quam anteà virtutem illuminativam continens: Ergò. *Si adhuc* reponas: Utrumque luminosum corpus tunc casùs suum influxum temperaturum, ut solùm partialiter concurrat. *Contrà* 1. Quia nulla est causa ejusmodi attemperationis. *Contrà* 2. Quia causa naturalis, qualia sunt illa lumina, agit quantùm potest: Ergò hæc sunt incapacia illiusmodi attemperationis.

36 *Urg.* Duo, aut plures Sacerdotes possunt, simul, & eamdem hostiam consecrantes, idem conficere Sacramentum, ut contingit defacto in ordinum celebratione: Ergò. *Ad arg. resp.* approbando solutiones datas inter arguendum: quia, si duo lumina, ut quatuor spatio capaci applicentur, producunt illuminationem, ut octo, ut oculari experientia notum est; si autem supponas, ea applicari spatio solùm capaci illuminationis, ut quatuor, attemperant utique suam ipsorum virtutem, & quodlibet producit partialiter illuminationem, ut quatuor: Sicut duo homines, lapidem à quolibet seorsim portabilem ferentes, suas attemperant vires, & actiones, ut partialiter concurrant.

37 *Ad 1. inst.* in ultimo argumenti positam resp. causam materialem illius attemperationis esse passi incapacitatem, ratione cujus, licet illa lumina, quippè naturalia

agen-

agentia, quantùm possunt operentur, in utriusque concursu nequeunt plùs, quàm partialiter ad spatii illuminationem concurrere: atque hinc causa efficiens attemperationis est ipsa causarum natura, earum virtutem, & actionem attemperans, juxta passi capacitatem; non autem mutua causarum resistentia, aut oppositio. Unde patet solutio ad 2. *instantiam*; quia causa naturalis, attenta sua natura, agit quantùm potest; ast ideo in nostro casu attemperantur, quia nequeunt totaliter influere, quare, attentà præcisè naturali activitate, attemperationi resistunt; sed supposita passi incapacitate, naturaliter attemperantur.

38 *Instabis* 1. Illuminatio intensa, ut quatuor, nequit à duplici luminoso solùm partialiter concurrente, provenire: Ergò. Prob. ant. Illuminatio intensa, ut quatuor nequit procedere, à duplici causa, quarum quælibet illuminet, ut duo: Ergò. Prob. ant. Duæ causæ, quarum quælibet illuminet, ut duo, producunt duas illuminationes, ut duo; sed duæ illuminationes, ut duo, non faciunt unam intensam, ut quatuor, cum non intendatur qualitas per additionem gradus ad gradum, ut diximus in Metaphysica: (13) Ergò. *Secundò*: Duæ formæ substantiales, neque ex materiæ incapacitate attemperari possunt ad informandum eamdem numero materiam: Ergò.

39 *Ad* 1. *inst.* resp. distin. 1. ant. A duplici luminoso concurrente partialiter partialitate effectûs, concedo antec. partialitate causarum, nego ant. Sicut enim duo equi, eumdem simùl currum vehentes, non concurrunt partialiter partialitate effectûs, ita ut partim ab uno, partim ab alio trahatur, sed totus ab utroque partialiter concurrente, seu influente: ita duo lumina idem spatium illuminantia non duas partiales illuminationes, seu luces producunt, sed unam ita intensam, qualiter utriusque activitate respondet. (14)

(13) *Lib. 2. quæst. 5. artic. 2.*

(14) *V. Coll. D. Thom. quæst. 13. art. 1. num. 20.*

40 Pro cujus intelligentia duo nota : *Primum est*: Duas causas partiales concurrere posse partialiter partialitate effectûs, cum iste partibus constat, quamvis non sit facilè assignari, quid uni, quid alteri respondeat : Cæterùm, cum effectus non constat partibus, solùm concurrunt partialiter partialitate causæ. *Secundum est* : quòd, cum lumen aliquod est in cubiculo ; non ita cubiculum illuminat, ut vi corpusculorum, aut aeris particularum volitantium umbræ multæ non causentur, & misceantur : at verò, dum lumen aliud adintrat, & lucem priorem intendit, & suam ad illas umbras dissipandas, extendit; quatenùs primum præstat, solùm addit novum perfectioris radicationis modum ; quatenùs agit secundum, lucem producit in iis subjectis, quæ lucem non habebant.

41 *Sed* quia in casu argumenti supponimus spatium tantum illuminari, quantum capax est ; utrumque corpus luminosum producit partialiter influendo, totum effectum, quippè indivisibilem in eadem parte subjecti, licet divisibilem penes diversas partes illius. At, si ponas lumina indistinctis cubiculi partibus, aut spatii ; quodlibet producit partem totalis illuminationis, circa diversas partes subjecti licet mutuò juventur ad perfectiorem illuminationem. *Ad 2. inst.* nego conseq. Quia forma causat per suæ entitatis communicationem ; ideoque, aut se totam, aut nihil sui communicat : Cæterùm causa efficiens causat per actionem à se distinctam, & virtutem superadditam, quibus temperari potest, aut ratione sui, aut ex passi incapacitate.

42 *Ad urg.* positam *num.* 36. resp. disting. ant. Idem conficiunt Sacramentum, tamquam causæ principales, neg. ant. tamquàm causæ instrumentales *subdist.* partiales, concedo ant. totales, nego ant. & conseq. Sacerdos itaque est solùm causa instrumentalis Sacramenti, operans virtute Christi Domini, qui Sacramentorum est principalis causa: Quamvis autem quilibet Sacerdos sit instrumentum adæquatum in

actu

actu primo, adeòque valeat Sacramentum adæquatè conficere, si ab aliis divisim consecrat; cum autem plures ad idem Sacramentum concurrunt, fiunt unicum instrumentum adæquatum per unicam motionem, ac, si mavis, per virtutis attemperationem, factam à Christo Domino. (15)

43 *Dices*: Ergò saltem quando duo Sacerdotes divisim consecrant, eumdem effectum producunt, ut causæ totales. Prob. conseq. In eo casu uterque ponit idem numero Christi Corpus sub speciebus Sacramentalibus: Ergò. *Resp.* dist. ant. probationis: Idem corpus Christi entitativè, & materialiter, concedo ant. idem formaliter, & in esse termini consecrationis, nego ant. & conseq. Effectus enim consecrationis non est corpus Christi absolutè, & entitativè sumptum, sed quatenùs est terminus conversionis determinatæ substantiæ panis, & prout subest determinatæ præsentiæ Sacramentali, determinatisque speciebus: At corpus Christi, quatenùs terminus conversionis unius substantiæ, prout subest huic præsentiæ, atque his speciebus, realiter distinguitur à seipso, quatenùs est alius conversionis terminus, aliisque subest speciebus.

44 *Instab.* Quando unus Sacerdos plures consecrat hostias, ponit Corpus Christi sub diversis speciebus, diversisque præsentiis; sed terminus consecrationis est unicus: Ergò unitas, aut diversitas specierum, ac præsentiarum nihil obest, quòminùs sit idem consecrationis terminus. *Resp.* dist. maj. Sub diversis, diversitate purè materiali, concedo maj. diversitate formali, nego maj. Unitas, aut diversitas formalis præsentiæ, & specierum ex eo sumitur, quòd eamdem, aut diversam terminent actionem consecrativam. Cumque in casu argumenti plures illæ hostiæ eamdem terminent consecrationem; habent unitatem formalem in esse unius materiæ consecrationis: At non ita, cum plures hostiæ à multis Sacerdotibus consecrantur, ob oppositam rationem.

Pro

(15) *V. D. Thom. 3. p. quæst. 82. art. 2. ad 2.*

45 Pro aliis solvendis *adverte* 1. Idem objectum repræsentari posse per diversas species, aut cognitiones; quia species, & cognitio attingunt objecta purè speculativè, ut diximus *num.* 24. (16) *Adverte* 2. Idem quantitatis punctum adaquari posse ab altera parte sub ratione termini, ab altera sub ratione principii: at sub eadem ratione adæquaretur effectus, si ab eadem causa totali simul produceretur. *Adverte* 3. Animam rationalem esse totam sub qualibet corporis parte; sed non totaliter, & sub eadem ratione, & virtualitate. Aliorum solutio, aut ex hìc, aut alibi dictis, vel dicendis redditur facilis.

46 *ARGUES* 3. contra 2. conclusionem: Ignis *A* non solùm continetur in virtute ignis *B*, à quo producitur; sed etiam in virtute ignis *C*: Ergò est à quolibet divisivè producibilis. *Prob. ant.* 1. Ignis *B*, & ignis *C* sunt ejusdem, aut æqualis virtutis, & perfectionis: Ergò. *Prob.* 2. *idem ant.* Ignis *A* ex nullo conceptu specifico est determinatus, ut producatur, potiùs ab igne *B*, quàm ab igne *C*; sed aliunde neque ex propria individuatione: Ergò. Prob. min. Ignis *A* ex propria individuatione non magis est dissimilis ignibus in virtute ignis *C* contentis, quàm illis, qui in igne *B* continentur, ut omnes supponunt; sed, si esset determinatus ad producendum, potiùs ab igne *B*, quàm ab igne *C*, in hac determinatione esset in illis dissimilior: Ergò.

47 *Resp.* negando ant. *Ad* 1. *prob.* dist. ant. Sunt ejusdem, aut æqualis perfectionis specificæ, concedo ant. individualis, nego antec. & conseq. Quamvis enim duo ignes ejusdem, aut æqualis sint perfectionis specificæ ratione formæ; ast in quolibet igne perfectio illa per individualitatem, sicut determinatur ad hoc, ut una non sit altera, sic coarctatur, ut quos unus valet effectus producere, altera non possit, sed alios similes. *Ad* 2. *ant.* prob. nego min. ad prob. nego maj. Quia ignis *A* prout contentus in igne *B* assimila-

(16) *V. Lang.* 2. *Phys.* à *num.* 915.

milatur ignibus contentis in igne *C*; aſt ignibus contentis in igne *B* non aſsimilatur, ſed idem eſt cum ipſis; quia omnes effectus, prout in cauſa contenti, ſunt eadem virtus cauſæ.

48 *Cæterùm*, ſi ſumas ignem *A*, prout jam productum eſt ab igne *B*, & non ab igne *C*; ſic ſimilior eſt ignibus contentis in igne *B*, quàm contentis in igne *C*; non quidem in eſſe ignis, ſed in eſſe termini activitatis ignis *B*; cujus ſunt etiam termini, ſaltèm ſignatè, ignes in ipſo contenti; ſecus contenti in igne *C*. *Inſtab.* 1. Quia differentia ſpecifica determinat cauſam ad determinatam ſpeciem effectus, nequit, niſi unius tantùm ſpeciei effectus producere: Ergò, ſi individualis cauſæ differentia eam limitaret, quoad individualitatem effectùs, nequiret, niſi unum in individuo effectum producere: hoc eſt falſum: Ergò.

49 *Inſtab.* 2. Si limitatio individualis cauſæ eam determinaret ad certos effectus in individuo, etiam hic numero effectus per ſuam ipſius individuationem eſſet determinatus, ut producatur ab hac cauſa, & non ab alia; ſed hoc eſt falſum: Ergò. *Prob. min.* 1. Si hic numero effectus eſſet ita determinatus, non poſſet ab alia cauſa, adhuc à Deo ſolo, produci; ſed hoc eſt evidenter falſum: Ergò. *Prob.* 2. *ipſa min.* Effectus individuatio, juxta Thomiſtas oritur à materia; ſed à materia non accipit effectus ejuſmodi determinationem, cum materia poſsit effectus formam à quocumque agente recipere: Ergò.

50 *Prob.* 3. *illa min.* Activitas unius cauſæ non limitatur ad unicum effectum individuum; alias non poſſet plures producere, quod eſt manifeſtè falſum: Ergò, nec producibilitas unius effectus limitatur ad unicam cauſam in individuo. Tenet conſeq. quia nulla eſt ratio, cur magis limitari debeat producibilitas effectus, quam activitas cauſæ. *Urg.* id ipſum: Individua cauſa univoca non agit ſub ratione individuali reperta in effectu; alioquin non poſſet producere, niſi

nisi unicum individuum : Ergò agit sub ratione specifica, sub qua continentur effectus omnes ejusdem speciei : hos itaque omnes valet producere.

51 *Urg.* iterùm : Una individua materia non sibi determinat formam in individuo, ita, ut non possit per alias numero distinctas successivè, aut divisim informari, ut si lupus comedat lupum, & materia alimenti transeat ad habendam formam aliti ; neque una forma, ita sibi materiam determinat, ut impotens sit aliam numero distinctam informare materiam : Ergò, neque unicus effectus, ita sibi unicam causam determinat, ut non potuerit ab alia produci. *Adde*: lignum, quod ab igne *A* formam ignis accepit, potuit eamdem recipere ab igne *B*, si loco ignis *A*, ipsi applicaretur; alioquin ignis *B* tali ligno applicatus, illud non combureret, sed esset instar nivis.

52 *Ad* 1. *inst.* disting. causalem ant. Quia determinat causam, ut cumque, nego ant. quia determinat tàm formaliter, quàm virtualiter, concedo ant. & nego conseq. Differentia specifica non relinquit causam, nec formaliter, nec virtualiter multiplicem specificè : at verò differentia individualis causam relinquit multiplicem virtualiter numericè, seu relinquit virtutem illius in plures effectus numero multiplicabilem. *Ratio est* : Quia differentia specifica, utpotè desumpta à substantiali forma omnino invariabili, composito persistente ; omnem specificam, etiam virtualem excludit varietatem, & multiplicitatem: ideoque non relinquit causam virtualiter multiplicem specificè.

53 Cæterùm individuatio causæ ut talis sumitur à materia quantitate signata, atque diversas, easdemque variabiles conditiones individuales connotante ; quales sunt locus, tempus, inceptio, desitio, actio, &c. Ideoque licet hæc numero causa, prout individua in causando hoc in loco, eo tempore, hisque determinatis actione, inceptione, desitione, &c. non valeat nisi unicum effectum numero causare;

ea

ea tamen numero causa præcisivè ab his, aut illis præfatis conditionibus, sicut est indifferens ad has, aut alias conditiones connotandas ex his, quas sua virtute potest, neutiquam ad eas, quæ alterius causæ propriæ sunt; ita ad hunc, aut illum, aut alium numero effectum producendum, ex his tamen, quos sua continet virtute, non ad contentos in virtute alterius causæ. (17)

54 *Dices*: Si una causa esset virtualiter specificè multiplex, posset alterius causæ specificæ effectum producere: Ergò, si una causa numero est virtualiter numericè multiplex, poterit alterius causæ numero distinctæ effectus causare. *Sed* nego conseq. quia, si una causa esset multiplex virtualiter specificè, contineret in se formaliter, aut eminenter plurium causarum specie diversarum formas, cum ab his sumatur invariabiliter specificatio; ideoque posset earumdem proprios effectus producere: enim verò, hæc numero causa est virtualiter numericè multiplex ex virtute, qua potest in sua causalitate plures, & distinctas actiones efficere, distincta loca, & tempora connotare: at neutiquàm valet alterius causæ actionem assumere, à qua illius effectus in unitate numerica dependet.

55 *Ad 2. inst.* neg. min. *ad 1. prob.* nego maj. Deus enim, tamquam fons, & origo totius entis, quamlibet causam creatam, ejusque actionem, omnesque individuales conditiones continet eminenter, non formaliter, sed virtualiter; unde quoscumque secundarum causarum effectus potest se solo producere eosdem numero: id autem de nulla causa creata, quamvis perfectissima, verificari potest. *Si instas:* Ergò non ita, ut diximus, dependet hic numero effectus ab his numero causa, & actione creatis, cum possit à Deo actione increata produci. *Resp.* illum numero effectum specificativè pendere ab illis numero causa, & actione creatis, vel in se sumptis, vel in Deo præcontentis; aut reduplicativè,

(17) *V. Irrib. 2. Phys. quæst. 2. art. 4. arg. 2.*

vè, quatenùs effectus talis causæ, taliſque actionis ab his ita dependet, ut nec à Deo ſolo produci valeat, cùm nequeat Deus actione creata, quam ille reduplicat, operari.

56 *Ad* 2. ipſius min. prob. diſt. maj. A materia ſola, nego maj. Per determinatam quantitatem ſignata, determinatam agentis actionem, diſpoſitiones determinatas, atque determinatum tempus connotante, concedo maj. Effectus individuatio ſumitur ab hac materia vi hujus, & non alius actionis detetminata ad hanc potiùs, quàm ad aliam quantitatem: quomodò nequit effectus formam recipere, niſi ab illo agente, cujus eſt actio, qua determinatur, quamvis ſecundùm ſe ipſam ſit indifferens, ut à quocumque agente formam recipiat.

57 *Ad* 3. illius min. prob. nego conſeq. Quia phyſica illius effectus producibilitas eſt ipſa virtus cauſæ, objectivam, & metaphyſicam illius producibilitatem inferentis (18) &, cum virtus unius cauſæ non ſit virtus alterius, quamvis ſit virtualiter activè multiplex, ut dictum eſt; quam infert una cauſa producibilitatem effectus, altera non infert, ſed aliam numero diſtinctam: ideò, quamvis activitas cauſæ non ſit limitata ad unius effectus productionem, unius effectus producibilitas ab unica cauſa limitatur.

58 *Ad urg.* diſt. conſeq. Agit ſub ratione ſpecifica in ſua latitudine ſumpta, nego conſeq. Sub ratione ſpecifica per cauſæ individuationem determinata, & limitata, concedo conſeq. Sed ita non continet omnes effectus ejuſdem ſpeciei. Ratio itaque ſpecifica, ſub qua ignis, v. gr. operatur, ſecundùm ſe ſumpta continet omnes ignes: at verò ea ipſa ratio, prout contracta ad hunc numero ignem, ad certam individualem ſphæram determinatur; ſub qua, licet plures ignes contineat, quippè qui manet virtualiter multiplex numericè, ſed non omnes; aliàs, & ſe ipſam etiam contineret; imò nec unum continet ex his, quæ ſub individuali ſphæra alterius ignis comprehenduntur.

(18) *V. Met. lib. 1. q. 3. art. 2.*

Ad

59 *Ad alteram urg.* nego conseq. quia neque materiæ entitativè sumpta est effectus formæ, neque forma sic est effectus materiæ, sed solùm reduplicativè in esse informatæ, & receptæ : quare unica materia entitativè potest nunc una, nunc alia forma informari ; sed materia, prout informata priori forma, & quatenùs secunda forma informata, est numero distincta in esse informatæ : sic etiam intelligendum de forma multas materias informante successivè. Cæterùm effectus causæ efficientis est res ab ipsa producta secundùm suam entitatem absolutam. *Adde* : in casu argumenti novam materiam esse partialem, à qua ad causam efficientem totalem non valet paritas.

60 *Ad addit. num.* 51. resp. neg. assumptum, cujus probatio nihil convincit : nam, ut ignis *B* lignum comburat, & non sit instar nivis, sufficit, si ligno ignis formam communicet, quamvis numero distinctam ab ea, quam ignis *A* communicat, aut potest communicare. *Replic.* Ignis *B* potest conservare formam productam ab igne *A* ; sed conservatio est continuata productio : Ergò. *Resp.* dist. maj. Potest conservare positivè, dando esse formæ productæ, nego maj. Negativè, tamquam removens prohibens, idest removendo, sivè auferendo extrinseca impedimenta illius conservationi inimica, ut sunt frigus, humiditas, &c. concedo. At prima, non secunda conservatio, est continuata productio.

61 *ARGUES* 4. multipliciter. *Primo* : Possunt duæ causæ univocæ simùl, veluti causæ attemperatæ, producere eumdem numero effectum, ut duo ignes tertium ignem; sed hic effectus est à quavis ex illis seorsim producibilis; nam de facto illum non producit ex solo alterius concursu, non ex defectu virtutis : Ergò. *Secundò* : Idem filius ab uno parente natus, potuit ab alio nasci ; quod patet 1. in Christo Domino, qui singulari beneficio ex Beata Maria Virg. nasci voluit, cum potuisset ex alia Matre nasci. 2. in B. Barbara, quæ nata fuisset, etiam Adamo non peccante, quin

natus fuisset ejus pater Dioscorus; nam in eo casu solùm prædestinati, qualis fuit S. Barbara, non reprobi, ut Dioscorus, nascerentur.

62 *Tertiò*: Idem corpus Christi, prout ex hoc numero pane, quatenùs est terminus adæquatus conversionis factæ à Petro, potuit esse terminus adæquatus conversionis à Paulo factæ, si Paulus, ut potuit, eumdem numero panem consecrasset. *Quartò*: Idem habitus Logicæ productus per unam demonstrationem, potuit per aliam produci: Ergò. *Adde*: D. Thom. (19) ideo negare extensionem unius causæ ad totam speciem, quia posset alioquin producere semetipsam: Ergò potest alia præter se ipsam.

63 *Ad primum*, nego min. Causæ enim partiales, non partialitate virtutis, & sufficientiæ, sed influxus, seu concursus, quales sunt duo ignes tertium ignem producentes, licet contineant plures effectus totales, æqualesque in perfectione; neutra verò continet hunc numero ab utraque simul productum, cum nulla contineat utramque actionem inadæquatam, quibus producitur, & à quibus in esse talis numero dependet. *Ad secundum* negatur assumptum. *Ad* ejus 1. prob. dicimus, eumdem Christum quoad suppositum potuisse ex alia matre nasci, secùs quoad naturam humanam eamdem numero; sed quod assumpserit hanc numero humanitatem ex Beata Maria Virg. & non aliam ex alia matre, ut potuit, fuit singulare erga Beatam Mariam Virginbeneficium.

64 *Ad 2. prob.* dicimus, quòd, si Adam non peccasset, soli prædestinati nati fuissent, non quia solùm nascerentur hi, qui de facto fuerunt prædestinati, sed quia in ea providentia omnes nascituri fuissent ab æterno prædestinati; Unde, vel non fuisset nata S. Barbara, vel nasceretur etiam Dioscorus; non quidem reprobus, ut de facto, sed prædestinatus. (20) *Ad tertium* constat solutio ex dictis *num.* 43.

Nam

(19) 1. *p. q.* 45. *ar.* 5. *ad* 1. (20) *V. D. Thom. quodlib.* 5. *ar.* 8.

Nam in eo casu terminus consecrationis unius, & terminus alterius esset idem materialiter; sed formaliter diversus, ob diversam numero conversionem.

65 Ad quartum, dist. ant. Idem specie, concedo ant. idem numero, nego ant. Solutio constat ex dictis in Logica. (21) Ad addit. nego conseq. Intentum enim Ang. Doctoris est, cujuscumque causæ univocæ virtutem intra eamdem speciem adeo limitari, ut omnia illius individua nequeat producere; aliàs (inquit) posset seipsam, quippè sub eadem specie contentam, producere: atque pari ratione excipi debent ea individua, quæ sub alterius causæ virtute continentur: unde illud exemplum adducitur à D. Thom. non ut adæquatum, sed ut inadæquatum inconveniens ex opposita sententia consurgens.

QUÆSTIO II.

DE CAVSIS IN PARTICVLARI.

ARTICULUS I.

De Causa Efficiente principali.

1 QUoniam Efficientis Causæ naturam, divisiones, causalitatem, atque creatas causas verè, & propriè effectivas esse, suprà (1) dedimus; nunc de virtute, qua suos producit effectus causa efficiens creata, disputamus: an videlicet substantia creata se ipsa, aut virtute secum realiter identificata

(21) *V. lib.* 1. *Log. quæst.* 1. *art.* 6. *num.* 63.

(1) *In hoc lib. quæst.* 1. *art.* 1. *à num.* 13. 27. 36.

cata operetur ; an potiùs virtute accidentali ipsi realiter superaddita ? *Et supponimus*, duplex in primis distinguendum esse operationis principium, *quod*, & *quo*. Principium *quod*, est illud, cui præcipuè tribuitur operantis denominatio, scilicet suppositum. Principium *quo* est illud, ratione cujus principium *quod* operatur.

2 Sed principium *quo* adhuc est duplex, scilicet proximum, & formale, quo immediatè elicitur actio ; & radicale, seu remotum, quod non immediatè, & proximè, sed radicaliter, & remotè influit in actionem. Itaque intellectionis principium *quod* est homo, principium *quo* radicale est anima, & principium *quo* formale, seu proximum *est* intellectus. *Inquirimus* ergò : utrum substantia creata sit ex se ipsa immediatè, & proximè operativa, tùm alterius substantiæ, tùm accidentis : non ita, ut sit ipsa actio, cùm id ex alibi dictis repugnet ; sed ita, ut nedum sit radicale, sed proximum etiam, & formale principium operationis?

Nostra Conclusio.

3 *DICIMUS* : Substantia creata non est ex se ipsa immediatè, & proximè operativa ; sed suam semper actionem elicit medio accidenti ipsi realiter superaddito. Ita contrà Scotistas, & Jesuitas Thomistæ omnes sequuti Doctorem Ang. (2) asserentem : *Deus solus est, qui non agit per potentiam mediam differentem à sua substantia : in omnibus autem aliis operatio est accidens ; & ideo oportet, quòd proximum principium operationis sit accidens :: Videmus in corporibus, quòd forma substantialis ignis nullam operationem habet, nisi mediantibus qualitatibus activis, & passivis, quæ sunt quasi virtutes, & potentia ipsius : similiter dico, quòd ab anima, cum sit substantia, nulla operatio egreditur, nisi mediante potentia, &c.*

4 Et alibi (3) docet : *Quòd nec in Angelo, nec in aliqua creа-*

(2) *In 1. dist. 3. artic. 3.*

(3) *1. p. quæst. 54. art. 3.*

creatura virtus, vel potentia operativa est idem, quod sua essentia. Id ipsum apertè docet plurimis in locis, ut ex nostris rationibus videri potest. *Sunt, qui velint* (inquit P. Peynado (4) doctissimus Jesuita) *D. Thomam ita explicare, ut eum trahant in nostram sententiam: sed illius mens clarior est, quàm, quæ interpretationem patiatur.*

5 *PROB.* 1. Conclusio ratione D. Thomæ: (5) Potentia immediatè, & proximè operativa ab operatione, saltem extrinsecè, specificatur; sed nequit substantia ab accidenti, qualis est operatio, adhuc extrinsecè, specificari: Ergò. Maj. patet; omnis enim potentia ad actum per se, & proximè ordinata, ab illo specificatur, ut mille patet exemplis. Prob. min. Aliquid extrinsecè ab alio specificari, est habere intrinsecam perfectionem juxtà mensuram illius; est, inquam, per se primò ordinari ad illud, ut patet in omnibus potentiis, & habitibus per se primò ordinatis ad sua objecta, juxtà quorum perfectionem mensurantur; atqui substantiæ utrumque repugnat: Ergò.

6 Min. quoad 1. part. prob. Substantia est intrinsecè perfectior accidenti: Ergò non habet intrinsecam perfectionem juxtà naturam accidentis; neque accidens, quippè imperfectius, substantiæ perfectionem mensurare potest: Ergò. *Prob.* eadem min. quoad 2. partem. 1. quia substantia est ens absolutum per se, & ad se existens. 2. Quia substantia non est per se primò instituta ad operandum; sed potiùs, ut existat. 3. Quia, quod per se primò ad aliud ordinatur, ad illud, veluti medium ad finem, comparatur; adeoque est illo imperfectius. 4. Quia potentia per se primò ad actum ordinata, non est in sua linea completa, ut est substantia: Ergò.

7 *Resp.* 1. Contrarii: (6) Substantiam sub primario substantiæ

(4) 2. *Phys. dub.* 6. *sect.* 1. §. 3 *num.* 29.
(5) 1 *p. quæst.* 77. *art.* 3. & *quæst.* 59. *art.* 2.
(6) *Ex P. Loss. tract.* 2. *disp.* 6. *cap.* 2. *num.* 4.

ſtantiæ conceptu ſpecificari non poſſe ab operatione, neque ad illam ordinari; poſſe autem ſub conceptu operativæ, ſeu quatenùs operativam: ſicut ſubſtantia, quatenùs potentia paſsiva, ſeu receptiva, ad paſsionem, ſive receptionem ordinari poteſt. *Sic arg.* Quod ab alio re ipſa ſpecificatur, atque ad illud realiter per ſe primò ordinatur, realiter ab eo diſtinguitur, quod ab alio non ſpecificatur, neque ad ipſum realiter ordinatur; ſed, per te, ſubſtantia, ut talis, ad operationem realiter non ordinatur, neque ab illa re ipſa ſpecificatur, benè verò quatenùs proximè operativa eſt: Ergò potentia proximè operativa realiter diſtinguitur à ſubſtantia.

18 *Reſp.* 2. (7) Potentiam operativam ordinari ad operationem, non tamquàm ad finem, ſed tamquam ad medium; finis enim non eſt actio, ſed effectus: atque hinc non ab actione, ſed ab effectu ſpecificari debet. *Contrà* 1. Licet effectus ſit finis *qui*, adeoque eſſe poſsit extrinſecum potentiæ ſpecificativum *quod*; operatio eſſe debet finis *quo*, & immediatus, ac inſuper ſpecificativum *quo* ejuſdem potentiæ: Ergò. Prob. ant. Forma, qua ſpecificativum *quod* conſtituitur in eſſe talis, eſt ſpecificativum *quo* ejuſdem potentiæ; ſed effectus in eſſe effectus, quatenùs, & non aliter, eſſe poteſt finis, & ſpecificativum potentiæ effectivæ, conſtituitur per effectionem paſsivè ſumptam, ut clarum eſt: Ergò.

19 Maj. patet: Nam, quia lucidum coloratum eſt ſpecificativum *quod* potentiæ viſivæ; ejuſdem ſpecificativum *quo* eſt lux, qua lucidum illud quatenùs tale conſtituitur. *Contrà* 2. Quamvis omnium potentiarum actus ſint medii ad attingenda objecta; potentiæ immediatè ſpecificantur ab actibus, & mediis actibus ab objectis; atque id ipſum de habitibus communiter dici ſolet: Ergò pariter. *Contrà* 3. Quia ſubſtantia, cum ſit ens per ſe, & propter ſe, à quocumque extrin-

(7) *P. Loſſada ubi ſupr. num.* 6.

extrinſeco, ſive ſubſtantiali, ſive accidentali ſpecificari repugnat: Ergò.

¶ 10 *Reſp.* 3. (8) Operationem eſſe ſpecificativum extrinſecum, & arguitivum, quatenùs ex operationum indole potentiarum dignoſcimus perfectionem; nec potentiarum dumtaxat, ſed etiam ſuppoſitorum: atque hoc ſenſu nihil prohibet, ſubſtantiam ſpecificari ab operatione accidentali, maximè, quando hæc eſt via ad ſubſtantialem effectum. Sic ut non inconvenit, ſubſtantiam, cum ſit potentia immediatè paſsiva, à paſsione ſpecificari; cum ſit potentia radicaliter operativa, ſpecificari à ſuo radicato; Logica denique, cum ſit ens reale, ab ente rationis, quod eſt objectum illius, apud Thomiſtas, ſpecificatur.

¶ 11 *Et*, ſi iterùm reponas, ſubſtantiam eſſe ens omninò abſolutum propter ſe, & non propter operationem, aut ea omnia, quæ *num.* 6. poſuimus, & quæ ſolutio minimè diſſolvit. *Reſpondent*, (9) ſubſtantiam eſſe propter ſe, quatenùs non eſt propter aliud ſuppoſitum adæquatè diſtinctum intrinſecè afficiendum: de cætero autem eſſe aliquomodò propter ſuam operationem; quia *unumquodque eſt propter ſuam operationem*, ut fert commune proloquium.

¶ 12 *Sed* in primis, exempla illa, quibus ſe fortiter munitos exiſtimant Adverſarii, tum, ut noſtra diluant argumenta, tùm etiam, ut majus ſua robur accipiant, eis favere non poſſunt. *Primò*: quia potentia paſsiva, quale eſt ſubjectum reſpectu accidentis, non eſt per ſe primò ordinata ad paſsionem, ſicut non eſt ſubjectum per ſe primò ordinatum ad accidentia; ſed ſolum ſecundariò, & per accidens: Cæterùm, cum natura operationem per ſe primò intendat; intendit utique potentiam immediatè operativam per ſe primò propter operationem, tamquàm medium ad ſuum finem ordinatum.

(8) *Pater Loſſada ubi ſupr. num.* 6.
(9) *Idem ibidem, num.* 6.

13 *Sed* cur, inquies, non intendit natura eodem modo passionem, ad quam per se primò potentiam passivam ordinet? *Resp.* Quia passio est quid consequutum, quasi per resultantiam, ex operatione; & ea, quæ ex aliis resultant, non per se primò, sed per accidens, aut ad summum, per se secundò intenduntur ab agente naturali. *Adverte*, passim ab Adversariis falsò supponi, materiam primam, utpotè passivam formæ potentiam, immediatè recipere passionem; cum potiùs in toto compositio ex materia, & forma, sicut cætera accidentia, recipiatur.

14 *Secundò* non prodest Adversariis exemplum de potentia radicaliter operativa, qualis est substantia: Nam hæc non ordinatur per se primò, & proximè ad operationem, cum non propter operationem, sed propter existentiam sit primò instituta; sed solùm remotè: atque ideo, licet ad operationem ordinetur, non primariò, ut potentia proximè operativa, sed secundariò ordinatur. *Nec demùm* valet exemplum de Logica; quæ, cum accidens sit, ab extrinseco, etsi entitativè imperfectiori, specificari potest; præsertim cum ab alio nobiliori nequeat specificari. *Deinde*: quia logicum rationis artificium, tametsi Logica sit imperfectius in esse entis; secùs autem in esse scibilis, cum non minor, quàm Logicæ perfectio, sufficiat ad illius scibilitatem attingendam. (10)

15 Atque hinc validè contra solutionem reponi possunt rationes illæ, quibus *num.* 6. probavimus, substantiam per se primò ad operationem ordinari non posse, neque ab illa, adhuc extrinsecè, specificari. Et, quamvis substantia sit secundariò propter suam operationem, est primariò, ut sit, seu ut existat; cum non intendatur primariò à natura, ut operetur, sed ut existat: Contrà verò potentia proximè operativa. Sensus igitur illius probervii: *Unumquodque est propter suam operationem*, est, unumquodque esse, aut primario,

(10) *V. Log. lib. 3. quæst. 3. art. 3. num. 54.*

rio, aut secundariò propter suam operationem. (11)

¶ 16 *Impug.* deinde solut. posita *num.* 10. Operatio est specificativum extrinsecum potentiæ proximè operativæ, nedùm per modum signi, quo extrinsecam potentiæ perfectionem agnoscimus, sed etiam per modum finis, aut veræ causæ motivæ, qua illa potentia est in rerum natura posita; sed hoc modo repugnat, substantiam ab operatione specificari: Ergò. Min. patet; alioquin substantia esset in rerum natura operationis gratia, ad eamque sua natura ordinaretur, tamquàm medium ad finem; quod repugnat, nisi velis, perfectius ad imperfectius, tamquàm ad finem natura sua ordinari.

¶ 17 Prob. maj. Potentia proximè operativa est per se primò posita in rerum natura propter operationem: Ergò. Prob. ant. Qui finem intendit per se primò, intendit media per se primò ordinata ad eumdem finem; sed natura per se primò intendit operationem, qualis est generatio substantialis, cum intendat per se primò specierum conservationem, media generatione: Ergò. *Si dicant*, eam intendi propter effectum, non propter operationem. *Obstant*, quæ diximus *num.* 8. *&* 9. *Deinde*: Quamvis operatio non sit finis ultimus potentiæ proximè operativæ, erit finis non ultimus, seu intermedius; quod pariter æqua ratione repugnat.

¶ 18 *Urg.* Nisi natura per se primò intenderet rerum generationes, nullam, aut omninò superfluam statuisset in rebus potentiam generativam; ideò enim datur similis potentia in homine, non in Angelo; datur in igne, minimè in Cœlo, quia hominis, igniſque generationem natura intendit, sed non Cœli, & Angeli: Ergò ideò præcisè est potentia proximè generativa, ut existat rerum generatio; vel, si mavis, ut novæ substantiæ generentur: Ergò est præcisè propter rerum generationem, aut propter res ipsas, prout generandas. At non ita substantia, ob suam perfectionem: Ergò.

(11) *Aliter Froy. hìc, quæst. 3. art. 2. §. 9.*

19 *Urg. amplius* : Quamvis potentia proximè operativa ad operationem , tamquàm ad medium , tamquàm ad finem verò , ad ſubſtantiam producendam ordinetur , atque ab hac ſpecificetur ; nequit ea eſſe ſubſtantia : Ergò. Prob. ant. Eo ipſo debet illa potentia eſſe imperfectior ſubſtantia producenda : Ergò. Prob.ant. Quod eſt à natura inſtitutum, atque ordinatum propter ſubſtantiam producendam,ad hanc comparatur , ut medium ad finem *cujus gratia* naturaliter ordinatum ; ſed medium , quatenùs tale , debet eſſe fine *cujus gratia* imperfectius ; alioquin inordinatè natura procederet : Ergò.

20 *PROB.* 2. Concluſio: (12) Potentiæ per ſe primò reſpicientes actus diſtinctæ lineæ , & adæquatè diverſos, realiter diſtinguuntur ; ſed ſubſtantia, & potentia proximè operativa ita ſe habent : Ergò. Maj. patet in intellectu , & voluntate reſpectu animæ , & in calore , & levitate reſpectu ignis , &c. Prob. min. Subſtantia reſpicit ex ſe actum exiſtendi , ſeu exiſtentiam , à ſe quidem realiter (ab hoc enim præſcindimus in præſenti) diſtinctam , aut ſecum realiter identificatam , at potentia proximè operativa reſpicit operationem ; ſed ſubſtantialis exiſtentia , & operatio ſunt actus diſtinctæ lineæ , & adæquatè diverſi ; cum illa ſit de linea ſubſtantiali , hæc de linea accidentali ; neque ſub eadem ratione attinguntur , ſed ſub diverſa: Ergò.

21 *Reſp.* Contrarii: (13) Duos actus , quamtumvis valdè diverſos , poſſe ab eadem potentia reſpici ; ut patet in potentia radicali , quæ reſpicit exiſtentiam , & proprietatum dimanationem ; in potentia paſſiva ſubjecti reſpiciente paſſionem , & exiſtentiam : & maximè in eſſentia accidentis reſpicientis etiam exiſtentiam , & operationem. *At*, ſi hæc ſolutio vera eſt , nulla erit potentiarum diverſitas , nulla habituum differentia , quamtumvis diverſos actus , diverſaque

(12) *V.D.Thom. 1.p.q.54.art.3.& q.de ſpir.creat. art.11.*

(13) *P. Loſſad. ubi ſupr. num. 14.*

que objecta respiciant ; sed hoc est falsum apud omnes : Ergò. Patet maj. Nam eadem facilitate, qua Adversarii ex suprà positis exemplis inferunt, existentiam, & operationem ab eadem potentia respici, respici quoque ab unica potentia cujuscumque generis actus, & objecta, inferri potest.

122 *Præterea* : Quamvis substantia existentiam respiciat, & proprietatum dimanationem, primariò respicit existentiam, & dimanationem secundariò : subjectum quoque accidentium existentiam respicit primariò, & accidentium receptionem secundariò : accidentia denique, si activa sint, primariò operationem, & secundariò respiciunt existentiam, cum non propter se, sed propter operationem instituta sint: Atqui substantia, quippè ens absolutum, per se, & propter se existens, primariò respicit sui existentiam, & potentia proximè operativa primariò respicit operationem, utpotè instituta propter operationem, ut constat ex dictis: Ergò.

123 *Dicunt* : (14) Substantiam quoque respicere primariò existentiam, & secundariò operationem, eò quòd sint actus subordinati, ut evenit in existentia, & operatione accidentis, juxta illud : *Operari sequitur ad esse. Contrà* 1. Potentia proximè operativa primariò respicit operationem, ad quam per se primariò ordinatur, propter dicta *num.* 17. & 18. sed substantia, per te, non per se primò respicit operationem : Ergò. *Secundò* : Potentia respiciens actum primarium, & secundarium, secundarium respicit propter primarium, ut patet in habitu charitatis ; sed substantia non respicit operationem propter sui existentiam, sed ob existentiam effectùs: Ergò.

124 *Tertiò* : Ideo substantia respicit primariò existentiam, & secundariò suarum proprietatum dimanationem, quia proprietatum dimanatio non propter se, sed propter ipsam substantiam proprietates connaturaliter exigentem,

est

(14) *Idem ibid. num.* 15. *Curs. Alcant. hìc, num.* 23.

est à natura intenta : ideo etiam secundariò respicit accidentium receptionem, quia accidentia non per se, & propter se intenduntur, sed propter substantiam, in qua recipiuntur : ideo demum accidentia activa primariò operationem, & secundariò existentiam respiciunt, quia non propter existentiam, sed propter operationem sunt instituta : Atqui substantia propter existentiam, & non propter operationem; operatio etiam per se primò propter se, & non propter existentiam substantiæ operantis intenta, & instituta est: Ergò.

25 *Quartò* : Potentia per se respiciens plures actus subordinatos, eos attingit sub eadem ratione formali; sed substantia nequit sub eadem ratione formali existentiam respicere, & operationem, cum hæ solùm conveniant in ratione entis, sub qua, utpote substantia superiore, à substantia attingi non possunt : Ergò. Patet maj. in habitu charitatis sub eadem ratione attingentis dilectionem Dei, & proximi; in intellectu respectu apprehensionis, judicii, & discursus. (15) *Nec dicas* : (16) Utramque attingi sub ratione *actus potentiæ substantialis*. Nam hæc est ipsa quæstio, an operatio possit esse actus potentiæ substantialis. *Et*, si solutio sustineri posset; unica potentia posset attingere quotquot actus possibiles sunt; quia omnes conveniunt sub ratione actus illiusmodi potentiæ.

26 Loquimur de potentia *per se* respiciente plures actus: nam, si unum per se, alium per accidens respiciat, ut respicit substantia existentiam, & accidentia ipsi inhærentia; non debet eos sub eadem ratione attingere. *Nec* prodest Contrariis effatum illud : *Operari sequitur ad esse* : Nam sequitur, non quidem sequella causalitatis, nisi illud *esse* sit accidentale per se primò institutum ad operationem; sed tantùm sequella ordinis, & successionis, quatenùs operatio præsupponit

(15) *V. Dial. quæst. proœm. art. 3. num. 13.*
(16) *Pater Lossada ubi supr.*

ponit suppositi operantis existentiam : sicut *velle* sequitur cognitionem, quin cognitio sit per se ordinata ad volitionem.

27 *PROB.* 3. Conclusio : (17) Si substantia esset potentia proximè operativa, esset formaliter accidens ; sed hoc repugnat : Ergò. Prob. maj. Si substantia esset potentia proximè operativa, esset in eodem genere physico cum sua operatione ; id est in genere substantiæ, si operatio substantia foret, & in genere accidentis, si accidens esset operatio ; atqui operatio creata est accidens de prædicamento actionis, ut nunc supponimus, quidquid reclament Contrariorum aliqui : Ergò. Prob. maj. Actus intrinsecè perfectivus potentiæ, & potentia per se primò ordinata ad talem actum sunt in eodem genere ; sed operatio est essentialiter actus per se perfectivus potentiæ proximè operativæ, & hæc potentia est per se primò ordinata ad illum actum: Ergò.

28 Min. quoad secundam partem constat ex sæpè dictis: quoad primam ex eo patet, quòd omnis actio est actus agens intrinsecè denominans, idemque reducens de potentia ad actum. Prob. maj. Actus intrinsecè perfectivus potentiæ, & potentia per se primò ordinata ad illum actum quodlibet dividunt genus entis ; sed membra divisiva generis sub eodem genere continentur, ut patet in homine, & bruto animal dividentibus : Ergò. Prob. maj. Nullum est genus entis, quod non sit permixtum potentia, & actu, cum nullus sit extra Deum actus purus, nullum genus entis pura potentia : Ergò.

29 *Undè* præoccupatæ sunt Contrariorum (18) instantiæ. *Prima* de potentia passiva materiæ, cujus actus est passio : *Nam* falsum est, actum materiæ esse passionem, sed formam ; cum passio in toto composito recipiatur. *Secunda* de substantia respectu accidentium quorumlibet: *Nam* substantia

(17) *V. Div. Thom.* 1.*p.quæst.*77.*art.* 1.

(18) *Pater Lossada, hìc, num.* 7.

ſtantia non eſt potentia per ſe primò ordinata ad accidentia. *Tertia* de materia per animam ſpiritualem perfectibili, quin ea ſit ſpiritualis: *Nam* hæc eſt, *ut quo*, materialis; at operatio non eſt, *ut quo*, ſubſtantia. *Quarta* de potentia accidentali, quæ eſt de genere qualitatis, & de ejus actu, qui eſt de genere actionis: *Nam* ratio D. Thomæ procedit de genere latè ſumpto, ſeu phyſico, quæ ſunt ſubſtantia, & accidens; hæc autem genera non ſunt ſtricta, & logica.

30 *Reſp.* Contrarii: (19) Actum, & potentiam per ſe ordinatos ad conſtituendum unum per ſe, nempè ſubſtantiale compoſitum, debere eſſe in eodem genere, quales ſunt materia prima, & forma ſubſtantialis. *Item*, actum exiſtentialem, & potentiam logicam, ſeu objectivam, quæ metaphyſica poſſibilitas dici ſolet, debere eſſe in eodem genere entis; de quibus ſolùm eſt verum, quod actus, & potentia dividunt genus quodlibet: Cæterùm potentiam phyſicam, & activam, ejuſque actum, ex quibus non fit per ſe unum, neque dividere genus entis, neque eſſe in eodem genere.

31 *Contrà* 1. Ideo actus, & potentia ad unum per ſe ſubſtantiale componendum ordinati, debent eſſe in eodem genere, quia ejuſmodi actus eſt intrinſecè, & per ſe perfectivus potentiæ, & potentia eſt per ſe intrinſecè perfectibilis per illum actum; atquì operatio, ſaltem ſub conceptu egredientis, eſt per ſe intrinſecè perfectiva potentiæ proximè operativæ, cum hanc de potentia ad actum reducat; & potentia ipſa eſt intrinſecè, & per ſe perfectibilis per talem actum, cum ad illum per ſe primò ordinetur: Ergò.

32 *Contrà* 2. Ideo potentia objectiva, & logica eſt in eodem genere cum actu exiſtentiali, ideo etiam natura, & ſubſiſtentia, quia ejuſmodi potentia per ſe exigit illum actum, tamquam ſuum perfectivum: Ergò pariter. *Urg.* In unoquoque entis genere dari debet aliqua potentia ſubjectiva,

(19) *Pater Loſſada, ubi ſupr.*

ctiva, & physica, cum inter entia creata dari non possit actus purus; sed potentia quatenùs talis est primariò propter suum actum: Ergò debet dari in eodem genere actus. *Vel aliter*: In quocumque entis genere datur actus, ut notum est; sed ejusmodi actus limitari debet per aliquam potentialitatem, & quidem subjectivam, ut arguebamus in Metaphysica: (20) Ergò.

33 Ex quibus patet, non solùm potentiam objectivam, & actum existentialem, sed subjectivam, ac physicam quoque potentiam, & actum dividere quodlibet genus entis: unde, quia in genere substantiæ datur forma, debet dari potentia subjectiva talis formæ, scilicet materia; quia in genere accidentis accidentia sunt formæ, requirunt subjectum, quod, quamvis in sua specie actuale sit, & completum, est potentia subjectiva in linea accidentali; atque id ipsum patet in subsistentia respectu naturæ: Ergò, cum in genere accidentali detur operatio, exigens, nedùm potentiam subjectivam, sed potiùs activam ad se, tamquàm ad actum, per se primò ordinatam; ejusmodi potentia debet esse ejusdem generis accidentalis.

34 *PROB.* 4. Conclusio multipliciter. *Primò*: Si forma substantialis esset principium proximè operativum, supposito tali forma constitutum semper operaretur; sed hoc est evidenter falsum: Ergò. Prob. maj. Quia anima est principium immediatum vivificandi corpus, corpus per illam constitutum semper vivit: Ergò. *Conf.* & præocupatur Contrariorum (21) instantia: Ideo accidens immediatè operativum non semper operatur, quia, ut operetur, dependet à substantia, cui, cum non sit per se primò propter operationem, non semper debetur Dei concursus ad operandum; sed substantiæ immediatè operativæ (cum esset potentia per se primò ordinata ad operationem, nec à radicali principio

(20) *Lib. 1. quæst. 3. art. 5. num. 5.*

(21) *Pater Lossada hic, num. 21.*

penderet, ſed eſſet ad illam debitè applicata) deberetur ſemper Dei concurſus ad operandum: Ergò.

35 Prob. min. Cuilibet potentiæ creatæ ex ſe ſufficienti, ac debitè ad operandum applicatæ communicatur generalis Dei concurſus ad operationem, ut patet in viſu, in intellectu, in voluntate, &c. Ergò. *Deinde*: Ideo anima ſeparata, quamvis ſit immediatum vivificandi principium, actu non vivificat, quia non eſt debitè applicata, in quo dependet ab agentis applicatione; ſed forma immediatè operativa, ſuppoſito communicata, eſſet debitè applicata ad operandum: Ergò. Min. patet; quia, cum eſſet propter operationem, eſſet ex ſe ſufficiens operari; &, cum in alio principio non radicetur, à nullo dependet, ut actu operetur.

36 *Reſp.* (22) nihilominùs ad arg. Animam vivificare corpus in genere cauſæ formalis, quæ ſubjecto capaci communicata, non poteſt non communicare ſuum effectum formalem: at verò, eſſe principium agendi in genere cauſæ efficientis dependenter ab applicatione. *Sed contra*: Quia ſubſtantia immediatè operativa ex ſe eſſet ſufficienter applicata, ut conſtat; ſed cauſa efficiens ſufficienter applicata ſemper operatur, non ſecùs ac cauſa formalis: Ergò.

37 *Secundò*: Si ſubſtantia eſſet immediatè operativa, maximè, quia accidens, ſubſtantia quippè imperfectius, nequit ſubſtantiam producere; ſed hæc ratio nulla eſt: Ergò. *Prob. min.* 1. Quamvis actio, qua ſubſtantia producitur, ſit accidens, ut procedens à ſubſtantia poteſt ſubſtantiam producere: Ergò. Tenet conſeq. Nam, ſicut actio ſolùm agit, ut *quo*, ita accidens proximè operativum. (23) 2. Licet accidens ſe ſolo nequeat ſubſtantiam producere; bene verò, quatenùs dimanans à ſubſtantia, atque in ipſa radicatum: Ergò.

Prob.

(22) *Idem ibid. Curſ. Alcant. hic, num.* 27.

(23) *V. Langa, hic, num.* 392.

138 Prob. ant. Quamvis calor se solo nequeat carnem nutrire, augere, producere; id valet viventibus adjunctus: Ergò pariter. 3. Multa accidentia, adhuc à substantia separata, valent substantiam producere: Ergò multò meliùs conjuncta. Patet ant. in semine ab animali deciso, cujus virtus operatur in utero matris. Et, si dicas, eam esse substantialem: Abs dubio est imperfectior forma generanda, ut per se patet. *Et*, si ad aliam principalem causam confugias: anima generans non erit causa prolis: Ergò. *Item* in calore solis in viscéribus terræ metalla generante, & ex putri materia vermes. Quòd, si recurras ad aliquam causam; hæc utique calore utitur, ut experientia docet: Ergò.

139 *Tertiò*, & præcipuè contra Scotistas: Per vos, non repugnat, quòd materia, & forma totum substantiale intrinsecè constituant media unione accidentali: item, quòd totum causent per accidentalem causalitatem: Ergò neque est inconveniens, substantiam medio accidenti efficienter operari. Tenet conseq. quia difficilius videtur, accidens ingredi intrinsecam substantiæ causalitatem, quam principium extrinsecum operationis. Ant. est certum: quia juxta Scotistas (24) unio inter materiam, & formam est relatio extrinsecùs adveniens, & causalitates earum sunt relationes ad totum causatum.

SOLVUNTUR ARGUMENTA CONTRARIA.

140 ARGUES 1. (25) Datur in creatis virtus adæquata immediatè productiva substantiæ; sed talis virtus in solo accidenti consistere non potest: Ergò. Prob. maj. Virtus adæquata immediatè productiva nequit esse imperfectior, & ignobilior effectu; sed accidens est imperfectius, & ignobilius substantia, ut nemo dubitat: Ergò.

(24) *Curs. Alcant. 1. Phys. Dis. 3. q. 2. & lib. 2. disp. 3. art. 2.*

(25) *Pater Lossada, tract. 2. disput. 6. cap. 1. n. 1.*

Prob. maj. Virtus adæquata immediatè productiva continere debet, vel formaliter, vel eminenter, aut ſaltem æquivalenter, totam perfectionem effectus; ſed nullo ex his modis continet totam perfectionem effectus, ſi eſt imperfectior effectu, ut per ſe patet: Ergò. Prob. maj. Virtus adæquata immediatè productiva tribuit effectui totam ejus perfectionem; ſed tribuere nequit, quod non continet, juxta illud per ſe notum: *Nemo dat, quod non habet*: Ergò.

41 *Reſp.* 1. inſtando argum. Tùm in actione adæquatè productiva ſubſtantiæ, quæ, cum ſit accidens, nec formaliter, nec eminenter ſubſtantiam continet; at nihilominus, ut à ſubſtantia procedens, eſt adæquata productio ſubſtantiæ: *Item*, contra Scotiſtas, in unione materiæ, & formæ, quæ, licet accidens ſit juxta ipſos, influit intrinſecè in totius ſubſtantialis conſtitutionem. *Nec dicas* (26) actionem ſic agere purè *ut quo*, ut non propriè cauſet, nec det eſſe effectui, ſed eſt pura applicatio, & determinatio ſubſtantiæ ad cauſandum: *Nam* etiam accidens, apud Thomiſtas, non propriè, & *ut quod*, ſed ſolùm, *ut quo* cauſat; nec de ſe, ſed de ſubſtantia: dat eſſe effectui. *Adde* actionem non eſſe puram determinationem, ſed etiam cauſalitatem ſubſtantiæ.

42 *Reſp.* 2. Neg. min ad prob. neg. maj. ad alteram prob. diſting. maj. Debet totam effectus perfectionem continere per modum cauſæ principalis, nego maj. per modum virtutis inſtrumentariæ cauſæ principalis, concedo maj. *Ad* ultimam prob. diſt. maj. Tribuit effectui totam perfectionem principaliter, & de ſuo pænu, nego maj. delativè, miniſterialiter, & de pænu, ſeu perfectione ſubſtantiæ, concedo maj. & diſtincta min. nego conſeq. Licet enim cauſa principalis, quæ propriè, principaliter, &, *ut quod*, producit effectum, quem ſibi intendit aſsimilare, debeat eſſe ad minùs æquè perfecta cum effectu, ipſum, aut formaliter,

(26) *P. Loſſ. cap. 2. n. 30. P. Quirós, ap. Lang. hic, n. 392.*

rer, aut eminenter continere; secùs autem virtus instrumentaria ejusdem causæ principalis, qualis est potentia proximè operativa.

43 Et ratio est: quia causa principalis est veluti fons, & origo totius perfectionis effectus; virtus autem instrumentaria est quasi rivulus, quo illius perfectionis latices effectus communicantur, non per formalem, sed virtualem substantialis perfectionis diffusionem: Et quemadmodùm, non rivulus, sed fons præcontinere debet totam paludis aquam, atque ille solùm est medium, quo aqua communicatur; ita accidens, cum non sit propriè, & *ut quod* efficiens, sed medium, quo substantia operatur, non debet in se totam effectus perfectionem præcontinere; sed satis est, si sit ejus minister, qui talem continet perfectionem.

44 *Instab.* 1. Non sat est, quòd causa principalis, per se immediatè non influens, commensuretur cum effectu in perfectione, si tota virtus immediata non commensuratur: Ergò. Prob. ant. Perfectio, quæ non influit in effectum, de materiali se habet ad perfectionem effectus; sed causa principalis, nisi sit immediata virtus, non influit in effectum: Ergò. *Nec dicas*: Causam principalem mediatè, & remotè in effectum influere. *Quia*, per vos, non influit in principium immediatum: Ergò neque, illo mediante, influit in effectum.

45 *Secundò*: Non solùm causa principalis, sed ejus quoque virtus adæquata, & immediata debet cum effectu in perfectione commensurari; alioquin posset minima entitatula esse virtus immediata ad effectus quoslibet: Ergò. *Si dicas*: Virtutem illam solùm, *ut quo* dare perfectionem effectui. *Contrà* 1. Nam virtus immediatè influens, est verè, ac propriè causa, cum illi conveniat causæ definitio: Ergò: 2. Illius est propriè dare, à quo propriè accipit effectus; sed hic à principio immediato propriè recipit suam perfectionem: Ergò.

Ergò. 3. Terminus *quo* productionis propriè recipit: Ergò principium *quo* propriè dat perfectionem.

46 *Tertiò*: Accidens proprio nomine, propriaque virtute nequit producere ſubſtantiam, ut fatemini: Ergò neque virtute, ac nomine ſubſtantiæ. Prob. conſeq. Accidens, quatenùs productivum in virtute ſubſtantiæ, vel accipit à ſubſtantia virtutem aliquam à ſe diſtinctam, vel nihil accipit præter ſuam entitatem? *Si primum dicas*, atque virtus accepta ſit ſubſtantia, hæc erit immediatè operativa: ſi ſit accidens; de hoc idem reddit argumentum, ac de accidente. *Si ſecundum*: Ergò, cum ſuo nomine nequeat ſubſtantiam producere, neque valet in virtute ſubſtantiæ: ſicut puer nequit ultra vires ſuas, gigantis pondus ſuſtinere illius nomine, aut virtute, ſi nullas ab illo vires accipiat.

47 *Quartò*: Non magis eſt ab intrinſeco incapax equus ad immediatè gubernandum, more politico, quàm ſubſtantia creata, juxta Thomiſtas, ad immediatè agendum; ſed propter illam incapacitatem repugnat, aliquem vices equi genere, aut ejus nomine, & virtute immediatè gubernare: Ergò. *Urg.* Si Pro-Rex nullam à Rege poteſtatem acciperet, præter eam, quam habet, ut privata perſona, nihil poſſet Regis nomine diſponere, aut gubernare: Ergò pariter. *Urg. iterùm*: Nihil poteſt Procurator agere nomine alterius per ſe ab intrinſeco incapacis id ipſum agendi; aliàs poſſet quis leonis nomine gubernare Rempublicam; atqui ſubſtantia eſt per ſe incapax immediatè operandi: Ergò.

48 *Quintò*: Si accidens poſſet in virtute ſubſtantiæ immediatè operari, accidens in ordine operandi eſſet virtualiter ſubſtantia; ſed hoc, ſuppoſita immediata ſubſtantiæ incapacitate ad operandum, potiùs infert, quod accidens eſt prorsùs impotens immediatè operari: Ergò. Prob. min. Si accidens eſſet virtualiter ſubſtantia in linea operandi, id haberet accidens virtualiter, quod ſubſtantia habet formaliter in eadem linea; ſed ſubſtantia habet formaliter eſſentialem

incapa-

incapacitatem immediatè operandi : Ergò. Maj. patet inductione per omnia , quæ dicuntur esse virtualiter hoc , aut illud. *Adde* : Indecens fore substantiæ , indigere vicaria virtute accidentis , ob incapacitatem agendi.

49 *Sextò* : Si accidens substantiæ nomine , atque virtute posset substantiam producere , idem quoque posset proprio nomine , atque à substantia separatum , ut patet in accidentibus vini consecrati , infussam aquæ guttam in vinum convertentibus : Ergò. *Conf.* Calor , si à solo Deo produceretur , idem ageret , quod modò ; sed non esset virtus alicujus substantiæ creatæ , in cujus virtute ageret : Ergò. *Urgetur*: Si accidens nomine , & virtute substantiæ , seu quatenùs à substantia dimanans , in ipsa radicatum , atque ea confortatum posset substantiam producere ; æquo jure , sub eadem ratione substantiam totalem in virtute materiæ , aut formæ posset constituere ; hoc repugnat : Ergò.

50 *Ad* 1. *Inst.* resp. approbando solutionem ibidem positam : Substantia enim , quamvis non influat immediatè , & per modum principii proximi , & formalis , mediatè tamen influit per modum principii radicalis ; atque ideò principaliter , & *ut quod* producit effectum , cui est æqualis adminùs in perfectione. Quamvis autem substantia non influat influxu propriè effectivo in principium proximum ; in illud influit influxu dimanativo , quatenùs positivè petit ab agente , à quo producitur , ut sibi provideatur de principio proximo naturaliter debito , quo mediante , influat in effectum. Ex quibus patet solutio ad replicam ibi subjunctam.

51 *Ad secundum* , nego ant. cujus implicita probatio nihil dicit : Nam ea solùm entitas potest immediatè aliquem effectum producere , quæ sua indole est à natura institura primariò ad effectionem effectus ; ut calor ad comburendum , intellectus ad intelligendum , &c. Ac verùm est, ejusmodi entitatem solùm *ut quo* dare perfectionem effectui , quin obstent in contrarium objecta. *Non* 1. Nam est

propriè

propriè causa, *ut quo*, seu potiùs ratio causandi in actu primo. *Non* 2. quia effectus recipit perfectionem à principio immediato, non veluti à principali agente *ut quod*, sed tamquam ab agente ministeriali, & *ut quo*. *Non* 3. quia substantia potest esse terminus *quo* immediatus positivæ productionis; non autem principium *quo* proximum actionis, ut sæpè diximus. (27)

52 *Ad tertium*, nego conseq. Ad prob. dicimus, accidens, quatenùs productivum in virtute substantiæ, nihil habere, præter suam entitatem, à substantia dimanans, & in ipso transitivè receptum; sed ipsum esse virtutem à substantia dimanantem, & qua substantia operatur: atque ideò suam ipsius entitatem natura sua immediatè activam habet à substantia per simplicem emanationem. Producit autem substantiam in virtute substantiæ, non proprio nomine; quia nisi à substantia sustineretur, atque in ea principaliter operante radicaretur, non posset substantiam immediatè producere. Neque urget exemplum de puero respectu gigantis: Nam puer non est nativa virtus gigantis ad pondus sustinendum, sicut accidens substantiæ ad operandum.

53 *Si dicas* 1. Accidens nihil roboris accipit à substantia, præter sibi proprium: Ergò. 2. Causa instrumentalis accipit, juxta Thomistas, virtutem à se distinctam ex causa principali; sed accidens est causa instrumentalis substantiæ: Ergò. 3. Accidens, quamtumvis in substantia radicatum, atque ab illa dimanans, est entitativè accidens; sed quatenùs entitativè accidens, non est immediata substantiæ virtus ad agendum: Ergò. 4. Virtus caloris secundùm se considerata est impotens immediatè producendi formam ignis; sed, quòd ea virtus à substantia dimanet, nihil perfectionis, aut activitatis superaddit: Ergò.

54 *Resp.* ad 1. nego conseq. Quia robur, quod appellas proprium accidentis operativi, propriùs est substantiæ, quà

(27) *Vide num.* 12. 13. 22. *&* 29.

quàm accidentis; (28) ut activitas caloris ignis est potiùs, quàm caloris: nam ejusmodi accidentia non sunt propter se, & ut sint, sed potiùs, ut substantiæ inserviant ad operandum; atque ideò ex eo, quòd in substantia radicentur, aut radicationem exigant, à substantia intransitivè roborari dicuntur, ut delativè, & ministerialiter substantiam producant. *Ad* 2. resp. maj. veram esse de causa instrumentali propria, & separata, qualis est calamus ad scribendum; secùs autem de impropria, & conjuncta, quæ virtus instrumentaria dici solet, qualis est potentia proximè operativa.

55 *Ad* 3. dist. maj. Est entitativè accidens præcisè, nego ant. est accidens radicatum, & dimanans, concedo. Et hoc modo importat, præter accidentis entitatem, substantiæ ipsum radicantis consortium; atque ità eam habet activitatem accidentalem, quam ex se non haberet. Undè calor, nisi foret alicujus substantiæ proprietas, solùm exiccaret, & calefaceret: cæterùm factus proprietas ignis, comburit; factus proprietas formæ viventis, nutrit, & auget. *Ad* 4. patet ex dictis solutio: Quia major vera est, si ly *secundùm se* dicat, nedum præcisionem à conjunctione formali cum substantia, sed etiam à radicatione substantiæ exacta à calore, in quo casu non esset illius substantiæ proprietas, ut modò est.

56 *Jam ad quartum resp.* instando argumentum: Non magis est ab intrinseco incapax equus ad gubernandum more politico, quàm Rex paraliticus, cœcus, claudus, & amens ad gubernandum exercitum; sed repugnat, aliquem equi nomine gubernare rempublicam: Ergò, & Regis nomine exercitum gubernare? *Patet* insuper ratio disparitatis: quia equus est incapax gubernandi ob defectum, & imperfectionem; at verò substantia est incapax proximè agendi, ob suam perfectionem, quam dedecet per se primò ad operationem ordinari, atque ab ipsa specificari, ut requirit

(28) *Vide Palanc. quæst.* 12. *num.* 24.

proximum agendi principium : ſicut eſt incapax inhærendi ob eamdem rationem. *Aſt*, cum ſit naturaliter activa, ſibi à natura proviſum eſt de medio accidentali, quo operetur.

57 *Ad urg.* diſt. ant. Si Pro-Rex non naſceretur jure poteſtativo, ut de facto contingit, ad diſponendum, & gubernandum Regis nomine, concedo ant. Si cum illo jure naſceretur, nego ant. & conſeq. Cum enim Pro-Rex à Rege conſtituatur; niſi ab eo poteſtatem accipiat, nihil Regis nomine poteſt: cæterùm, ſi jure alicui familiæ conceſſo Regis nomine gubernandi, quiſpiam ex ea naſceretur; abſque ulla poteſtate à Rege de novo accepta gubernare poſſet. Ità quoque accidentia, cum à natura ad immediatè agendum per ſe primò ſint deſtinata; naturali jure immediatè agendi ſubſtantiæ nomine à non eſſe ad eſſe, ſubſtantia exigente, proficiſcuntur: ideòque ſine nova virtute à ſubſtantia tranſitivè recepta, agunt immediatè.

58 *Ad alteram urg.* reſp. quòd ſi major vera eſt; nec Tutor poterit pupilli rationis uſum non attingentis nomine quidquam diſponere: Undè, ſolùm eſt vera, cum ille, cujus eſt Procurator, nec valet per ſe efficere, nec jus habet alterum ſubſtituendi: ſubſtantia autem, licet nequeat immediatè agere; naturaliter exigit, & radicat potentiam accidentalem, qua mediante operetur. *Nota*, accidens non eſſe propriè ſubſtitutum ſubſtantiæ, ut nomine ſubſtantiæ id agat, quod aliàs ageret ſubſtantia; ſed potiùs eſt ſubſtantiæ quaſi famulus, ut id muneris præſtet, quod ſubſtantiam, decentiori modò ſimùl operantem, minimè decet.

59 *Ad quintum*, diſt. maj. Eſſet virtualiter, *ut quod*, ſubſtantia, nego maj. virtualiter, *ut quo*, concedo maj. & nego min. Ad prob. diſt. maj. Si eſſet virtualiter, *ut quod*, concedo maj. ſi eſſet virtualiter, *ut quo*, nego maj. &, conceſſa min. nego conſeq. Ea ſunt aliquid virtualiter, *ut quod*, quæ ſua virtute id ipſum præſtare poſſunt, quod aliud præſtat ſua forma, ut Sol calefacit ſua luce, ſicut ignis ſuo

calore;

calore ; adeòque dicitur Sol virtualiter calidus , virtualiter ignis. Sed neque hinc licet inferre : Ergò , cum ignis sit formaliter impotens vegetabilia nutrire , generare , erit quoque Sol virtualiter impotens generare, nutrire. Quibus instabis facilè argumentum.

60 Illud autem est aliquid virtualiter , *ut quo* , quod est virtus , *qua* illud aliquid producitur , quale est accidens respectu substantiæ producibilis: Undè dicitur accidens virtualiter substantia ; non, quòd virtualiter id ipsum , & eodem modo , aut æqua perfectione habeat , quod substantia formaliter habet ; sed quia natura sua est virtus substantiæ debita , sufficiens utique , ut substantia producatur. Dicitur, inquam , virtualiter substantia ; non , quia virtualiter æquivaleat formali perfectioni substantiæ producentis ; sed , quoniam substantiæ producibilis perfectionem sua virtute activè continet , *ut quo* , ministerialiter , & delativè.

61 *Ad addit.* positam *num.* 48. negatur assumptum: Cum enim incapacitas immediatè agendi ex substantiæ , præ accidenti , perfectione oriatur ; in substantiæ decus potiùs vertitur , quòd indigeat accidentis famulatu ad operandum. *Ad sextum* resp. accidens à substantia separatum , dummodò ab ipsa substantia dimanaverit, posse substantiam producere , non proprio nomine , sed nomine substantiæ virtualiter perseverantis. (29) *Aut* , si mavis , dicito : illud accidens immediatè operari in virtute agentis illud conservantis , atque substantiæ radicationem supplentis.

62 *Ad conf.* resp. quòd , si calor à solo Deo produceretur , idem ex se ageret , quod modò ex se ipso operatur, exiccare videlicet , & calefacere : Cæterùm non posset ignem producere , aut quempiam alium substantialem effectum efficere , nisi Deo præstante concursum causæ principalis , in cujus virtute , quippè causarum omnium perfectionem eminentissimè continente , operaretur. *Ad urg.*

(29) *V. supr. num.* 38. *& quæst.* 1. *art.* 2. *num.* 55. *& 56.*

neg. maj. Quia cauſæ intrinſecæ, quales ſunt materia, & forma, conſtituunt per intrinſecam ſuarum entitatum communicationem, ſuntque identicè res ipſa conſtituta; quod accidenti, adhuc ſubſtantiæ nomine, convenire repugnat: Sed cauſa efficiens, ſicut agit actione accidentali, virtute quoque proxima accidentali, ob rationes noſtras, operari debet.

63 *ARGUES* 2. (30) Dum ignis comburit ſtupam, calor ignis agentis producit in paſſo calorem ſibi æqualem: Ergò nequit in eodem inſtanti producere formam ignis. Prob. conſeq. Nulla virtus in eodem inſtanti, in quo producit effectum ſibi adæquatum, poteſt alium producere, præſertim ſuperiorem: Ergò. Patet ant. Siquidem per effectum adæquatum exhauritur virtus agentis. *Conf.* Si ſubſtantia non influeret immediatè in effectum, ſed medio accidenti, non eſſet cauſa per ſe perfectate influxus, ſed ſolùm per accidens; hoc eſt falſum: Ergò.

64 *Ad arg. reſp.* 1. diſt. ant. Producit in paſſo calorem, *ut quod*, & veluti cauſa principalis, nego ant. *ut quo*, & tamquam virtus inſtrumentaria cauſæ principalis, concedo ant. & nego conſeq. Ad hujus prob. diſt. ant. Per modum cauſæ principalis, concedo ant. per modum virtutis cauſæ principalis, nego ant. & conſeq. Sicut cauſa principalis formæ ignis non eſt calor, ſed ignis; ità caloris producti eſt ignis, & non calor, qui ſolùm eſt virtus immediatè productiva utriuſque: Quamvis igitur calor productus caloris producentis perfectionem adæquet, poteſt hic ſimùl, *ut quo*, producere ignem, & calorem, illum primariò iſtum ſecundariò; cum agat in virtute ignis, quem calor productus non adæquat.

65 *Si dicas*: Accidentia poſſe eſſe cauſam principalem alteriùs accidentis, ut calor aquæ caloris in manu, color etiam ſpeciei viſibilis, quæ ab oculis percipitur, &c. *Reſp.* Calorem

(30) P. *Loſſad. ubi ſupr. num.* 15.

Calorem aquæ calefacere, ut virtutem ignis virtualiter persistentis, ut sæpè diximus: *Aut*, calefacit, tamquàm virtus agentis principalis ipsum conservantis. Color etiam, & objectum quodlibet non producit speciem in potentia effectivè, seu in genere causæ efficientis; sed solùm determinativè, & in genere causæ formalis extrinsecæ, quatenùs forma sensitiva ex objecti propositione determinatur ad producendam speciem objecti, qua objectum ipsum attingat.

66 *Resp. 2. ad arg.* dist. ant. Producit calorem propria virtute, & tamquàm causa principalis, concedo ant. virtute ignis, seu veluti virtus instrumentaria ignis, nego ant. & dist. conseq. Ut causa principalis, concedo conseq. ut virtus causæ principalis, nego conseq. Non enim est inconveniens, quominùs calor idem simul sit causa principalis caloris, & virtus ignis ad producendam formam ignis. Atque ita potest multoties accidens esse causa principalis aliorum accidentium, ut color speciei visibilis, qua ille à visu percipitur. Quæ autem his obstare possunt, (31) ex dictis facilè dissolvuntur.

67 *Ad conf.* dist. maj. Non esset causa per se perfectate radicali, & *ut quod*, nego maj. perfectate formali, & *ut quo*, concedo maj. Et dist. alteram partem: Solùm esset causa per accidens radicaliter, nego maj. formaliter, subdist. per accidens prædicamentaliter, concedo; prædicabiliter, nego maj. Licet enim substantia non sit causa per se perfectate formali, quatenùs per se ipsam non est potentia proximè influxiva; est perfectate radicali, cum per se ipsam radicaliter influat in effectum. Atque hinc est causa per accidens prædicamentaliter, quia medio accidente prædicamentali, qualitate nimirùm, operatur: Ast non est per accidens prædicabiliter; quia non operatur medio accidenti naturaliter potente esse, & abesse absque sui corruptione. (32)

Dices

(31) *V. P. Lossad. ubi supr.* (32) *V. Palanc. q. 9. n. 27.*

68 *Dices* 1. Causa, cui perindè est existere, ac non existere, ut denominetur causans, non causat propriè, & per se, adhuc perfectate radicali; sed, si substantia non influit, nisi per virtutem accidentalem, eodem modo denominatur causans, sive existat, sive non existat, dummodò existat accidens à se deciſum, atque istud operetur: Ergò. 2. Substantia nequit operari medio accidente prædicamentali: Ergò. Prob. ant. Virtus accidentalis nequit substantiam producere per modum causæ univocæ, cum hæc debeat esse ejusdem perfectionis cum effectu; sed neque valet per modum causæ æquivocæ, quippè quæ debet esse superioris ordinis, quàm effectus: Ergò.

69 *Ad* 1. dist. maj. Cui perinde est existere, ac non existere, tam virtualiter, quàm formaliter, concedo maj. formaliter præcisè, nego maj. Et, distincta min. nego conseq. Licet enim ad producendum effectum non requiratur actualis existentia formalis substantiæ causantis; exigitur præcisè ejus virtualis existentia consistens in actuali existentia virtutis accidentalis, quatenùs ab ipsa substantia deciſæ; ad quod requiritur, substantiam formaliter extitisse, atque suam ipsius virtutem reliquisse. *Ad* 2. nego ant. Ad prob. concessis præmissis, nego conseq. Quia divisio causæ in univocam, & æquivocam est solius causæ principalis, non virtutis instrumentariæ, quæ formaliter neque est univoca, nec æquivoca; sed tantùm reductivè, juxta indolem causæ, cujus virtus est.

70 *Instab.* Actio productiva substantiæ exigit principium immediatum à principio accidentis immediatè productivo specie distinctum; sed hujus principium est accidens; Ergò. Prob. maj. Actio productiva substantiæ, cum sit generatio, specie differt ab actione productiva accidentis, quæ alteratio est; sed actiones specie distinctæ petunt principia formalia specie diversa: Ergò. *Urg.* Deus, etsi causa sit omnium perfectissima, immediatè operatur: Ergò quamvis

substantia

substantia perfectior sit accidente, potest immediatè operari.

71 *Ad inst.* nego maj. Ad prob. negari potest maj. cum plurimis Thomistis, (33) generationem à præcedenti alteratione non distinguentibus; sed, apud ipsos, eadem actio, quæ, priùs disponendo materiam, dicitur alteratio, dicitur pro posteriori generatio, producens formam substantialem: atque ideo non repugnat, generationis, & alterationis idem esse principium immediatum. (34) *Aut* dici potest, generationem esse specie diversam ab alteratione: at posse ab eodem principio illam primariò, hanc secundariò provenire. *Ad urg.* neg. conseq. tum, quia Deus est causa infinita secum identificans suam ipsius actionem; ideoque immediatè operatur: è contra verò substantia.

72 *ARGUES* 3. Substantia creata est suarum proprietatum effectiva, ut aqua frigiditatis, & ignis caloris; sed non medio accidenti, alioquin de isto, quippè quod esset quoque substantiæ proprietas, idem fieret argumentum, atque ita procedendum esset usque in infinitum: Ergò. *Conf.* Juxta Thomistas, species impressa immediatè effectivè influit in intellectionem; sed in Angelo respectu sui cognitionis sua ipsius substantia est species impressa, ut ipsi Thomistæ docent: Ergò saltem substantia Angeli influit immediatè effectivè in sui cognitionem.

73 Ad solutionem argumenti *nota* 1. (35) Proprietates physicas (nam metaphysicæ, cum non distinguantur realiter ab essentia, ab hac solummodò virtualiter dimanant) non procedere effectivè à substantia propriè, & per veram actionem, sed impropriè tantùm, & per simplicem emmanationem. Ratio est: *Tum*, quia ejusdemodi actio, utpote per se primò ordinata ad agentis perfectionem, atque in ipso recepta,

(33) *Thomistæ multi apud PP. Comp. hìc.*
(34) *V. Palanc. quæst.* 12. *à num.* 30.
(35) *V. Div. Thom.* 1. *p. quæst.* 77. *artic.* 6.

recepta, esset actio vitalis: *Tum* etiam, quia illa actio, quippè quæ ipsi substantiæ, à qua produceretur, inesset, idem respiceret, tamquàm agens, & passum, atque id ipsum esset in actu, & potentia respectu ejusdem; quod repugnat.

74 *Nota* 2. Proprietates cujuscumque substantiæ per eamdem actionem, veluti terminum secundarium, produci, qua substantia ipsa producitur. Ratio est: *Tum*, quia ille, qui dat formam, dat consequentia ad formam, quales sunt proprietates: *Tum* etiam, quia agens naturale intendit effectum producere cum omni perfectione ipsi connaturaliter debita; at cuilibet substantiæ naturaliter debentur suæ ipsius proprietates, ut igni calor, aquæ frigiditas, &c. *Tum* denique, quia agens naturale, sicut per se primò intendit effectum in substantia assimilare, ita per se secundò intendit eumdem sibi assimilare in accidentibus, & proprietatibus.

75 *Nota* 3. Essentiam, sive substantiam in proprietates influere primò in genere causæ materialis; quatenùs proprietates in essentia recipiuntur: Secundò in genere causæ finalis; quatenùs passiones, non propter se, sed propter substantiam in statu connaturali perficiendam producuntur: Tertiò in genere causæ formalis extrinsecæ; quia, tamquam terminus primariùs actionis productivæ extrinsecè determinat ipsam, ut in sui productione non sistat, sed ulteriùs tendat ad suas proprietates, veluti terminum secundarium, producendas: sicut primarium scientiæ objectum est causa, & ratio à priori attingendi secundarium.

76 Quartò influit in genere causæ efficientis, quamvis non per actionem à se elicitam, à se tamen determinatam ratione connexionis, & exigentiæ suarum proprietatum. *Atque* hinc patet, proprietatum emmanationem à substantia consistere in actione ipsarum productiva, quatenùs ab essentia determinata ad producendas proprietates, veluti terminum

minum ipsius actionis secundarium essentiæ in primò suæ productionis instanti connaturaliter debitum, atque cum illa naturaliter connexum. Unde, quia proprietatum emanatio non stat præcisè in agentis actione secundùm se ipsam, sed quatenùs ab essentia proprietates exigente determinata; proprietates ab essentia emanare dicuntur.

77 *Resp.* jam ad arg. dist. maj. Substantia est suarum proprietatum effectiva propriè, & per veram actionem à se elicitam, nego maj. impropriè, & per actionis à generante elicitæ determinationem, seu per simplicem emanationem, concedo maj. Solutio constat ex nuper dictis. Quare semper, ac substantia est propriè effectiva, utitur principio proximo accidentali. *Sed dices* 1. Si substantia propriè effectivè non influit in suas proprietates accidentales, neque propriè influit in effectus mediis proprietatibus productos; sed hoc est falsum: Ergò.

78 *Secundò*: Quando aqua calida suam recuperat frigiditatem, dimanat ab aqua nova frigiditas; sed non per actionem agentis, aquam producentis, quæ jam non est: Ergò. *Ad* 1. Resp. neg. maj. Quamvis enim substantia propriè effectivè non influat in principium proximum accidentale, quo operatur; propriè, ut *quod*, & immediatè influit in effectum, ut sæpè diximus. (36) *Ad secundum* dici potest, in recuperatione pristinæ frigiditatis ab aqua perseverare virtualiter agentis actionem, qua frigiditas recuperetur. *Sed* melius dicatur, eam frigiditatem de novo ab aqua dimanare, sublato contrario caloris impedimento, per actionem agentis, aquam conservantis, quatenùs determinatam ab ipsius aquæ natura, perpetuò exigentis frigiditatem. (37)

79 *Instab.* (38) Si accidens proprium substantiæ fieret per simplicem emanationem Thomisticam, substantia nullo vero sensu esset principium efficiens suarum proprietatum:

(36) *V. Pal. q.* 13 *n.* 10. *& seq.* (37) *V. Pal. ubi supr. n.* 7.
(38) *Pater Lossada, tract.* 2. *disput.* 6. *cá.* 4.

Ergò. Prob. ant. Juxta Thomiſtas materia cœleſtis exigit, ut forma ſua ipſius actione producatur; ſed non ideo materia eſt aliquo vero ſenſu principium efficiens ſuæ formæ. Ergò. *Conf.* Implicat, aliquid eſſe principium efficiens alicujus effectus, quin ſit principium efficiens actionis effectus productivæ; ſed ſubſtantia nullatenùs eſt principium efficiens actionis ſuarum proprietatum productivæ; aliàs eſſet ſuæ ipſius actionis productivæ principium efficiens, cum eadem actione cauſentur: Ergò.

80 *Urg.* Quod nec per ſe immediatè influit, nec radicat virtutem immediatè effectivam effectus, nullo modo eſt principium efficiens effectus; atqui ſubſtantia, nec immediatè in ſuas influit proprietates, neque illarum effectricem virtutem radicat, cum nulla ſit: Ergò. *Adde*: Subſtantiæ productionem multoties eſſe creationem; at accidentium productio eſt eorumdem eductio, ut patet in anima rationali: Ergò non eadem actione producuntur. *Ad inſt.* nego ant. Ad prob. nego conſeq. Quia materia prima cœleſtis non determinat, veluti primarius terminus, actionem creativam ad producendam formam, ut terminum ſecundarium; ſed hæc determinatio ex agentis increati perfectione petitur à Thomiſtis: (39) Contrarium contingit in eſſentia reſpectu ſuarum proprietatum.

81 *Ad conf.* diſt. maj. Principium propriè efficiens, concedo maj. impropriè, & reductivè, nego maj. Sicut enim ſubſtantia non eſt propriè, ſed impropriè, & determinativè efficiens ſuas proprietates, eſt quoque impropriè efficiens, & determinativa actionis, non quatenùs ſui productivæ, ſed quatenùs productivæ ſuarum proprietatum; ut ſuprà diximus. *Ad urg.* ex dictis patet ſolutio: Ut enim ſubſtantia ſit principium efficiens per ſimplicem emanationem, ſufficit, eam eſſe purè determinativam actionis, qua ipſa producitur, ut ſuas ſecundariò efficiat proprietates. *Ad addit.*

(39) *V. lib. 1. quæſt. 3. artic. 2. à num. 15.*

dit. dicimus: Ex his accidentibus, quæ de potentia subjecti educuntur, excipi à Thomistis ea, quæ cum subjecto naturalem habent connexionem, qualia sunt, de quibus agimus in præsenti. (40)

82 *Ad conf.* initio arg. positam *num.* 72. responderi potest: (41) Speciem impressam non concurrere propriè effectivè ad intellectionem, sed solùm determinativè in genere causæ formalis: atque ita nulla est vis argumenti. *Secundò* responderi potest: (42) Species accidentales concurrere effectivè immediatè ad intellectionem; secùs autem eas, quæ substantia sunt, ob substantiæ perfectionem. *Tertiò* dici potest: (43) Speciem impressam effectivè ad intellectionem concurrere; non tamen immediatè, sed mediatè, medio scilicet intellectu, quem ad intellectionem determinat.

83 *Quartò resp.* (44) Speciem impressam concurrere immediatè effectivè ad intellectionem; non quidem per modum potentiæ, sed per modum objecti illam determinantis, cujus vices gerit: quamvis autem primus concursus substantiæ repugnet; non autem secundus. Ratio est: quia potentia, cum sit per se primò propter actum, debet esse ejusdem rationis, & in eodem genere cum actu, atque ita petit ab actu specificari; quod substantiæ repugnat: cæterùm, sicut objectum non est propter actum, neque actui subordinatur, sed potiùs actus objecto, à quo mensuratur, & specificatur; ita species, vices gerens objecti, non est per se primò propter actum, ad quem intellectum immediatè determinat; sed è contrà.

84 *ARGUES* 4. multipliciter. *Primò*: Unumquodque se habet ad operari, sicut se habet ad esse, cum ad esse sequatur operari; sed forma substantialis est immediatum essendi

(40) *V. lib.* 1. *q.* 4. *art.* 2. (41) *Palanc. qu. est.* 11. *num.* 35.
(42) *Collog. Div. Thom. hic, num.* 57.
(43) *Gonet in Cly. tom.* 2. *tr.* 7. *dis.* 9. *artic.* 1. *num.* 15.
(44) *Colleg. D. Thom. hic, num.* 59. *Irribar. hic, arg.* 4.

ſendi principium : Ergò. *Secundò* : Sicut de ratione actus eſt agere , ita de ratione potentiæ eſt pati , & recipere ; ſed de ratione primæ potentiæ , qualis eſt materia prima , eſt pati, & recipere immediatè : Ergò de ratione primi actus , qualis eſt forma ſubſtantialis , eſt agere immediatè.

85 *Tertiò*:Subſtantiam eſſe ſuam ipſius potentiam immediatè operativam, nullam infert imperfectionem ſubſtantiæ: Ergò. Ant. patet ; nam Deus eſt ſua potentia immediatè operativa ſine imperfectione. *Quartò* : Juxta D. Thomam: (45) *Si agere ſequitur ad eſſe in actu , inconveniens eſt , quòd actus perfectior actione deſtituatur : perfectior autem actus eſt forma ſubſtantialis , quàm accidentalis , &c.* Item: (46) *Actio formæ accidentalis dependet ab actione formæ ſubſtantialis; ſicut eſſe accidentis ab eſſe ſubſtantiæ.* Adde : juxta plures SS. Patres , potentias , & vires animæ eſſe idem cùm ipſa anima : Ergò.

86 *Ad primum* reſp. diſt. maj. Sicut ſe habet ad eſſe, quoad rationem primi principii , concedo maj. quoad rationem principii immediati , nego maj. Sicut enim forma ſubſtantialis eſt primum eſſendi , ita primum operandi principium. (47) *Ad ſecundum* , nego maj. ſi ly *ſicut* omnimodam paritatem intendat : nam potentia optimè poteſt ad ſuum actum per ſe primò ordinari ; at vero repugnat , primum actum , qualis eſt forma ſubſtantialis , ad ſuam ordinari operationem. *Ad tertium* , nego ant. & conſeq. probationis: Nam Deus ratione ſuæ infinitæ perfectionis ſuam ſecum identificat operationem ; atque adeo ſuam quoque potentiam operativam: Contrarium evenit in creaturis.

87 *Ad quartum* reſp. Div. Thomam in primo loco tribuere ſubſtantiæ , utpote actui perfectiori , actionem propriam , non à ſubſtantia immediatè , ſed mediatè prodeuntem ; appellat enim actionem ſubſtantiæ actionem ipſam accidentalem

(45) 3. *cont. c.* 69. (46) 3. *p. quæſt.* 77. *art.* 3.
(47) *V. Colleg. D. Thom. hìc, num.* 49. *&* 50.

cidentis, quatenùs in virtute substantiæ operantis : nam ibidem asserit, *quòd ex actione formarum accidentalium producuntur formæ substantiales, in quantùm agunt instrumentaliter in virtute substantialium formarum.* In secundo loco distinguit actionem substantiæ ab actione accidentis, non formaliter, sed terminativè; nam eadem actio, ut agens in virtute substantiæ, producit substantiam; & quatenùs agens virtute accidentis, accidentia. (48)

88 *Ad addit.* dicimus, SS. Patres, ubivis affirment, potentias, seu vires animæ esse ipsam animam, loquuntur de potentiis originativè, seu radicaliter sumptis; quo modo sunt ipsa anima, à quâ oriuntur, & in qua radicantur. (49) Eorum argumentorum solutio, quæ contra rationes nostras directè militant, ex probationibus ipsis facilè dissolvuntur. (50) *In fine* adverte, substantiam non esse otiosam, atque inertem respectu operationis, in quam influit radicaliter : non præcisè, quia influit in principium proximum, ut avus influit in patrem filium producentem; sed quoniam, mediante principio proximo, influit in operationem.

ARTICULUS II.

De Causa efficiente instrumentali.

1 CAusa instrumentalis illa est, quæ principali, cui subordinatur, inservit, atque ab ista virtutem recipit ad operandum; adeòque definiri potest : *Causa ministerialiter agens in virtute alterius, cui subordinatur, transeunter communicata.* Pro cujus intelligentia *nota* : (1) Tripliciter posse unam ab alia causa virtutem accipere : *Primò* quasi debitam jure naturæ; quo pacto à Deo virtutem accipiunt

(48) *V. Palanc. quæst.* 11. *num.* 29. *&* 30.
(49) *D. Thom. q. de spir. creat art.* 11. *&* 12. *apud. Irrib. hic.*
(50) *V. Colleg. Rip. hic, n.* 45. *&* 50. *& Lan. q.* 3. *art.* 4. §. 4.
(1) *V. Palanc.* 2. *Phys. q.* 20. *num.* 12. *&* 13.

cipiunt omnes cauſæ ſecundæ : *Secundò* poteſt eam accipere purè gratuitò donatam ; quomodò potentiæ naturales à Deo recipiunt ſupernam virtutem ad actus ſupernaturales : *Tertiò* miniſterialiter ; non , ut ſibi , ſeu proprio nomine agat; ſed, ut cauſæ donanti, atque ejus nomine operetur.

2 Primum itàque , ac ſecundum virtutis recipiendæ genus non ſufficit ad rationem inſtrumenti : quia quovis utriuſque modo virtutem cauſa recipiat , ſive jure naturæ , ſive gratuita donatione , eſt illa cauſæ recipientis propria , ac ſæpènumerò permanenter communicata ; quod eſt contra rationem inſtrumenti. Ad rationem igitur cauſæ inſtrumentalis requiritur virtutem accipere à cauſa principali purè miniſterialiter; non, ut ſibi propriam , neque ut per illam ſuum ſibi effectum aſſimilet ; ſed , ut per illam aſſimilet effectum cauſæ principali, cui inſervit, & ſubordinatur.

3 *Atque* hinc intelligi quoque poterit, tripliciter aliquam cauſam in virtute propria operari poſſe : *Primò* in quamtùm virtus agendi eſt ejus proprietas , ut calor ignis , lux Solis: *Secundò* , per virtutis appropriationem , quando virtus agendi , licet non ſit agentis proprietas , ſubordinatur tamen illius proprietati operativæ ; ſic lumen gloriæ , quod eſt proxima virtus videndi Deum , & charitas , quæ eſt proxima virtus Deum ſuper omnia diligendi , per ſubordinationem intellectui , & voluntati ſic homini appropriantur , ut quidquid per illa agit , propria virtute , veluti principalis cauſa operetur. (2)

4 *Tertiò* operatur aliquid virtute propria , quando virtutem operativam , quæ nec ſui proprietas eſt , neque propriæ virtuti ſubordinata , recipit permanenter ; tunc enim ipſi appropriatur , quia omne accidens eſt ſui ſubjecti,in quo permanenter , & quaſi in propria ſede recipitur : atque ideo quidquid ſubjectũ agit per illam virtutem, principaliter operatur; ſic Luna principaliter illuminat, quamvis lucem à Sole acci-

(2) *V. Goud. 1. p. Phyſ. diſp. 2. quæſt. 4. art. 5.*

accipiat ; & aqua calida principaliter calefacit , etsi ab igne recipiat calorem. Instrumentum autem nullatenùs agit virtute propria in effectum principalis agentis ; sed virtute illius ipsi transeunter communicata.

5 Ex quibus differt *primò* causa instrumentalis à principali in eo , quòd principalis agit virtute propria aliquo ex suprà dictis modo ; instrumentalis autem principalis virtute operatur. *Secundò* : Quia principalis sibi operatur,& ut *quod*; instrumentalis verò operatur principali , & ut *quo* , quatenùs ea utitur causa principalis ad suum effectum producendum. *Tertiò* : nam causæ principali propriè tribuitur effectus ; impropriè autem instrumentali : Undè artifex propriè facit cathedram ; at serra propriè non facit , sed est illud , quo fit cathedra. *Quartò* : quia principalis effectum adminùs æquare debet in perfectione , cum illum sua perfectione contineat , atque sibi effectum intendat assimilare ; secùs instrumentalis.

6 *Jam* instrumentum *dividitur* primò in physicum , & morale. Physicum est , quod physicè à causa principali movetur , vel physicè operatur ; ut malleus , & serra. Morale est , quod , vel solùm agit moraliter , ut scripturæ , & monetæ ad obligandum ; vel , quamvis agat physicè , moraliter tantùm movetur à causa principali ; ut servus , qui movetur à Domino per mandatum ad operandum. *Dividitur* secundò instrumentum physicum , de quo specialiter in præsenti , in instrumentum *quod* , & proprium , & in instrumentum *quo* , & improprium. *Primum* est suppositum quodlibet alteri deserviens , cujus virtute agit , ut baculus homini , & granum arbori. *Secundum* est virtus instrumentaria, quæ , vel ineſt causæ principali , tamquàm accidens ad operandum sibi à natura præstitum , ut calor igni ; vel ab illa instrumento communicatur , ut motio virtuosa.

7 *Dividitur* 3. in conjunctum , & separatum. Conjunctum est , quod causæ principali est unitum ; ut manus

animæ.

animæ. Separatum est, quod à causa principali separatum est; ut calamus. *Dividitur* 4. in naturale, supernaturale, & artificiale. Naturale est, quod naturæ deservit ad effectus naturales; ut pedes ad deambulandum, lingua ad loquendum. Supernaturale est, quo Deus utitur ad supernaturales effectus; ut Sacramenta ad causandam gratiam. Artificiale demùm est, quo utitur artifex ad sua artefacta; ut serra, malleus, &c.

Quæstiones aliquæ.

8 *INQUIRES* 1. An instrumentum propriè tale aliqua virtute ipsi intrinseca elevari debeat à causa principali, ut effectum principalis agentis operetur? *Resp.* affirmativè cum D. Thoma (3) asserente: *Causa instrumentalis non agit per virtutem suæ formæ, sed solùm per motum, quo movetur à principali agente. Ratio est*: Quia instrumentum, cum sit vera causa effectus principalis agentis, debet illius effectum intrinsecè præcontinere; atqui, elevatione secluſa, nullum instrumentum ex se continet effectum principalis agentis: Ergò.

9 Prob. min. Si instrumentum virtute propria contineret effectum principalis agentis, non esset causa instrumentalis, sed principalis: Ergò. Ant. patet: quia in eo præcisè differunt causa principalis, & instrumentalis, quòd prima suum ex se continet effectum; secùs instrumentalis. *Nec dicas*: Instrumentum ex se continere principalem effectum sub aliqua tantùm formalitate: *Nam* sub ea ipsa erit causa principalis, sicut est causa creata, quia continet effectum sub ratione talis entis, quamvis non sub ratione entis.

10 *Dicunt alii*, ad instrumenti causalitatem sufficere extrinsecam principalis agentis applicationem. *Sed contrà*: Quia, licet extrinseca applicatio his causis sufficeret, quæ sua intrinseca virtute effectum continent; secùs in illis, quæ sunt

(3) 3. *p. quæst.* 62. *artic.* 1.

ſunt ex ſe intrinſecè impotentes ad effectum producendum; ſed hujuſmodi eſt inſtrumentum in ordine ad effectum principalis agentis, ut nupèr diximus: Ergò. *Urg.* Vel actio, ſeu motio cauſæ principalis addit inſtrumento aliquid intrinſecum, aut non? *Si primum*: Illud erit aliqua virtus, ſeu impulſus, quo valeat, & producat effectum; quod eſt noſtra poſitio. *Si ſecundum*: Ergò, poſita illa actione, manet inſtrumentum intrinſecè invariatum, quia per aliquid purè extrinſecum nihil variatur intrinſecè: Sed anteà erat impotens ad principalem effectum: Ergò.

11 Ex his intelliges, inſtrumentum intrinſecè elevari, aut perfici per motum cauſæ principalis, quo nedum extrinſecè applicatur, verùm per quidpiam ipſi intrinſecè communicatum elevatur, & perficitur, tam in actu primo proximo, quàm in actu ſecundo, non tamen duplici, ſed unica elevatione, quæ pro priori eſt virtuoſa motio inſtrumenti, & pro poſteriori eſt illius uſus: primo modo perficit inſtrumentum in actu primò; ſecundo in actu ſecundo. (4) *At, ſi quæras*: Per quid elevetur inſtrumentum? Alii volunt eam elevationem fieri per qualitatem intrinſecè tranſeuntem communicatam: alii per virtuoſum impulſum, ſeu motionem intrinſecam inſtrumento.

12 Sed quovis modo per nos licet, illiuſmodi fieri elevationem. Congruentiùs tamen videtur, in artificiali inſtrumento fieri per virtuoſum impulſum, ſeu motionem, non qualemcumque, ſed artificioſam: ſerra enim, ſi ut cumque movetur ſuper lignum, non ſcindit ipſum artificiosè; at, ſi movetur artificioſo modo ad formam ſcamni, ſcindit artificiosè: unde motio iſta, præter extrinſecam ſerræ applicationem, eidem imprimit intrinſecum impulſum. Cæterùm in naturalibus, & ſupernaturalibus inſtrumentis potiùs per qualitatem activam videtur fieri elevatio; quia naturalibus ineſſe videtur vis quædam naturæ, qua operan-

(4) *V. Colleg. Rip. 2. Phyſ. dub. 9. num. 26.*

tur, ut pedibus ad deambulandum. Supernis quoque non videtur defficere motio ulla, niſi à Deo imprimatur qualitas ſuperna.

13 *INQUIRES* 2. An inſtrumentum ex ſe habere debeat aliquam diſpoſitionem præviam, qua diſpoſitivè operetur ad effectum principalis agentis? *Reſp.* affirmativè cum Div. Thoma (5) aſſerente: *Cauſa inſtrumentalis non participat actionem cauſæ ſuperioris, niſi in quantùm per aliquid ſibi proprium diſpoſitivè operatur ad effectum principalis agentis: ſi igitur nihil ibi ageret ſecundùm illud, quod eſt ſibi proprium, fruſtrà adhiberetur ad agendum; nec oporteret eſſe determinata inſtrumenta determinatarum actionum.* Et alibi: (6) *Inſtrumentum non perficit actionem inſtrumentalem, niſi exercendo propriam.*

14 *Ratio eſt*: Quia, ut inquit D. Thomas, ſi inſtrumentum non haberet vim aliquam diſpoſitivam, qua diſpoſitivè operaretur ad effectum principalis agentis, non eſſent determinata inſtrumenta ad actiones determinatas, ac proinde poſſet agens quovis uti inſtrumento ad quamlibet operationem, cum nihil plus unum, quàm aliud ex ſe conduceret; ſed hoc eſt manifeſtè falſum, alioquin æquè conduceret malleus, ac calamus, ad ſcribendum: Ergò. *Secundò*: Quia inſtrumentum principalis cauſæ operatur effectum, hujus virtutem miniſterialiter deferendo; quod præſtare non poteſt; niſi prævie operetur, eam virtutem deferens.

15 Hinc notari plurimùm debet, in effectu à cauſa principali, medio inſtrumento, producto, aliquid eſſe prævia inſtrumenti virtuti reſpondens; quod tamen perfectius eſt, correſpondet principaliùs principali agenti, & minùs principaliter inſtrumento, quatenùs in virtute cauſæ principalis operanti. Cæterùm inſtrumentum reſpectu illius, quod ſuæ ſibi virtuti reſpondet, dicitur cauſa principalis, quantumvis principaliori agenti, à quo movetur, ſubordinata;

&

(5) 1. *p. quæſt.* 45. *art.* 5. (6) 3. *p. quæſt.* 62. *art.* 1.

& reſpectu illius, quod media agentis elevatione operatur, dicitur inſtrumentum. Unde ſciſionis ligni, utcumque ſumptæ, ſecuris, cujus virtuti illa correſpondet, dicitur cauſa principalis, indigens tamen motione artificis, cui ſubordinatur, ut ſuperiori agenti; ſed ſciſionis ejuſdem, quatenùs artificioſæ, dicitur inſtrumentum.

16 Virtus itaque, per quam inſtrumentum ſuum ſibi effectum, velut principalis cauſa, operatur in paſſo, dicitur prævia ad virtutem, qua elevatur, veluti inſtrumentum; atque actio quoque illa, qua prædictum effectum producit, dicitur prævie diſpoſitiva ad effectum principalis agentis. Audiatur de hac re D. Thomas: (7) *Omne agens inſtrumentale exequitur actionem principalis agentis per aliquam actionem propriam, & connaturalem ſibi; ſicut calor naturalis generat carnem diſſolvendo, & dirigendo; & ſerra operatur ad perfectionem ſcamni, ſecando :: effectus autem reſpondens actioni inſtrumenti eſt prior in via generationis, quàm effectus reſpondens principali agenti :: priùs eſt enim ſectio ligni, quàm forma ſcamni.*

17 Ex quibus intelliges, in inſtrumento artificiali præviam diſpoſitionem conſiſtere in artificioſa ejuſdem diſpoſitione, quatenùs nativum pondus connotante; ex eo, v. gr. quòd ſerra dentata ſit, ſecuris accuminata, &c. In naturali autem inſtrumento in ea virtute ſita eſſe debet prævia diſpoſitio, qua inſtrumentum à natura donatum eſt, juxta indolem effectus producendi; v. gr. vis motrix, &c. In ſupernaturali demùm virtus prævie diſpoſitiva eſt virtus illa naturalis, qua operatur in paſſum, cui tribuendus eſt effectus ſupernaturalis: atque ſua cujuſque inſtrumenti reſpectiva actio dicitur prævia ad principalem effectum; v. gr. in Sacramento baptiſmi exterior corporis ablutio. Verùm in ſupernis inſtrumentis virtus, & actio ſunt ſolùm latè dipoſitivæ.

(7) 2. *Cont. cap.* 21. *num.* 6.

18 *INQUIRES* 3. An poſsit quodlibet, ut inſtrumentum, ad quemlibet effectum producendum elevari ? *Suppono* 1. cauſam creatam non poſſe quodcumque elevare ad quemlibet effectum producendum : quia nulla cauſa poteſt elevare inſtrumentum ad effectum ſua virtute non contentum; daret aliàs, quod non habet ; atqui nulla creatura continere valet ſua virtute quemlibet effectum, alioquin omnis produceret ſub ratione entis, quod arguit infinitam virtutem: Ergò. *Suppono* 2. nullam creaturam uti poſſe quovis inſtrumento : nam nulla reliquas omnes ſibi ſubjectas habet, aut eis dominatur phyſicè, ut debet inſtrumentis cauſa principalis.

19 *Reſp.* 1. Nec Deus valet quodlibet ad quemlibet operandi modum elevare. *Ratio eſt* : Quia Deus nequit aliquid elevare ad modum agendi illi repugnantem ; ſed plures ſunt agendi modi cauſis compluribus eſſentialiter repugnantes : Ergò. Min. patet ; nam repugnat eſſentialiter lapidi vivere, voluntati intelligere, intellectui velle, viſui audire, auditui videre, &c. *Unde*, quamvis Deus elevare poſsit quamcumque potentiam ad objectum, & actum, cujuſcumque conditionis ſint, modò ſub ſphœra eſſentiali ejuſdem potentiæ contineantur ; ſecùs autem ad ea, quæ ſub tota illius objecti latitudine non comprehenduntur.

20 Atque hinc intellectus, & non viſus corporeus, elevari poteſt ad videndum Angelum, atque Deum ipſum, quippè contentum ſub ratione formali objecti intellectus, quod eſt *verum* ; ſecùs ſub latitudine objecti viſus, quod eſt *lucidum coloratum*. Aqua quoque baptiſmi elevatur ad cauſandam gratiam ; ſed minimè elevari poteſt, ſuam retinens naturam inſenſibilem, ad minimum actum vitalem: nam capax eſt recipiendi ſupernam virtutem, qua gratiam inſtrumentaliter efficiat ; incapax autem actionis in ſuo principio vitalem potentiam eſſentialiter requirentis.

21 *Reſp.* 2. Deus elevare non poteſt creaturam ullam,

ut

ut sit creationis instrumentum. *Ratio est*: Quia instrumentum propriè tale debet virtute propria aliquam actionem exercere ad effectum principalis agentis, ut ex dictis constat; sed nulla creatura propria virtute operari valet, adhuc dispositivè, ad effectum creationis: Ergò. Prob. min. Nulla creatura virtute propria agere potest, nisi circa passum præexistens; aliàs aliquid ex nihilo principaliter efficeret, esset que nedùm instrumentum, sed principalis quoque creationis causa; atquì actio circa passum præexistens nullatenùs est creativa, adhùc instrumentaliter, aut dispositivè, cum creatio sit essentialiter rei productio ex nullo subjecto præsuppositò: Ergò.

22 *Deinde*: Licet posset creatura divinam à Deo virtutem, & quidem ex se ipsa creativam, participare; ea tamen virtus quatenùs participata à creatura, finita esset jam, atque ad certam sphœram determinata; non enim est capax creatura infinitæ virtutis recipiendæ: atquì finita virtus est incapax creandi: Ergò. Prob. min. *Tùm*, quia virtus finita agere non potest sub ratione universalissima entis, sed sub ratione talis, aut talis entis: *Tùm etiam*, quia inter ens, & nihil, ex quo rem producit creatio, datur infinita distantia, ad quam evincendam requiritur infinita virtus.

23 *Resp.* 3. Potest à Deo quodlibet instrumentum elevari ad quamcumque rem producendam ex passo præsuppositò. *Ratio est*: Quia Deus, cum infinitæ virtutis sit, non est certo instrumentorum generi determinatus, & coarctatus, sed uti potest quocumque instrumento, quamvis ex se improportionato, ad rem quamlibet producendam; sua enim infinita virtute quamcumque vincit improportionem. *At verò* ejusmodi instrumentum suam etiam exerceret actionem prævium latè dispositivam, ut diximus num. 17. (8)

INQUI-

(8) *V. Palanc. 2. Phys. quæst. 21. num. 9.*

24 *INQUIRES 4.* Quid, & qualis ſit potentia obedientialis? *Reſp. 1.* Potentiam obedientialem ſtrictè ſumptam nihil aliud eſſe, niſi rerum omnium aptitudinem, ut Deo ſubdantur, & obediant. (9) In eo autem differt à potentia naturali, quod naturalis potentia ex ſe ſola, aut per principia ſibi debita eſt potens ad effectum; obedientialis autem, neque ex ſe, neque cum principiis ſibi debitis eſt ſufficiens ad producendum effectum. Conſiſtit itaque potentia obedientialis in ipſa creaturæ entitate, quatenùs elevabili ad effectus ſupernaturales. Alia dicitur paſsiva ad recipiendam formam, ſeu effectum indebitum, ut animæ potentia ad recipiendam gratiam: alia activa ad eliciendam operationem, naturalis potentiæ vires excedentem, ut potentia intellectus ad videndum Deum.

25 *Reſp. 2.* potentiam activam obedientialem, quatenùs talem, non eſſe immediatè, ſed mediatè ſolùm activam ſuorum effectuum. (10) *Ratio eſt 1.* Quia nulla potentia poteſt eſſe immediatè, & ratione ſui activa, niſi reſpectu effectus in ipſa contenti, atque ſub ea ratione, qua in illa continetur; ſed reſpectu effectus ita in potentia contenti nulla eſt potentia obedientialis, ſed naturalis: Ergò. Patet min. quia potentia dicitur obedientialis ſolùm reſpectu effectuum ipſam ex ſe ipſa excedentium. *Secundò:* Quia potentia obedientialis, non eſt immediatè activa actione purè naturali, alioquin eſſet purè naturalis; ſed neque actione ſupernaturali, aliàs eſſet per ſe primò propter actionem ſupernam, ab ea ſpecificaretur, eſſetque potentia entitativè ſupernaturalis: Ergò. (11)

26 *Tertiò:* Quia, ſi daretur in creatura obedientialis potentia immediatè activa, *ſequeretur 1.* dari in natura quædam gratiæ, rerumque ſupernaturalium ſemina; quod eſt nefan-

(9) *V. D. Thom. quæſt. 6. de pot. art. 1. ad 18.*
(10) *V. D. Thō. q unic. de ver. ar. 10. ad 2. & 1. 2. q. 109. ar. 1.*
(11) *V. Palanc. q. 22. à num. 8. Lang. lib. 2. q. 5. art. 3.*

nefandus Semipelagianorum error : *Sequeretur* 2. quòd frustrà ponerentur in homine supernaturales habitus, frustrà insuper admitteretur lumen gloriæ ad videndum Deum; sed hoc est absurdum : Ergò. Prob. sequela : Frustrà per plura fiunt, quæ possunt fieri per pauciora ; sed juxta vos, per solam potentiam obedientialem, & supernaturalem Dei concursum potest homo supernos actus elicere ; atque Deum ipsum videre: Ergò. (12)

27 Ex quibus *inferes* 1. potentiam obedientialem ex se ipsa esse merè passivam, proximè capacem recipiendi virtutem superioris ordinis, qua mediantè, effectus suam naturalem activitatem excedentes operetur. *Inferes* 2. potentiam naturalem immediatè, & ratione sui concurrere ad effectus supernaturales, sed remotè tantùm, & ut tota enim proxima ratio agendi est virtus supernaturalis: sicut tota proxima ratio agendi in naturalibus est accidens non substantia. (13) *Nec* inferas, liberum arbitrium merè passivè se habere ad actus supernaturales : *Quia* liberum arbitrium, atque naturales potentiæ activè influunt, non immediatè, & per modum virtutis, sed mediatè, & virtute superaddita. Sed hæc Theologorum interest disputare.

SOLVUNTUR ARGUMENTA CONTRARIA.

28 *ARGUES* 1. contra resolut. primi quæsiti : Plura sunt instrumenta, quæ sola extrinseca principalis agentis applicatione operantur : Ergò non indiget instrumentum intrinseca virtute elevativa. Prob. ant. Calor per conjunctionem cum substantia in matris utero carnem producit ; phantasma per conjunctionem cum intellectu producit speciem intelligibilem ; color per conjunctionem cum luce producit speciem visibilem : Ergò. *Resp.* calorem in primis

(12) *V. Gonet* 1. *p. Clyp. tract. quæst.* 5. *art.* 3. §. 3.
(13) *V. Pal. ubi supr. à n.* 15. *& Lang. ubi supr. num.* 386.

primis non esse propriè instrumentum, de quo in præsenti, sed impropriè, & principali agenti intrinsecè conjunctum; quapropter valet ejusmodi effectus, ut *quo*, producere: non ita separata instrumenta; ut serra, malleus, ob oppositam rationem.

29 *Insuper*: quod attinet ad phantasma, & colorem, dicimus, illud recipere spiritualem intellectus, hunc materialem lucis illuminationem, qua elevantur ad illas species instrumentaliter producendas. *Dices*: Semen plantæ est alterius plantæ generationis instrumentum; sed non recipit intrinsecam ullam elevationem generationis tempore, cum sit à planta, quæ ipsum produxerat, valdè separatum: Ergò. *Resp.* semen plantæ, & cujusvis alterius viventis secum afferre vitalem quamdam ejusdem elevativam qualitatem, à planta ipsa, cujus erat semen, communicatam; quæ non in ea seminis portione residet, quam convertit in arborem, sed in quibusdam partibus subtilioribus, quæ, crassiorum partium in arborem resolutione facta, subitò dissipantur, ut Authores sunt Arist. & D. Thomas. (14)

30 *Instab.* Virtus, qua instrumentum elevatur, non inhæret ipsi permanenter, connaturaliter, & ab intrinseco; sed *virtus, quæ est in semine, est virtus permanens ab intrinseco*, ut cum D. Thoma (15) explicat solutio: Ergò. *Resp.* dist. maj. Non inhæret permanenter instrumento artificiali, seu voluntariè assumpto, concedo maj. instrumento naturali, sub distinguo: principaliter, concedo majorem, ministerialiter, & delativè, nego majorem. Instrumentum enim naturale, cum sit à natura destinatum, connaturaliter exigit à causa principali virtutem accipere, eamque retinere quandiù ad naturalis effectus productionem requiritur. (16)

Ad

(14) *Arist. & D. Thom. apud. Goud. hic.*
(15) *Quæst. unic. de Anim. artic.* 11. *ad* 2.
(16) *V. Palanc. quæst.* 20. *num.* 37.

31 Ad rem D. Thomas: (17) *Semen tandiù intelligitur moveri ab anima generantis, quandiù ibi remanet virtus impreſſa ab anima, licet corporaliter ſit diviſum: ſicut ſagitta tandiù movetur à projiciente, quandiù manet vis impulſus projicientis.* Virtus itaque ſeminis, motuſque ſagittæ in eo conveniunt, quòd, abſente generante, ac projiciente, durant: aſt differunt, quia motus non eſt ſagittæ connaturalis, & ab intrinſeco, ut virtus generativa ſemini; ideoque permanet in his iſta, quandiù ſemen naturale ſervat temperamentum; deficit autem ſagittæ impulſus, ſagitta perſeverante.

32 *Inſtab.* adhuc: Per virtutem fluentem, & tranſeuntem produci non poteſt forma permanens; ſed inſtrumentæ etiam artificialia, ſæpè aſſumuntur ad producendam formam permanentem: Ergò. *Conf.* Caracter conſtituit ſacerdotem in eſſe inſtrumenti ad conficienda ſacramenta; ſed eſt forma permanens: Ergò. *Ad inſt.* diſt. maj. A cauſa principali, concedo; hæc enim debet effectum æquare: A cauſa inſtrumentali, nego maj. (18) *Ad conf.* diſt. maj. deſignativè, & in actu primò, concedo maj. actualiter, & in actu ſecundò, nego maj. In actu enim ſecundo per virtutem à Deo tranſeunter communicatam conficit ſacramenta.

33 *Replic.* Plura ſunt inſtrumenta corporea, & naturalia ad effectus ſpirituales, & ſupernos, qualia ſunt novæ Legis ſacramenta; ſed hæc non recipiunt virtutem ullam ad ſimiles effectus producendos: Ergò. Prob. min. Illa virtus eſſet ſpiritualis, & ſuperna, cum ſit ad ſpirituales, ſupernaturaleſque effectus producendos; ſed virtus ſpiritualis, & ſuperna in corporeo, naturalique ſubjecto recipi non poteſt: Ergò. Prob. min. Virtus corporea recipi non poteſt in ſubjecto ſpirituali: Ergò.

(17) *Quæſt.* 3. *de Poten.*

(18) *V. Div. Thom. quæſt.* 27. *de Verit. art.* 4. *ad* 5.

34 *Reſp.* neg. min. Ad prob. nego min. & conſequent. prob. *Diſparitas eſt* 1. Quia agens inferioris ordinis, quale eſt inſtrumentum corporeum, & naturale reſpectu ſupernaturalis, & ſpiritualis agentis, moveri, agerique poteſt à cauſa ordinis ſuperioris; adeoque illius virtutem participare valet: at verò agens ſuperius ab inferiori moveri non poteſt; atque ideo hujus virtutem nequit participare. *Secundò*: Quia forma actuare, & perficere debet ſubjectum, in quo recipitur; quod præſtare nequit ſubjecto ſpirituali accidens corporeum, benè verò corporeo ſubjecto accidens ſpirituale. *Tertiò*: Quia accidens corporeum, quatenùs tale, exigit in ſubjecto extenſionem; ſpirituale autem non pugnat cum extenſione ſubjecti, ut patet in anima rationali reſpectu corporis. (19)

35 Pro aliorum ſolutione *nota* 1. quod inſtrumentum præter motionem generalem à Deo, elevari quoque debet ab agente particulari, cujus eſt inſtrumentum; nam illa Dei motio eſt purè applicativa, neutiquam elevativa: Imò inſtrumentum à Deo aſſumptum applicari, elevarique debet. *Nota* 2. quòd motio inſtrumenti non debet eſſe formalis præcisè, ſed ſufficit virtualis; ut, ſi ſuper ſerram immotam moveatur lignum ad ſciſionem. *Nota* 3. Cauſam perfectiorem non poſſe quoſcumque inferiores effectus producere, niſi eos tantùm, qui ſub illius virtutis ſphœra continentur. (20)

36 *ARGUES* 2. contra reſolut. ſecundi quæſiti: Inſtrumentum ſupernaturale nullam habet ad ſupernaturalem effectum prævíam diſpoſitionem: Ergò. Patet ant. in ſacramentis novæ Legis, quæ ſunt inſtrumenta ad Gratiam, in igne inferni ad torquendos ſpiritus, in ſanctorum reliquiis ad ſuſcitandos mortuos, &c. *Reſp.* diſt. antec. Nullam habet diſpoſitionem prævíam immediatam, & propriè talem, conce-

(19) *V.D.Thom.apud Lang. hìc, num.*820. *V. à num.*826.

(20) *Vide alia apud Lang. hìc, num.*815.818.820. *& ſeq.*

concedo ant. mediatam, & impropriè talem, nego ant. & conſeq. (21) Inſtrumenta ſuperna ſolùm habent pro prævijs diſpoſitione, & actione eam naturalem virtutem, & actionem, quibus Deus uti voluit ad determinandam, & defferendam virtutem ſupernaturalem ad effectum producendum.

37 Atque hinc intelliges, quòd in aqua baptiſmi diſpoſitio ablutiva, atque ipſa exterior corporis ablutio ſunt diſpoſitio prævia, ac prævia actio ad cauſandam gratiam regenerativam: Idem diſcurre de aliis ſacramentis. *Quod* attinet ad ignem inferni, virtus calefactiva, atque ipſa calefactio, quibus Deus utitur ad ſpiritus alligandos, dicuntur virtus, & actio prævia latè diſpoſitiva. *Cæterùm* Sanctorum reliquiæ ſunt inſtrumenta moralia ad ſuſcitandos mortuos: his autem non concedimus præviam diſpoſitionem, ut phyſicis inſtrumentis.

38 *Dices*: Si inſtrumentum ullum haberet actionem prævium, hæc eſſet indiſtincta ab actione cauſæ principalis: Ergò. Maj. patet; nam ad unicum effectum unica ſufficit actio. Prob. min. Implicat, quòd eadem actio à duplici cauſa procedat: Ergò. *Reſp.* diſt. ult. ant. A duplici cauſa ejuſdem generis, & ſub eadem ratione, concedo ant. diverſi generis, ſubque diverſa ratione, nego antec. & conſequent. Actio effectus productiva principaliter à principali cauſa, & miniſterialiter ab inſtrumento efficitur: (22) Sicut primus amor finis effectivè à voluntate, motivè à fine in probabili ſententia procedit.

39 *ARGUES* 3. contra ſecundam reſp. quarti quæſiti: Si potentia obedientialis non eſſet immediatè activa effectuum ſupernaturalium, tota ratio immediatè agendi ſupernaturaliter eſſet virtus ipſi potentiæ ſuperaddita; ſed hoc eſt falſum: Ergò. Prob. min. 1. Si tota ratio immediatè agendi

(21) *Aliter Colleg. Rip. hìc à num.* 15.

(22) *V. Lang. hìc, num.* 839.

di ſupernaturaliter eſſet ſuperna virtus ſuperaddita, potentia naturalis merè paſsivè ſe haberet ad actus ſupernaturales; ſed hoc damnatum eſt in Tridentino: (23) Ergò. *Prob. 2. ipſa min.* Si potentiæ animæ non influerent immediatè ad actus ſupernaturales, per ipſos actus anima non viveret; eſt enim vita actus ab intrinſeco proveniens; ſed hoc eſt falſum apud omnes: Ergò.

40 *Prob. 3. illa min.* Amor ſupernaturalis eſt liber; ſed non eſſet liber, niſi immediatè procederet à voluntate: Ergò. Prob. min. Actus non procedens immediatè à principio libero in actu primo, non eſt liber; ſed habitus charitatis, à quo ſolùm per nos, immediatè procedit, non eſt liber in actu primò: Ergò. *Conf.* Datur in Deo abſolutiſsimum in creaturas dominium, atque in his perfectiſsima ſubjectio ad obediendum Deo: Ergò. *Adde*; quod juxta D. Thomam: *Sicut creaturæ ineſt potentia obedientialis, ut in ea fiat quidquid creator diſpoſuerit; ita etiam, ut, ea mediante fiat, quod eſt ratio inſtrumenti.*

41 *Ad arg.* nego min. *Ad 1. ejus prob.* nego maj. Quia licet potentia naturalis merè paſsivè ſe habeat ad recipiendam virtutem, ſeu habitum operativum; illo mediante, activè procedit ad eliciendos actus ſupernaturales, non quidem proximè, & immediatè, ſed mediatè, & remotè. *Aut* dici poteſt, eam agere immediatè, non immediatione virtutis, ſed potentiæ. *Si dicas*: potentiam non agere media virtute propria, ſed extrinſecè communicata: Ergò non agit mediatè. *Reſp.* eam virtutem non eſſe propriam potentiæ; eſſe tamen ipſi appropriatam, & propriè ſuam, ut patet ex dictis num. 3.

42 *Ad 2. ipſius min. prob.* nego majorem, quin obſtet ejus implicita probatio: Nam actus ſupernaturales, & ſunt mediatè ab intrinſeco potentiæ, & ſunt immediatè à virtute ſupernaturali ipſi potentiæ intrinſeca, & propria; adeò-

que

(23) *Seſſ. 6. can. 4.*

que vitales sunt, nedum sub ratione communi actus, sed sub ratione etiam supernaturalitatis. *Ad* 3. *illius min.* prob. nego min. *Ad prob.* dist. min. Non est liber, ut *quod*, concedo min. ut *quo*, nego minorem, & conseq. Quamvis enim habitus voluntatis non sit ex se indifferens, est determinativus potentiæ ex se indifferentis ad alterum libertatis exercitium, adeoque est ut *quo* liber. (24)

43 *Ad conf.* nego conseq. Quia, ut perfectum Dei dominium, atque perfecta creaturæ subjectio salvetur, sufficit potentia obedientialis creaturæ immediatè receptiva, & mediatè activa effectuum quorumcumque non repugnantium: ita enim valet Deus in ipsis, de ipsis, atque illis mediantibus, quidquid Creator ipse disposuerit. *Atque* hinc patet solutio ad *Addit.* & explicantur facile Sanctorum Patrum authoritates, quibus solùm innuitur Deum posse quidquid voluerit facere de creaturis; at non sine elevatione.

ARTICULUS III.

De Causa Finali.

1 FInis lato sensu dici solet quidquid in aliqua serie est ultimum; ut ultima libri pagina dicitur finis libri, & cujusque rei complementum, atque cessatio ejusdem, quoquè finis appellari solet; ut navis finita dicitur, quando completa est, & mors dicitur finis vitæ. Sed in præsenti finem sumimus pro termino, quem agens quodlibet sibi ad agendum proponit, & cujus amore operatur: Ideo definiri solet: *Id, cujus gratia fit aliquid.* Ejusdem divisiones suprà (1) dedimus. Quemadmodùm verò illud *finis* dicitur, cujus amore agens quidquam operatur; sic ea omnia, quæ propter finem ab agente, aut operantur, aut intenduntur, appellantur *media* ad ejusdem finis consequutionem.

Quan-

(24) *V. Palanc. q.* 22. *n.* 27. (1) *Qu. est.* 1. *art.* 1. *à n.* 18.

2 Quandoquidem verò finalis causa illa est, cujus amore ea omnia fiunt, quæ sunt illius effectus; eidem bonitatem quamdam, aut veram, aut apparentem inesse, qua voluntatem, aut appetitum alliciendo ad agendum moveat, necesse est: bonum enim est, quod omnia appetunt; malum autem, quod omnia fugiunt. Sed *quia nihil volitum, quin præcognitum*, ut vulgò dici solet; in eodem fine bonitas nedùm esse, sed percipi quoque, apprehendique debet. Atque hinc, ut finis causet, concurrit bonitas finis, bonitatis apprehensio, atque exercitium illud, quo finis voluntatem allicit, seu intentionaliter, ac metaphoricè, non propriè, & physicè, movet ad operandum ea, quæ ad finem ordinantur.

Nonnullæ quæstiones.

3 *INQUIRES* 1. Quænam sit ratio formalis constitutiva finis in actu primo; seu, per quid constituatur finis proximè potens movere voluntatem ad operandum? *Resp.* 1. Malum, cognitum ut tale, nequit habere rationem finis. *Ratio est*: Quia nemo, intendens in malum, operatur, ut omnes ex Dionisio, duce experientia, docent. *Deinde*: Quia id solùm habet rationem finis, quod est appetibile; sed malum, ut tale, non est appetibile: Ergò. Prob. min. Illud est appetibile, quod est *appetitui* conveniens; sed malum, ut tale, non est appetitui conveniens, sed disconveniens: Ergò. *Demùm*: Finis debet esse gratus voluntati; est enim id, cujus gratia fit aliquid; sed malum, ut tale, est illi ingratum: Ergò.

4 *Resp.* 2. Apprehensio, sive cognitio bonitatis non est ratio formalis constitutiva finis in actu primo. *Ratio est* 1. Quia ratio formalis constitutiva finis fini soli convenire debet; sed apprehensio his omnibus convenit, quæ voluntati objiciuntur, sive ut finis, sive ut media: Ergò. *Secundò*: Quia ratio formalis constitutiva finis ea esse debet, quæ moveat appetitum, quam appetitus ipse intendat, qua demùm, semel possessa, quiescat; sed hæc omnia non competunt bonitatis

nitatis apprehenſioni: Ergò. Min. patet: Voluntas enim non boni cognitionem, ſed bonitatem cognitam appetit; avarus, non divitiarum ſcientiam, ſed divitias perquirit; ægrotus, non ſanitatis cognitionem, ſed ſanitatem ipſam deſiderat.

5 *Reſp.* 3. Ratio formalis conſtitutiva finis in actu primo eſt bonitas appehenſa, ſive vera, ſive apparens. *Ratio eſt*: Quia illud conſtituit finem in actu primo, quod ipſum conſtituit per ſe, & ratione ſui appetibilem à voluntate; ſed bonitas finis cognita, ut talis, ipſum conſtituit per ſe, & ratione ſui à voluntate appetibilem: Ergò. Patet min. Quia ſola bonitas eſſe poteſt voluntati motivum amoris, deſiderii, & gaudii; conſequenter, & cujuſcumque actus appetendi. *Adde*: bonitatem eſſe quæ movet appetitum, quam appetitus intendit, qua demùm poſſeſſa, quieſcit: Ergò.

6 Sed duo nota: *Primum* eſt, finis bonitatem quandoque veram eſſe, quandoque ſolùm apparentem, atque ab intellectu falsò propoſitam voluntati: ſed quoquo modo ſe habeat, verè conſtituit finem in actu primo; quia voluntas eo tendit, ut, rationis ductum præſequens, bonum ab intellectu propoſitum aſſequatur. *Secundum* eſt, bonitatis apprehenſionem eſſe neceſſariam conditionem, ut bonitas ipſa finem in actu primo proximo conſtituat appetibilem, non ſecùs, ac ignis approximatio ad comburendum: quia nihil volitum, quin præcognitum.

7 *INQUIRES* 2. Quænam ſit cauſalitas cauſæ finalis; ſeu per quid formaliter conſtituatur finis in actu ſecundo? *Reſp.* 1. Finis cauſalitatem eſſe allicientiam illam, qua finis voluntati propoſitus ipſam metaphoricè movet ad mediorum electionem, alioſque actus ad finem conducentes. *Ratio eſt*: Quia finis cauſalitas eſt ejuſdem exercitium, quo voluntas movetur, ac trahitur à bonitate finis; ſed ejuſmodi exercitium eſt finis allicientia, qua voluntatem allicit, & invitat per ſuæ bonitatis illecebram ad ſui ipſius conſequutionem:

nem : Ergò. Unde allicientia illa quodammodò dicitur tractio, & impulsus, juxta illud Poetæ : *Trahit sua quemque voluptas*; & solùm metaphoricè est motio, quia propriè non movet, sed invitando solùm per bonitatis ostensionem.

8 *Resp.* 2. allicientiam illam, in qua finis causalitas consistit esse primum voluntatis actum erga finem, scilicet primum amorem finis, quatenùs de ipso fine motivè, seu impulsivè procedit. *Ratio est* : Quia causalitas finis est actualis illa motio, qua finis movet voluntatem, ut dictum est; sed talis motio est primus amor finis, quatenùs motivè procedit à fine : Ergò. Prob. min. Motio illa nequit antecedere primum amorem finis : Ergò. Prob. antec. Ante primum amorem finis, nulla datur actualis motio finis, nullum etiam actuale exercitium, quo finis attrahat voluntatem: Ergò. Ant. patet; aliàs assignent, in quo illa motio, in quo exercitium illud consistat.

9 *Nec dicas*, motionem illam esse finis bonitatem, quatenùs per intellectum voluntati propositam eam sympaticè movet ad primum sui amorem, aliosque voluntatis actus; adeoque dici motionem sympaticam. *Quia* per bonitatem præcisè, ut propositam voluntati, solùm constituitur voluntas in actu primo mota, & excitata à fine; est enim bonitas apprehensa ratio formalis constitutiva finis in actu primò: Ergò, ut in actu secundo moveatur à fine, debet assignari exercitium aliquod, præter bonitatem voluntati propositam. *Urg.* Motio actualis, qua voluntas movetur à fine, est libera in actu secundo voluntati, cum voluntas à fine liberè moveatur; sed motio præcedens omnem voluntatis actum, non est in actu secundo libera voluntati, cum non sit voluntatis exercitium: Ergò.

10 Pro majori intelligentia nota, quòd finis propositus voluntati, ratione suæ bonitatis voluntatem movet purè objectivè, & in genere causæ formalis extrinsecæ ad primum

mum sui amorem, sicut verum movet intellectum, & visum lucidum coloratum; at medio sui amore voluntatem allicit, & quodammodò excitat in genere causæ finalis ad finis intentionem, ad mediorum electionem, aliosque actus voluntatis. Atque hinc amor ille est quasi pondus quoddam voluntatem quasi impellens versùs finem, ut Augustinus expræsit: *Amor meus pondus meum, eò feror, quocumque feror.*

11 *INQUIRES* 3. Quinam sint finis effectus? *Resp.* ea omnia esse finis effectus, quæ finis amore à voluntate producuntur. Undè, quæcumque actio exterior fiat propter finem, est finis effectus; quicumque etiam internus actus, sive intellectus, sive voluntatis, quales sunt intentio finis, mediorum electio, atque discretio, eorum executio, &c. ad hæc enim omnia, sive elicienda, sive eligenda, aut ad movendam potentiam eorum executivam movetur voluntas per primum amorem finis, cujus gratia ea omnia fiunt.

12 *INQUIRES* 4. Quænam agentia, & quatenùs agant propter finem? Tripliciter agi potest propter finem, videlicet purè exclusivè, apprehensivè, & directivè. Agere propter finem *purè executivè*, est ponere media ad finem ex se conducentia absque ulla finis apprehensione. Agere propter finem *apprehensivè*, est ponere media ad finem, apprehensa priùs finis bonitate, non tamen finis formalitate, seu illius cum mediis proportione. Agere demùm propter finem *directivè*, est ponere media ad finem, apprehensa priùs nedùm finis bonitate, sed ejus quoque cum mediis proportione, horumque ad finem utilitate.

13 *Resp.* jam ad *quæsitum* 1. Omnia agentia naturalia, & insensibilia agunt propter finem purè executivè. *Ratio est*: Quia agere propter finem purè executivè, est aliquid agere ex se conducens, & ad finem ordinatum absque prævia apprehensione finis; sed naturalia agentia quidquid operantur, ad certos Divinæ Providentiæ fines exequuntur,

quin ejuſmodi fines apprehendant : Ergò. Patet min. Siquidem hæc Mundi univerſitas, non modò eſt à Deo condita, ſed ad aliquem quoque finem ordinata, ad quem proinde omnium rerum operationes diriguntur. *Adde* : Res omnes naturales ordinatæ ſunt, ut experientia docet ; ſed ex his, quæ ordinata ſunt, unum eſt propter aliud, tamquàm finem : Ergò.

14 *Reſp.* 2. Bruta agunt propter finem, non ſolùm executivè, ſed etiam apprehenſivè ; non autem directivè. *Ratio primi eſt* : Quia, ut experientia oculari nobis perſpectum eſt, bruta ordinatiſsimè operantur, nidificando, fœtus educando, de neceſſariis ſibi providendo ; aliunde finis bonitatem apprehenduut, ut equus pabuli bonitatem, irundo regionum commoditatem, &c. Ergò. *Ratio ſecundi eſt* : Quia cognitio proportionis mediorum ad finem, in quantùm talem, eſt diſcurſiva, & rationalis brutis repugnans ; ſed hæc requiritur ad agendum propter finem directivè: Ergò.

15 Prob. maj. Cognitio proportionis mediorum ad finem, in quantùm talem, eſt cognitio mediorum, quatenùs formaliter ad finem conducentium ; ſed hujuſmodi cognitio rationalis eſt, & diſcurſiva : Ergò. Prob. min. Ejuſmodi cognitio formaliter diſcernit media conducentia à non conducentibus ; ſed talis cognitio eſt rationalis, & diſcurſiva: Ergò. *Unde*, brutorum opera, quibus tam miro ordine ſuos fines aſſequuntur, ut homines ipſos excedere videantur, ſunt ab ipſis animalibus executivè, ordinativè autem ab Authore naturæ ; alioquin perfectior brutis, quàm homini, cognitio concedenda eſſet.

16 *Reſp.* 3. Agens intellectuale, quales ſunt Deus, Angelus, & Homo, agit propter finem, non ſolùm executivè, & apprehenſivè, ſed etiam directivè. *Ratio eſt* : Quia agens intellectuale cognoſcit proportionem mediorum cum fine, eorumque utilitatem cum finis dignitate ponderans, minùs apta reſpuit, eligit aptiora ; ſed hoc eſt agere propter

ter finem, nedùm executivè, & apprehensivè, sed etiam directivè: Ergò.

SOLVUNTUR ARGUMENTA CONTRARIA.

17 *ARGUES* 1. contra primam resolut. primi quæsiti: Voluntas libera fertur in bonum, ut ad finem: Ergò potest etiam ferri in malum ut ad finem; consequenter malum, ut tale habere potest rationem finis. Prob. conseq. Eadem est potentia oppositorum; sed bonum, & malum sunt opposita: Ergò. *Resp.* dist. maj. prob. Eadem est potentia oppositorum eodem modo tendens ad opposita, nego maj. diverso, & oppositò modo tendens, concedo maj. Voluntas est potentia in bonum, & in malum; sed bonum respicit prosequendo, malum autem fugiendo: sicut intellectus respicit verum assentiendo, & falsum dissentiendo.

18 *Dices*: Potentia libera, qualis est voluntas, ad opposita ferri potest prosequendo: Ergò. Prob. ant. Potentia libera est indifferens ad utrumlibet: Ergò. *Resp.* dist. antec. Ad opposita ferri potest prosequendo, quatenùs opposita subindui possunt formali ratione talis potentiæ, concedo antec.: aliter, nego ant. & conseq. Voluntas itaque ferri potest ad amorem, & odium, ad tacendum, & loquendum, imò ad id, quod secundùm se est absolutè bonum, & ad id, quod est absolutè malum secundùm se; at verò ad hæc omnia ferri potest, quatenùs vel participant verè rationem boni, vel tamquàm bona ab intellectu falsò proponuntur.

19 *Instab.* Voluntas in malum tendere potest sub specie mali: Ergò. *Prob. ant.* 1. Diabolus appetit peccatum, ut malum morale: Ergò. Prob. ant. Diabolus appetit peccatum, quatenùs est injuria Dei; sed ita malum morale est: Ergò. *Prob.* 2. *idem ant.* Qui peccat ex pura malitia, vult peccatum, ut malum, non ita, qui peccat ex infirmitate, volens peccatum, ut bonum sensibile: Ergò. *Resp.* nego

ant. *Ad* 1. *prob.* dist. maj. prob. Quatenùs est injuria Dei præcisè, nego maj. & quatenùs vindictam sibi assumere tentat de Deo, quem, ut inimicum apprehendit, concedo. Et in hoc bonum quoddam sibi Diabolus pollicetur.

20 *Ad* 2. ejusdem ant. prob. dist. ant. Vult peccatum, ut malum præcisè, nego ant. quatenùs in peccato, ut malo, percipit bonum aliquod, aut delectionis, aut independentiæ à divina lege, concedo ant. & nego conseq. Qui peccat, sive ex infirmitate, sive ex malitia, intendit pro fine aliquod bonum apparens: sed cum hoc discrimine, quòd peccans ex infirmitate judicat peccatum sibi bonum; non, ut transgressivum legis, sed quatenùs fanativum passionis, & saciativum appetitus: ille verò, qui ex pura malitia peccat, vult peccatum, ut legis transgressivum, ipsam quoque transgressionem, ut bonam appetendo, quatenùs depravata voluntas, transgressionibus assueta, in illis delectatur.

21 *Replic.* Qui odit inimicum, vult malum inimici: Ergò respicit malum, ut finem. *Conf.* Qui alteri invidet, illius bono adversatur: Ergò illius malum intendit. *Ad replic.* dist. ant. Vult malum inimici, ut tale præcisè, nego ant. quatenùs apprehensum, ut bonum sibi, concedo antec. & nego conseq. In ipso enim malo inimici percipit bonitatem respectu sui. *Ad conf.* pariter, dist. antec. Adversatur illius bono, ut tali præcisè, nego ant. quatenùs apprehenso, ut malo invidentis, concedo ant. & dist. conseq. pari modo. Solutio ex dictis facilis est. *Advertè*, quòd fuga terminatur ad malum, veluti ad terminum aversionis, sed ex fine commutationis in bonum, cui malum illud adversatur.

22 *ARGUES* 2. contra 2. resolut. ejusdem quæsiti: Voluntas sæpè amat, ut bonum, quod in re malum est; sed tunc ratio formalis, qua illud objectum constituitur amabile, non est bonitas: Ergò est apprehensio. *Si dicas*: Esse bonitatem,

nitatem, non quæ realiter conveniat objecto, ſed quæ falsò, & fictè in ipſo à voluntate apprehendatur. *Contrà*: Nam bonitas objecto falsò applicata eſt bonitas ficta; ſed bonitas ficta incapax eſt movendi voluntatem: Ergò. Patet min. Quia ficta bonitas, cum verè non ſit ens, neque pertinet ad objectum voluntatis.

23 *Ad arg.* reſp. approbando ſolutionem datam: Quia voluntas, cum ſit potentia cœca, id amat, quod ab intellectu, tamquàm bonum, ipſi proponitur; atque illud odit, quod, veluti malum, ei repræſentat: at verò ratio formalis movendi voluntatem eſt bonitas objectiva ab intellectu ex parte objecti repræſentata, apprehenſione ſe habente tamquàm neceſſaria conditione. *Ad impug.* in oppoſitum, diſt. maj. Eſt ficta formaliter, & reduplicativè, ut applicata, concedo maj. materialiter, & ſecundùm ſe ipſam, neg. maj. Bonitas illa ex ſe realis eſt; falsò tamen, ac fictè applicata ſubjecto: conſequenter movere poteſt voluntatem ad amorem objecti; quia non movet ficta applicatio, ſed bonitas applicata.

24 *Dices*: Apprehenſionum diverſitas diverſificat potentias appetitivas, atque ejuſdem voluntatis actus; ſed ratio formalis diverſificativa potentiæ eſt ejuſdem ſpecificativa: Ergò apprehenſio eſt ratio formalis ſpecificativa voluntatis ex parte finis. *Prob. maj.* 1. Bonitas apprehenſa per imaginationem ſpecificat appetitum ſenſitivum; ſed apprehenſa per intellectum ſpecificat appetitum rationalem, qui eſt voluntas: Ergò. *Secundò*: Bonitas apprehenſa, ut præſens, ſpecificat gaudium, & apprehenſa, ut abſens, ſpecificat deſiderium; ſed gaudium, & deſiderium ſpecificè diſtinguuntur: Ergò.

25 *Reſp.* nego maj. *Ad 1. prob.* dicimus, bonitatem, ut apprehenſam per imaginationem, & quatenùs apprehenſam per intellectum, eſſe materialiter, & entitativè eamdem; diverſam tamen formaliter in eſſe convenientis reſpectu appeti-

petitus : nam primo modo apprehensa est conveniens naturæ sensitivæ, & secundo modo naturæ rationali : Quare ratio formalis diversificandi appetitum est convenientia ex parte objecti apprehensa, apprehensione se habente, ut conditione. *Ad 2. prob.* pariter dicimus, diversam esse formaliter bonitatem apprehensam, ut præsentem, ac, ut absentem; majorem enim convenientiam inducit bonitas præsens, aut possessa, quàm absens, & futura.

26 *Atque* inde, malum etiam apprehensum, ut præsens, causat tristitiam; apprehensum autem, ut absens, timorem inducit : quia diversam causat disconvenientiam malum præsens, ac absens. *Ex dictis* patet insuper, apprehensionem esse conditionem omninò necessariam, ut bonitas objecti sit ratio formalis finalizandi : atque ideò per modum conditionis quodammodo finalizat, objectum reddens voluntati proportionatum. Unde patet solutio ad ea, quæ ex D. Thomâ (2) nobis opponuntur.

27 *ARGUES 3.* contra 2. resolut. secundi quæsiti: Causalitas finis est motio quædam, qua voluntas à fine movetur; sed voluntas, pro priori ad primum amorem finis, movetur à fine : Ergò. *Prob. min.* 1. Ideò voluntas primò amat finem, quia movetur, & excitatur à fine : Ergò. *Secundò* : Primus amor finis est effectus finis; sed voluntas est mota à fine ante finis effectum : Ergò. *Conf.* Primus amor finis est causalitas voluntatis : Ergò nequit esse causalitas finis. Tenet conseq. Idem enim nequit esse causalitas causæ efficientis, & finalis.

28 *Ad arg.* resp. dist. min. Pro illo priori movetur à fine in actu primò, concedo min. in actu secundo, nego min. & conseq. Voluntas enim ante primum finis amorem solùm à Deo effectivè movetur : à fine autem movetur in actu primò, quatenùs bonitas finis voluntati proposita, est forma-

(2) 1. *p. quæst.* 8. *art.* 2. *ad* 1.

formale motivum voluntatis; ast non movetur in actu secundo, quousque, degustata per primum finis amorem finis bonitate, hujus amore excitatur voluntas ad alios actus: Undè ante primum actum à voluntate elicitum, nulla datur motio ex parte finis, sed motivum, quod est bonitas apprehensa, & voluntati proposita.

29 *Aut* aliter dici potest, finem movere voluntatem ad primum amorem in genere causæ formalis specificativæ, sicut coloratum movet visum; sed non in genere causæ finalis, quamvis per amorem ipsum voluntatem movet, ut causa finalis, ad alios actus. *Vide num.* 9. *Ad* 1. *min. prob.* dist. ant. Quia movetur, & excitatur in actu primo, concedo ant. in actu secundo, nego ant. & conseq. *Ad* 2. *prob.* dist. maj. Est effectus *qui*, nego maj. est effectus *quo*, sicut actio est effectus agentis, concedo maj. *Ad Conf.* nego conseq. quia idem amor, ut procedens effectivè à voluntate, est hujus causalitas; &, quatenùs est finis impulsus, est causalitas finis: sicut eadem unio est causalitas materiæ, & formæ.

ARTICULUS IV.

De Fortuna, Casu, & Fato.

1 ERraverat olim vana Gentilium superstitio, putans, Fortunam esse Numen quoddam, à quo res omnes sublunares, præcipuè tamen humana negotia versarentur. Unde Fortunam cœcam, furenti similem, super volubilem globum altero pede stantem, divitias, egestatem, victorias, coronas, & carceres indiscriminatim spargentem effingebant; & ideo quandoque bonam, quandoque malam esse probabant. Atque hinc Lactantius (1) cum Augustino (2) eos sic jure reprehendit: *Quomodò ergò Dea fortuna, si aliquando bona est, & aliquando mala? An fortè, quando mala est,*

(1) *Lib.* 1. *c.* 28. *&* 29. (2) *Lib.* 4. *de Civit. Dei, cap.* 18.

est, Dea non est, sed in malignum dæmonem repentè convertitur.

2 Ab ejusmodi errore aliena est vera Philosophia, Fortunam accipiens pro causa per accidens, ac præter intentionem effectum aliquem producente: ut, cum aliquis, terram effodiens intentione constituendi puteum, thesaurum invenit, fossor ille *causa per se* putei dicitur; at inventionis thesauri dicitur *causa per accidens*, seu *Fortuna*: atque ideo bonam ipsi obtigisse fortunam, dicere solemus, effectum fortuitum pro ejus causa, quæ propriè *Fortuna* dicitur, accipientes. Quare definienda est Fortuna: *Causa efficiens per accidens, ex electione, in his, quæ sunt propter finem, & rarò contingunt.*

3 Dicitur *causa efficiens*, quibus Fortuna convenit cum causa efficiente, etiam cum ea, quæ per accidens causa est, ut *casus*. Per alias particulas ab eis omnibus differt: nam his particulis *per accidens*, differt à causa efficiente, quæ per se producit effectum; dum enim causa effectum intentum sortitur, non est fortuita. Additur: *Ex electione in his, quæ sunt propter finem*; quia Fortuna propriè locum habet in causis liberis, propter aliquem finem sibi ex electione præfixum operantibus; dum tamen à fine proposito deficiunt, & in alium inopinatum, sive bonum, sive malum impingunt.

4 Atque hinc Fortuna à casu in eo differt, quòd quemadmodùm Fortuna propriè solùm in causis liberis, sic etiam casus solùm in naturalibus propriè locum habet. Dum igitur causa naturalis à fine naturaliter exacto deficit, casus est; v. gr. cum sagitta in scopum immissa, hominem per medium transeuntem ferit: Dum verò causa libera simili modo deficit à fine proposito, est Fortuna; v. gr. cum Absalon, fugam intendens, in arbore capillis suspensus hæsit.

5 Additur insuper in Fortunæ definitione, *& rarò contingunt,*

tingunt; quod non est de sola temporis raritate intelligendum, alioquin eclypses essent effectus fortuiti, aut casuales; sed de raritate potiùs conjunctionis effectus fortuiti cum effectu per se intento: sicut inventio thesauri rarò cum putei fossione conjungitur. Casus autem sic est definiendus: *Causa efficiens per accidens, ex naturali inclinatione, in his, quæ sunt propter finem, & rarò contingunt.* Quæ definitio ex dictis inter explicandam Fortunæ definitionem clarè intelligitur.

6 Dari verò Fortunam, & Casum in sensu explicato, experientia constat: dari siquidem fortuitos, & casuales effectus, quotidiè experimur: dantur igitur horum effectuum causæ, quales sunt Fortuna, & Casus. Quòd, si alicubi doceant Sancti Patres, nomine *Fortunæ* non esse à Christianis utendum; intelligendi sunt de Fortuna in erronea Gentilium usurpatione. Enim verò ratio Fortunæ, vel Casus nequit in Deo reperiri, quia respectu Dei nullus effectus propriè fortuitus, aut casualis dici potest, cum nihil possit præter infinitam Dei intentionem, aut cognitionem evenire.

7 *FATUM*, à *Fando* dictum, idem apud Paganos erat, ac ineluctabilis quædam rebus omnibus imposita necessitas, à qua, nec etiam Deos ipsos immunes esse putabant; eamdemque cœlestium corporum influxui tribuebant. Sed Fatum hoc sacrilegum, & pernitiosum est; cum Divinam lædat excellentiam, ac nostram nobis adimat libertatem. Apud Christianos autem nihil aliud est Fatum, nisi: (3) *Ordinatio Causarum secundarum ad effectus divinitùs intentos.*

8 Dicitur *ordinatio*, non quidem activa, sed passiva; ordinatio enim activa est Divina Providentia; Fatum verò est ordo quidam à Divina Providentia causis secundis impressus, quo ad certos, & determinatos effectus divinitùs intentos ordinantur, & disponuntur. *Atque hinc* intelliges, cu-

(3) *D. Thom. 1. part. quæst. 116. art. 4.*

juscumque rei Fatum esse efficacem illam, invariabilemque dispositionem, quam ipsi Divina impressit Providentia ad finem illum, quem sibi Deus ab æterno præfixit in disponendo; ut Boetius optimè dixit: *Fatum est inhærens rebus mobilibus immobilis dispositio, per quam Divina Providentia suis quæque nectit ordinibus.* (4) Quòd si Sancti Patres *Fati* nomen rejiciunt; loquuntur de Fato, prout à Paganis accipiebatur.

QUÆSTIO III.

DE CAUSA PRIMA QUATENUS AD EFFECTUS CREATURÆ CONCURRENTE.

ARTICULUS I.

Utrùm Deus simùl cum creaturâ ad hujus effectus immediatè concurrat?

1 EXplicatis jam quatuor causarum secundarum generibus, atque his omnibus, quæ ad illas spectare videntur: sursum pergimus, causam primam, non secundùm se ipsam, ut Theologi, sed quatenùs ad effectum causarum secundarum concurrentem, veneraturi potiùs, quàm exposituri. Quia tamen arduum adeò negotium est celeberrimam hanc, omniumque

(4) *Lib. 5. de Cons. prosa 6.*

omniumque facilè difficillimam quæstionem dirimere, ut inapeabilis factus sit Theologorum abyssus; eam brevitate solita, possibili claritate percurremus.

2 Duplex concursus, aut motionis genus in qualibet causa respectu alterius distingui potest: Physicus, & moralis. Concursus, seu motio moralis est, cum superior causa inferiorem extrinsecè solùm excitat, allicit, invitat, suadetve ad operandum: Sic movent moraliter Piorum exempla, amicorum consilia, superiorum præcepta, &c. Concursus, seu motio physica illa est, qua causa movens, aliam reipsa applicat, aut cum illa effectivè, & physicè concurrit ad operationem aliquam: ut, quando præceptor ità discipuli manum ad scribendum movet, ut eam, & applicet, & dirigat ad litteras efformandas.

3 Sed concursus physicus alter est prævius, alter simultaneus. Concursus prævius est motio illa, qua causa movens causam aliam ex se prorsùs indifferentem, ac indeterminatam, priùs adhuc, quàm hæc se determinet, determinat, & applicat ad operandum. Concursus simultaneus est motio illa, qua causa movens ità cum alia, jam ad operandum applicata, conjungitur, ut effectus ab utraque simùl causa producatur. Atque hinc præceptor ille, qui discipulo scribendi præceptum imponit, hunc movet moraliter: qui ejus manum applicat, physicè prævie concurrit: qui demùm simùl cum illo litteras format, concurrit simultaneè.

4 Concursus prævius, cum sit motio, quæ omnem applicatæ causæ motum præcedit, dicitur *Physica Præmotio*, de qua posteà. *Nunc* simultaneus concursus esse potest, aut mediatus, aut immediatus. *Mediatus* est ille, quo superior causa inferiori virtutem tribuit, aut ejus vires auget, vel adjuvat, sed non efficit cum ipsa ejusdem effectum. *Immediatus* est, quo una causa nedùm in alterius causæ vim influit, sed cum illa quoque communem utriusque effectum producit.

Primi Conclusio.

5 *DICIMUS* 1. Deus physicè simultaneè immediatè concurrit ad quoscumque causarum secundarum effectus. Ità Authores ferè omnes contra Durandum, (1) & alios nonnullos, (2) quorum opinio, nedùm improbabilis, sed erronea potiùs censeri solet. Itàque nostra conclusio conformis est scripturæ, ac Sanctis Patribus, ut multipliciter ostendi solet. Ast nobis sufficiant illa Christi verba: (3) *Pater meus usque modò operatur, & ego operor.* Suprà quæ Augustinus: (4) *Sunt, qui arbitrantur, tantummodò mundum ipsum factum à Deo; cætera jam fieri à mundo ipso, sicut ille ordinavit, & jussit, Deum autem nihil operari: contra quos profertur illa sententia: Pater meus usque modò, &c.*

6 *PROB.* conclusio ratione: Omnis effectus creaturæ à Deo immediatè producitur: Ergò. Prob. ant. Omnis effectus creaturæ à Deo immediatè dependet in fieri: Ergò. Prob. ant. Omnis effectus creaturæ à Deo immediatè dependet in conservari: Ergò etiam in fieri. Conseq. tenet: *Tum*, quia conservatio est continuata productio. *Tum* etiam, quia, si agens creatum sine immediato Dei concursu sufficit ad dandam rei existentiam, non est, cur ad ejus conservationem non sufficiat; cum facilius appareat ex terminis, rem sub accepta existentia sustinere, quàm illi primam communicare.

7 Prob. ant. Deus valet quoscumque creatos effectus immediatè anihilare; sed non aliter, quàm suum substrahendo concursum immediatè conservativum: Ergò. Major est certa; alioquin non posset effectum anihilare, nisi anihilando simùl virtutem causæ; atque hujus quoque virtutem anihilare non posset, quin hujus virtutis causam anihilaret,

(1) *In 2. dist. 1. quæst. 5.*
(2) *Franc. à Dola Capuc. apud Gerin. hìc, & Curs. Alcant. hìc.*
(3) *Joann. 5.* (4) *De Genes. ad lit. 20.*

hilaret, & sic de aliis, & aliis causarum causis: quo nihil absurdius. Prob. min. Rei anihilatio fieri debet per suspensionem ejusdem rei conservationis: Ergò immediata anihilatio fieri debet per conservationis immediatæ substractionem, & non aliter.

8 *Conf.* Quemadmodùm in Deo confitendum est summum, & supremum in creaturis dominium, sic etiam in creaturis summa subjectio, & dependentia, qua major ne possit quidem excogitari; ut patet à paritate rationis: Atqui major ex terminis apparet subjectio, major dependentia immediata, quàm mediata: Ergò. *Urg.* Nullus est effectus creatus, qui non includat rationem entis; sed nullus effectus sub ratione universalissima entis causari potest immediatè, nisi à causa universalissima, qualis Deus est: Ergò. Prob. min. Nam, qui unum valet effectum producere sub ratione entis, ea omnia, quæ sub illa ratione factibilia continentur, valet efficere; sed hæc omnia potest solus Deus: Ergò.

Secunda Conclusio.

9 *DICIMUS* 2. Deus simùl cum creatura ad hujus effectum non eadem, sed diversa actione immediatè concurrit. Ità communiter Thomistæ contra omnes Jesuitas. Est enim conclusio expressa D. Thomæ, (5) asserentis: *Deus non agit aliqua actione, quæ sit extra ipsum, quasi ab ipso exiens, & in creaturam terminata, sicut calefactio exit ab igne, & terminatur in ligna; sed ejus velle est ejus agere: & hoc modo sunt res secundùm quòd Deus vult, eas esse.* Atqui actio creaturæ est extra Deum, neque est ejus velle: Ergò Deus simùl cum creatura operans, non agit per actionem creaturæ.

10 *PROB.* Conclusio: Nullum agens infinitum agere potest per exercitium ab ipso realiter distinctum: sed Deus est agens infinitum: Ergò nequit agere per actionem ab ipso

(5) 2. *Cont. cap.* 31.

ipso realiter distinctam, qualis est actio creaturæ. Prob. maj. Quodlibet agens actuatur, & perficitur per exercitium à se elicitum, sed agens infinitum actuari, perficique non potest per exercitium à se realiter distinctum: Ergò. Min. patet: Alioquin agens non esset infinitum, cum non identificaret sui exercitii perfectionem. Prob. maj. Actio, seu exercitium agentis est ejusdem actualitas, ad quam, si est realiter distincta, est in potentia; sed res quælibet per suam ipsius actualitatem actuatur, & perficitur: Ergò.

11 *Dicunt* (6) Actionem immanentem esse agentis actualitatem, & perfectionem; secùs actionem transeuntem, qualis est concursus Dei simultaneus. *Sed contrà* 1. Omnis actio Dei est formaliter immanens, licet quandoque sit transiens virtualiter: Ergò. Prob. ant. Omnis actio Dei est intellectio, aut volitio; sed omnis intellectio, aut volitio est formaliter immanens, cum sit actus vitalis: Ergò. Prob. maj. Omnis actio Dei, vel est terminata ad intra, sicque est intellectio, aut volitio; vel ad extra, sicque est actio Omnipotentiæ; sed Omnipotentia consistit in intellectu divinam voluntatem connotante, ut ex Theologis (7) supponimus: Ergò.

12 *Contrà* 2. Non est magis transiens actio, qua Deus simùl cum causa secunda operatur, quàm actio illa, qua Deus solus operatur ad extra; sed Deus se solo operatur ad extra per actionem secum realiter identificatam: Ergò. Min. patet: Aliàs assignent, quanam actione à Deo distincta mundum creaverit, rerumque formas in ipso mundi nascentis exordio eduxerit. *Urgetur*: Non dependeret immediatè effectus creatus à Deo, nisi Deus illum produceret virtute secum realiter identificata, & à creata virtute realiter distincta, ut contra Durandum propugnant Adversarii: Ergò à pari. *Aliter*: Deus non producit actionem creatam

(6) *P. Lossad. tract. 2. disp. 8. cap. 2. num. 14.*
(7) *V. Gon. 1. part. Clyp. tract. 3. disp. 3. art. 4.*

creatam per creatam virtutem : Ergò neque creatum effectum per actionem creatam.

13 *PROB.* 2. Concluſio : Si Deus per actionem creaturæ ſimultaneè operaretur, Deus in operando dependeret à creatura ; ſed hoc repugnat : Ergò. Prob. maj. Si Deus operaretur per actionem creaturæ, actio, qua operaretur Deus, à creatura dependeret, ut patet ; ſed hoc ipſo Deus in operando dependeret à creatura : Ergò. Prob. min. Si actio, qua Deus operatur dependeret à creatura, actio, qua Deus formaliter conſtituitur operans, penderet à creatura ; ſed hoc ipſo Deus in eſſe operantis à creatura dependeret, ut per ſe patet : Ergò. *Urg.* Quia actio, qua creatura operatur, immediatè à Deo dependet, creatura immediatè dependet à Deo in operando : Ergò pariter.

14 *Nec dicas* : (8) Deum in noſtro caſu non dependere à creatura, quia non habet Deum ſibi ſubditum creatura. *Nam* creatura habet ſibi ſubditam ſuam ipſius actionem, quæ Deum conſtituit formaliter operantem : Ergò, & habet ſibi ſubditum Deum ipſum, prout à te poſitum operantem per actionem creaturæ. *Si dicas* : (9) Deum dependere à creatura, non quidem ex parte divinæ virtutis, ſed unicè ex parte talis actionis externæ. *Sic arg.* Deus conſtituitur, per te, in actu ſecundo operans cum creatura, non per divinam virtutem, quæ ſe habet ex parte actus primi, ſed per externam actionem creaturæ ; ſed ex parte hujus actionis externæ dependet à creatura, ut tu ipſe doces : Ergò Deus, prout operans in actu ſecundo dependet à creatura : quod eſt abſurdum.

15 *Conf.* Licet Deus non poſſit educere formam ſine materia, aut unionem producere ſine extremis, ideò non dependet à materia in educendo, aut ab extremis in producendo unionem, quia materia, & extrema ſunt requiſita, non rationes formales Deum conſtituentes in educendo,

&

(8) *P. Loſſad. ubi ſupr. num.* 12. (9) *Idem ibidem.*

& producendo : atqui actio creaturæ nedum requisita est, sed ratio formalis Deum constituens operantem: Ergò. *Urg.* Qui materiam determinat ad formam, eamdemque formam producit, est causa concreti ex utraque resultantis ; sed, per vos, creatura determinat Deum, ad operandum cum ipsa, atque illius operationem producit : Ergò est causa Dei, quatenùs actualiter cum ipsa operantis, atque ità Deus à creatura dependet.

16 *Si adhuc asseras* : Deum dependere à creatura, non absolutè, sed ex suppositione, quòd Deus velit cum creatura operari. *Contrà* : Quia Deus ex nulla suppositione potest non esse *ens à se* ; id est omninò ab alio independens: Ergò ex nulla suppositione valet à creatura dependere. Licet enim Deus, ex suppositione sibi libera, aliqua non possit sine creatura, indigentia creaturæ non se habet ex parte Dei operantis, sed ex parte rei sic, aut aliter productæ : at in nostro casu, nedum res producta, sed ipsa quoque Dei operatio, atque Deus ipse quatenùs operans, à creatura dependeret.

17 *PROB.* 3. Conclusio : *Impossibile est, quòd eorum, quæ sunt diversa secundùm esse, sit operatio una* ; sed Deus, & creatura, sunt diversa secundùm esse : Ergò. Maj. quamvis sit littera D. Thomæ, (10) ejusdem ratione prob. *Tum*, quia operari sequitur ad esse : *Tum* etiam, quia agentia, secundùm suum esse diversa, sunt diversa principia formaliter respectu operationis ; sed diversa principia formaliter, utpote sub diversa ratione formali operantia, non habent unam, & amdem operationem : Ergò. *Conf.* Ideò hæc propositio : *In Christo Domino datur unica tantùm operatio*, damnata fuit : *Quia ex hoc, quod aliquis ponit unam actionem in Christo, sequitur ponere unam naturam*, ut totidem verbis docet D. Thomas : Ergò. *Quia sunt duæ naturæ distinctæ, necesse est etiam, quod sint duæ actiones*; ut ipse loquitur. (11) *Si*

(10) 2. *Cont. cap.* 57. (11) *Quæst. unic. de Unione Verbi, art.* 5.

18 *Si respondeant*: (12) Agentia diversa non subordinata habere actiones realiter distinctas; secus autem subordinata; cum eadem intellectio ab intellectu, & specie, idem charitatis actus ab habitu, & voluntate procedat. *Aut*, si asserant, actiones specificari à suis causis, quando illæ præsupponuntur distinctæ; secùs autem si non præsupponantur. *Dices* contra secundum respondendi modum: Priùs est, quòd principia diversa sint, quàm, quòd actiones sub ea ratione, qua à suis causis producuntur, specie formali differant, ut patet: Ergò.

19 *Instab.* jam contra primam solut. *Tum*, quia nostrum argumentum æquè probat distinctionem inter actiones diversorum agentium subordinatorum, ac non subordinatorum, ut meditanti patebit: *Tum* etiam, quia agentia diversa non subordinata habent præcisè actiones diversas non subordinatas: Ergò etiam agentia diversa subordinata diversas actiones subordinatas. Tenet conseq. Quia sic comparantur subordinata agentia ad suas actiones, ut non subordinata, servata proportione.

20 Quod attinet ad exempla, quibus se munitos existimant Adversarii, dicimus, eamdem intellectionem ab intellectu, & specie provenire, non principaliter, & *ut quod*; sed ab intellectu, *ut quod*, & principaliter; ab specie, *ut quo*, & ministerialiter: ita etiam idem charitatis actus principaliter; & *ut quod* à voluntate; *ut quo* verò ab habitu. *Ast* numquàm provenit idem actus à duplici principio, *ut quod*; & principaliter operanti; ut Contrarii prætendunt in præsenti.

SOLVUNTUR ARGUMENTA CONTRARIA.

21 ARGUES 1. contra 1. Conclusionem: Nulla creatura exigit essentialiter, à Deo immediatè

(12) *Ex P. Lossad. ubi supr. num.* 7.

diatè procedere : Ergò. Prob. ant. Omnis creatura est essentialiter finita , & Dei virtus est infinita ; sed nihil finitum exigit , à virtute infinita immediatè procedere : Ergò. *Resp.* neg. ant. Imò potiùs omnis creatura est ens ab alio, id est à Deo. Ad prob. dist. min. Tamquam à causa secunda , concedo min. tamquam à causa prima , nego min. & conseq. Cum enim omnis creatus effectus sit Deo immediatè subjectus ; ab eo debet immediatè procedere sub ratione entis : at sub ratione entis ea sola virtus operatur, quæ entia omnia valet efficere , etiam possibilia , quæ, cum infinita sint , infinita quoque virtus illa esse debet.

22 *Nec dicas* : quòd , si virtus illa , à qua procedit creatus effectus , esset infinita , infinitus quoque evaderet effectus. Nam effectus creatus non est terminus adæquatus virtutis infinitæ , sed inadæquatus , æquivocus, & deficiens, non infinitè , sed finitè terminans virtutem infinitam. *Si adhuc dicas* : A virtute finita oriri nequit infinitus effectus: Ergò neque è contrà. *Nego conseq.* Quia finitum , utpotè inferioris perfectionis , non continet infinitum ; & nemo dat , quod non habet : at verò infinitum , aut formaliter, aut eminenter continet finitum , ob oppositam rationem.

23 *Dices* : Quælibet causa creata habet sufficientem virtutem ad suum effectum producendum : Ergò non indiget simultaneo Dei concursu ad illum producendum. *Resp.* dist. ant. Habet sufficientem virtutem à Deo in operando independentem , nego ant. ab eo dependentem , concedo ant. & nego conseq. Sicut enim causa , licet sufficiens, esse habet immediatè à Deo dependens in conservari ; ità, quamvis habeat sufficientem virtutem,à Deo immediatè dependet in operando per illius concursum simultaneum.

24 *Instab.* Operatio creaturæ sufficienter dependet à Deo per concursum prævium posteà stabiliendum : Ergò non opus est , ut dependeat , concursus simultaneus. *Resp.* dist. ant. Sufficienter dependet egresivè , & prout se tenet

ex

ex parte causæ operantis, concedo ant. terminativè, & ex parte effectus, nego ant. & conseq. Prævius Dei concursus, ut talis, immediatè applicat causam secundam ad operationem; at non pergit, quatenùs prævius, cum creatura ad producendum effectum: ideò per concursum prævium, quatenùs talem, operatio immediatè, sed effectus in fieri solùm mediatè à Deo dependet: ut igitur effectus immediatè dependeat, ut debet, opus est concursu simultaneo.

25 *Instabis* iterùm: Si creatus effectus à Deo dependeret per concursum simultaneum, Deus cum creatura concurreret ad eumdem effectum, vel, ut causa totalis, vel partialis; sed neutrum admitti potest: Ergò. *Prob. min.* 1. quoad primam partem: Idem numero effectus nequit à duplici simùl totali causa produci: Ergò. *Secundò*: Deus non producit totum effectum, alioquin nihil relinqueret creaturæ producendum: Ergò. *Prob. jam min.* quoad 2. partem: Munus causæ partialis dicit imperfectionem, aut insufficientiæ, aut inadæquationis; sed nulla Deo attribui potest imperfectio: Ergò.

26 *Ad Inst.* in primis dici potest: (13) Deum concurrere, ut causam partialem, non partialitate effectus, ità ut ejus partem, & non totum effectum producat, sed partialitate causæ: ast non partialitate causæ ex parte actus primi, quæ provenit ex virtutis insufficientia, sed ex parte actus secundi, quæ partialitas attemperationis, & dignationis dici potest, quatenùs Deus suum influxum, & quidem sufficientissimum, attemperat, ut creaturarum activitati locum relinquat. Quamvis autem munus causæ partialis ex parte actus primi imperfectionem involvat; secùs ex parte actus secundi, quando id ex causæ dignatione provenit, ut in præsenti.

27 *Sed melius resp.* Deum cum creatura, ut causam totalem utraque totalitate, causæ scilicet, & effectus, concurrere,

(13) *Irib. hic. P. Lossad. hic, num.* 9.

currere, cum totum effectum actione quidem de ſe ſufficienti producat. *Ad 1. min. prob.* in contrarium, diſt. ant. A duplici cauſa totali ejuſdem ordinis, concedo ant. diverſi ordinis, ut ſunt Deus, & creatura, nego ant. & conſeq. Cum enim cauſæ diverſi ordinis ſub diverſa ratione operentur, valent eumdem effectum totalem ſub ea diverſa ratione producere: Undè Sol, & homo generant hominem, hic ſub ratione hominis, ille ſub ratione corporis ſublunaris: Sic etiam Deus, & creatura eumdem effectum, ille ſub ratione univerſaliſsima entis, hæc ſub ratione talis entis.

28 *Ad 2. ejuſdem min. prob.* nego ant. ejuſque ſubjunctam probat. Quamvis enim Deus totum producat effectum ſub ratione entis; totum utique producendum creaturæ relinquit ſub ratione talis entis; nam ſub hac duplici ratione totum à Deo, totumque à creatura produci, non repugnat. *Replic.* Creatura producit entitatem effectus: Ergò illum producit ſub ratione entis. *Sed* nego conſeq. Nam producit entitatem, non ità, ut ratio entis ſit ratio formalis *ſub qua*, & motiva ejus productionis; ſed ratio materialis *quæ*, & purè terminativa: Dei autem concurſus è contrà ratio entis eſt ratio formalis *ſub qua*; & ratio talis entis eſt ratio *quæ*, & materialis.

29 *Inſiſtes* adhuc multipliciter. *Primò*: Actus vitalis, nec ſub ratione entis poteſt à Deo produci: Ergò. Prob. ant. Qui producit actum vitalem, per illum vivit, cum ſit ab intrinſeco; ſed nequit Deus vivere per actum vitalem creatum: Ergò. *Secundò*: Actus peccaminoſus ſub nulla ratione producitur à Deo, aliàs ſub ea ipſa ratione eſſet Deus author peccati: Ergò. *Tertiò*: Deus nullatenus concurrit ad cauſalitatem cauſæ materialis, & formalis, alioquin earum cauſarum exerceret munia Deo indecentiſsima: Ergò.

30 *Ad primum*, nego ant. Ad prob. diſt. maj. Qui producit actum vitalem ſub ratione vitalitatis, ipſum intrinſecè

trinsecè recipiendo, ac per illum se movendo, concedo maj. Qui producit sub ratione entis absque ulla sui mutatione, & illius receptione, nego maj. Deus itaque, cum non producat actum vitalem, ipsum recipiendo, ac se per illum immutando, ut creatura, sed purè extrinsecè, & absque ulla sui mutatione; non illum efficit sub ratione vitalitatis, sed sub ratione entis: Undè producit vitam nostram, at vita nostra non vivit: sicut Fidei actum producit, sed non credit actu Fidei.

31 *Ad secundum*, dist. ant. Actus peccaminosus sumptus de materiali, & secundùm entitatem, nego ant. sumptus de formali, & penes malitiam, concedo ant. Sed hoc punctum alibi attingemus ex professò. *Ad tertium*, dist. ant. Non concurrit in genere causæ materialis, & formalis, concedo ant. in genere causæ efficientis, nego ant. & conseq. Quamvis Deus, neque recipiat intrinsecè, ut materia, neque intrinsecè, ut forma, informet; verè tamen efficit materiæ receptionem, & formæ informationem, quin exerceat materialis, & formalis causarum munera: Sicut agens creatum, uniens formam cum materia, efficit utriusque causalitatem; at non recipit intrinsecè, ut materia, neque informat intrinsecè, veluti forma. (14)

32 Pro aliis solvendis *adverte* 1. (15) Non repugnare, creaturam operari sine concursu suæ causæ creatæ, ut patet in horologio sine artificis concursu se movente; at repugnare, sine concursu causæ primæ: quia à causa creata dependet effectus in fieri tantùm, non semper in operari, & conservari; à Deo autem omninò dependet, & quidem immediatè, omnis creatura. *Adverte* 2. (16) Deum, ut ultimum finem, non influere in omnes hominum actiones; benè verò, ut causam primam: quia finis influxus pendet ab

(14) *V. D. Thom.* 1. *part. quæst.* 105. *art.* 1.
(15) *V. Pal.* 2. *Phys. quæst.* 14. *à num.* 11. *P. Loss. num.* 6.
(16) *Guerin. part.* 1. *Phys. quæst.* 8. *art.* 3. §. 2.

ab intellectu apprehendente, & à voluntate primò amante, quod ſæpè mala hominum voluntas non præſtat erga Deum: Cæterùm influxus cauſæ primæ eſt à voluntate noſtra independens.

33 *ARGUES* 2. contra 2. Concluſionem : (17) Actio creaturæ, cum ſit ens creatum, à Deo immediatè dependet; ſed non per aliam actionem : Ergò per ſe ipſam, atque adeò eſt actio Dei. *Prob. min.* 1. Si actio creaturæ à Deo per aliam actionem penderet, daretur actio actionis; ſed hoc eſt falſum : Ergò. *Prob.* 2. *ipſa min.* Quævis actio eſt egreſsio ſui ab agente : Ergò. *Conſ.* Juxta D. Thomam : (18) *Nihil prohibet, quin una, & eadem actio procedat à primo, & ſecundo agente* : Ergò.

34 *Ad arg.* nego min. Quia, ſi effectus creatus à Deo immediatè dependet per actionem creaturæ, juxta Contrarios; immediatiùs dependet actio creaturæ per actionem increatam. *Ad* 1. *min. prob.* diſt. maj. Daretur actio actionis reſpectu ejuſdem agentis, nego maj. reſpectu diverſorum, concedo maj. Repugnat enim actionis actio, tum reſpectu ejuſdem agentis, tum reſpectu diverſorum in creatis, quia reſpectu illorum nulla actio poteſt eſſe effectus, cum una creatura non influat immediatè in actionem alterius : At, quia Deus immediatè influit in creatam actionem, & quidem influxu ſecum identificato; quæ reſpectu creaturæ eſt actio, eſt effectus reſpectu Dei; ac proindè actio illa per aliam actionem à Deo procedit.

35 *Ad* 2. *ejuſdem min. prob.* diſt. ant. Eſt egreſsio ſui ab agente, cujus eſt actio, concedo ant. ab agente, cujus eſt effectus, nego ant. & conſeq. Quamvis actio creata ſit egreſsio ſui, ejuſque effectus à cauſa creata; non tamen à cauſa prima, reſpectu cujus non eſt actio, ſed effectus per divinam actionem à Deo egrediens : *Quia actiones inferioris principii*

(17) *P. Loſſad. tract.* 2. *diſp.* 8. *cap.* 2.
(18) 1. *part. quæſt.* 105. *art.* 5. *ad* 2.

principii sunt magis operata quædam (respectu primæ causæ) *quàm operationes*, ut docet D. Thomas. (19) *Atque hinc* patet solutio ad *Conf.* Nihil enim prohibet, quin eadem actio à primo agente, ut effectus, per aliam actionem procedat; à secundo, ut actio, per se ipsam dimanet.

36 *Dices*: Actio Dei est illud per quod res creata dependet à Deo; sed actio creaturæ per se ipsam à Deo dependet: Ergò est actio Dei. *Conf.* Actio creaturæ est id, quo effectus dependet à Deo; sed illud, per quod effectus dependet à Deo, est actio Dei: Ergò. *Ad Inst.* nego min. Dependet enim à Deo per diversam actionem, qua producitur: non enim est sui productio, sed per divinam actionem producta. *Ad Conf.* nego maj. Est enim actio creaturæ id, quo effectus dependet à creatura; sicut actio Dei est id, quo dependet à Deo.

37 *Instab.* Actio creaturæ non dependet à Divina virtute per aliam actionem: Ergò. Prob. ant. Inter actionem creatam, divinamque virtutem nihil mediat, etiam modaliter distinctum: Ergò. Patet ant. Aliàs mediaret alia externa actio à Deo distincta, de qua fieret idem argumentum. *Resp.* dist. ant. prob. Nihil mediat à divina virtute realiter distinctum, concedo ant. distinctum virtualiter, nego ant. Mediat actio Dei ab ejus virtute, solùm virtualiter distincta; quod sufficit: sicut sufficit inter Dei virtutem, & effectum à solo Deo productum. *Si inferas*: Ergò saltem in sensu reali nihil mediat, adeòque actio creata erit realiter actio Dei: *Infero*: Ergò quilibet effectus creatus, à solo Deo productus, erit actio Dei, cum inter illum, & divinam virtutem in sensu reali nihil mediet.

38 *Replic.* Vel actio, qua Deus producit actionem creaturæ est concursus Dei prævius, vel simultaneus; sed neutrum admitti potest: Ergò. *Prob.* min. quoad 2. partem, quòd nempè talis actio non sit concursus simultaneus: Con-

cursus

(19) 3. *part. quæst.* 19. *art.* 1.

cursus Dei simultaneus est simùl cum actione creaturæ ; sed actio illa est prior actione creaturæ , cum sit hujus causalitas : Ergò. *Prob.* jam ipsa min. quoad primam partem *primò* : Si Deus prævio concursu actionem efficeret creaturæ, superfluus esset concursus simultaneus ; sed hoc est falsum: Ergò. Prob. maj. Nam , si prævio concursu actionem efficeret creaturæ , eodem prævio concursu effectum efficeret immediatè : Ergò. Ant. patet ; nam mediatio actionis non tollit causæ immediationem.

39 *Secundò* : Si actio, qua Deus causat actionem creaturæ , esset physica præmotio , Deus non causaret immediatè actionem creaturæ ; sed hoc est falsum , ut contra Durandum diximus prima conclusione : Ergò. Prob. maj. Physica præmotio , juxta Thomistas , est qualitas creata , aut creatus impulsus , quo Deus movet creaturam : Ergò , si Deus per physicam præmotionem efficeret actionem creatam non immediatè , sed media qualitate , aut impulsu , illam efficeret. *Tertiò* : Si Deus actionem creaturæ per suam præmotionem causaret , illam efficeret priùs , quàm creatura ; sed hoc est falsum , aliàs creatura jam non ageret liberè : Ergò.

40 *Ad replic.* dici poterat (20) actionem , qua Deus producit actionem creaturæ , neque esse prævium concursum , nec simultaneum, sed inter utrumque mediam. Deus enim priùs applicat , & movet causam creatam ad operandum , deindè alia actione illius actionem simùl cum creatura producit , ac denique alia actione simùl cum creatura producit effectum : prima actio dicitur concursus prævius, tertia simultaneus ; secunda autem non est dicenda absolutè prævius , aut simultaneus concursus , sed solùm respectivè , quatenùs est prævius respectu effectus creaturæ , & simultaneus respectu determinationis , qua creatura suam actionem producit. *At* verò actiones illæ solùm virtualiter distinguuntur.

Sed

(20) *V. Coll. Rip. hìc , num. 26. & 29.*

41 Sed meliùs *reſp.* negando min. Nam actio Dei, qua producit actionem creaturæ, eſt ipſe concurſus prævius, & ſimultaneus: actio enim illa in triplici ſtatu ſumi poteſt; nam, quatenùs creaturam pro priori applicat, & movet, dicitur concurſus prævius; quatenùs pro poſteriori actionem creaturæ producit, eſt effectio cauſalitatis creatæ; & quatenùs adhùc pro poſteriori effectum ſimùl à creatura productum producit, dicitur concurſus ſimultaneus. Ad min. prob. quoad ſecundam partem, diſt. min. Eſt prior pro ſtatu ultimo, quo ſimùl jam influit in effectum, nego; pro ſtatu medio, quo influit in actionem, concedo. Solutio liquet ex dictis.

42 *Ad* 1. *ipſius min. prob.* quoad primam partem, diſt. ant. prob. Eodem prævio concurſu efficeret effectum, pro ſtatu, quo eſt concurſus prævius, nego ant. pro ſtatu, quo jam eſt ſimultaneus, concedo ant. & nego conſeq. Eàdem utique actione, qua Deus primò applicat cauſam creatam, producit ultimò ejuſdem effectum; aſt primo modo dicitur concurſus prævius, poſteriori autem ſimultaneus: ſi tamen ſolùm prævie concurreret Deus, non efficeret immediatè effectum, cum nedum mediaret ſua ipſius actio, quæ non tollit cauſæ immediationem, ſed etiam actio creaturæ, effectus quidem Dei, qui ejus cauſalitatis immediationem impediret.

43 *Ad* 2. *prob.* nego maj. Ad prob. diſt. ant. Phyſica præmotio formaliter, & quidditativè ſumpta, concedo ant. effectivè accepta, nego ant. & conſeq. Præmotio effectivè, & ex parte Dei eſt actio divina, quæ movet intrinſecè creaturam, intrinſecam qualitatem, aut impulſum in ipſa producendo; formaliter, & quidditativè accepta, eſt ipſa qualitas, aut impulſus creaturæ per illam actionem impreſſus: Actio autem præmotiva non producit actionem cauſæ creatæ per qualitatem priùs productam; ſed primò qualitatem applicativam creaturæ, deindè creaturæ jam applicatæ actionem immediatè producit.

44 *Ad 3. prob.* dist. maj. Si actionem creaturæ causaret per præmotionem, quatenùs talem, seu pro primo statu, quo applicat creaturam ad agendum, concedo: Si causaret per præmotionem, quatenùs effectivam causalitatis creatæ, seu in secundo statu, in quo jam agit cum creatura, nego. Solutio liquet ex dictis. Pro aliis *adverte* 1. (21) Actionem, qua Deus efficit causalitatem creatam non esse creationem, sed eductionem: quamvis autem actio eductiva recipi debeat in subjecto eductionis, quando est formaliter transiens; secùs, quando est formaliter immanens, & solùm transiens virtualiter; ut est actio Dei.

45 *Adverte* 2. Terminum actionis Dei, & actionis creaturæ, simùl ad eumdem effectum concurrentium, esse materialiter, & ex parte rationis *quæ* eumdem; ast esse diversum formaliter, & ex parte rationis *sub qua*, ut diximus *num.* 27. *&* 28. Itaque ratio entis, & ratio talis entis est in effectu idem realiter: at verò ratio entis respectu Dei est formaliter, & *sub qua*; respectu creaturæ est ratio *quæ*, & materialis: è contrà ratio talis entis est formalis, & *sub qua* respectu creaturæ; est autem ratio *quæ*, & materialis respectu Dei.

ARTICULUS II.

Utrùm Deus prævièconcurrat, seu physicè præmoveat causas necessarias ad operandum?

1 PRæter concursum Dei simultaneum, quem Scholæ omnes admittunt, quem etiam hactenùs explicuimus; concursum prævium, seu physicam Præmotionem, de qua ab antiquissimis usque temporibus acriter disputatum est, atque in dies magis, ac magis crescit dissidium Thomistas inter, & Jesuitas, exponere jam, atque

(21) *V. P. Lossad. ubi supr. num.* 4.

que statuere decrevimus. Sed, quia difficilè admodùm est, aut nostras probationes plenè capessere, aut Contrariorum evasionibus penitùs occurrere, quin utrorumque fundamenta radicitùs expendantur; hæc in primis libuit exponere.

Sententiarum fundamenta.

2 Schola itaque Ang. Doctoris duplicem in Deo scientiam agnoscit: alteram *necessariam*, seu *simplicis intelligentiæ*, qua Deus omnia necessaria, & possibilia cognoscit: alteram *liberam*, seu *visionis*, qua omnia contingentia, sive actualia, sive futura comprehendit: *Docet* insuper Schola Thomistica, Deum ab æterno decrevisse omnia quæcumque, vel absolutè, vel conditionatè eventura erant: absoluta verò per decretum absolutum omninò; & conditionata per decretum subjectivè, & ex parte Dei absolutum, & objectivè, seu ex parte creaturæ conditionatum.

3 *Addit* præterea, Deum ab æterno decrevisse, rem fore, absque ulla prævisione eventus futuri: imò potiùs decretum illud esse medium, in quo Deus futurum agnoscit; simùl enim decrevit, rem fore, cognovitque rem futuram. *Adhæc*: firmissimè tenet, divina decreta esse ab intrinseco, & ex natura sua efficacissima: Tum, quia talis sunt indolis, & efficaciæ, ut infallibiliter inferant determinatæ rei eventum, cum quo metaphysicè connectuntur: Tum etiam, quia Deus decernens eventum futurum, decernit quoque media illa, quibus contingat eventus.

4 *Docet* etiam, quòd, cum venerit tempus illud, in quo rem fore, ab æterno decrevit Dominus, v. gr. Petrum consensurum; confert, aut offert saltem, Petro, præter potentiam, auxilia sufficientia, quibus valeat consentire: atque his auxiliis, quibus valet Petri voluntas pro libito resistere, & dissentire, constituitur ipsa plenè potens, plenèque expedita, indifferens tamen, ad consentiendum,

& non consentiendum : atque hinc habetur humanâ voluntas, aut quælibet alia causa creata in actu primo proximo constituta.

5 *Tandem*, ut aliquando ad rem deveniamus, docet, quòd, ut causa secunda in actu primo proximo, & expedito constituta ad operandum, reducatur in actum secundum, seu in operationem erumpat, indiget, ut pro priori à Deo suaviter, sed efficacissimè moveatur, seu præmoveatur; atque insuper cum illa jam operante concurrat Deus simultaneè, ut *art. ant.* statutum est. De physica Dei Præmotione, quæ in ordine supernaturali *auxilium Divinæ Gratiæ ab intrinseco efficax* appellatur, docent Thomistæ, esse intrinsecè efficacem, quippè essentialiter, & metaphysicè connexam cum actu, quem antecedit, & infert infallibiliter; non esse in manu creaturæ, sed Dei, illam acquirere, vel impedire, solùmque ex Dei beneplacito nobis dari, &c.

6 Schola autem Jesuitica strenuè propugnat, in Deo, præter scientiam necessariam, & liberam, dari quoque scientiam mediam, qua Deus pro priori ad omne Divinum Decretum prævidet, seu prænoscit futura contingentia conditionata; quæ, juxta ipsos Jesuitas, (1) est: Notitia conditionata, qua Deus independenter ab omni decreto actù existente infallibiliter scit futurum contingens sub hoc, vel illo auxilio, quo ejusdem futuri causa ad ipsum producendum pro sua electione se determinabit. Priùs itaque auscultat Deus, scrutatur, & prævidet, quid Petrus acturus sit sub hoc, vel illo auxilio, in tali, aut tali occasione constitutus, quàm decernat, Petrum operaturum.

7 Ab æterno itaque decrevit Deus, Petrum v. gr. consensurum : dicunt autem, Deum pro priori ad hoc Decretum prævidisse, Petrum consensurum, si poneretur sub hoc,

(1) *Apud Colleg. Rip. 2. Physic. dub. 8. num. 12.*

hoc, vel illo auxilio; & non consensurum, si sub alio, aut alio auxilio constitueretur; atque adeò cognovisse Deum pro illo priori hanc veritatem: *Si dedero Petro auxilium A, Petrus consentiet: Si dedero Petro auxilium B, Petrus non consentiet*: atque indè pro posteriori decrevisse, Petrum consensurum sub auxilio *A*, quem Petro confert tempore consensûs Petri.

8 Propugnant itidem Jesuitæ, objectum determinativum scientiæ mediæ esse consensum Petri; adeòque veram esse hanc propositionem: *Ideò Deus scit ab æterno, Petrum consensurum sub auxilio A, quia Petrus sub auxilio A consentiet*; hanc autem falsam: *Ideò Petrus consentiet sub auxilio A, quia prævisus est à Deo sub tali auxilio consensurus*. Undè prima, seu unica determinatio ad consensum oritur à voluntate creata, quæ, quatenùs supercomprehensa, objectivè determinavit divinum intellectum, ut provideretur consensura.

9 Propugnant adhuc, omnia decreta, auxilia omnia esse ab intrinseco indifferentia, solùmque reddi ab aliquo extrinseco efficacia, vel inefficacia. Sumunt efficaciam, vel in actu primo, vel in actu secundo. Prima consistit in virtute auxilii, prout infallibiliter, & metaphysicè connexa cum consensu, illumque infallibiliter inferente. Secunda est actualis consensûs productio. Efficaciam in actu primo, saltem in statu absoluto (in statu enim conditionato nullam admittunt in actu primo) desumunt à scientia media de consensu, & ab ipso consensu, ut futuro sub conditione auxilii. Efficaciam verò in actu secundo desumunt à consensu, ut conjuncto cum auxilio.

10 Atque hinc auxilium efficax, juxta illos, est illud, quo valet creatura operari, & de facto operatur: inefficax est illud, cum quo creatura valet operari, sed re ipsa non operatur. Quemadmodùm enim efficacia in actu primo consistit in conjuncto ex scientia media, & consensu, ut futuro;

sic

sic inefficacia in carentia talis conjuncti stare debet. Et, sicut efficacia in actu secundo stat in consensu, ut conjuncto cum auxilio, ita inefficacia in carentia talis consensus. Quibus addunt: Voluntatem proximè liberam per auxilium constitutam, posse per dissensum scientiam mediam, & decreta ipsam supponentia impedire.

§ 11 Præter decreta auxiliorum collativa, & prædefinitiva consensus, admittunt speciale decretum applicativum Omnipotentiæ causis omnibus creatis, ut cum ipsis ad omnem operationem immediatè concurrat; quod Decretum vocatur ab ipsis *Concursus Divinus in actu primo*, sine quo nequit intelligi voluntas creata plenè potens agere, ut nequit sine actuali Dei concursu actu operari. Undè, sicut unum ex requisitis, ut creatura operetur, est Dei concursus, ità unum ex constitutivis libertatis creatæ in actu primo simpliciter proximo est decretum Omnipotentiæ applicativum.

§ 12 *Tandem*: Sicut consensus cognitus, ut futurus, per scientiam mediam fuit ab æterno objectum decerminativum voluntatis Divinæ ad decernendum ipsum sub aliquo auxilio, utque decerneret suam applicare Omnipotentiam; ità, dum creata voluntas se ipsam ad consensum determinat, determinat quoque Divinam Omnipotentiam sibi oblatam ad concurrendum cum ipsa voluntate creata ad consentiendum, ut ex Contrariorum doctrinis facilè colligitur. *Atque hinc*, Schola Thomistica propugnat, creaturam à Deo physicè efficaciter præmoveri: Jesuitica defendit, Deum potiùs à creatura, quàm creaturam à Deo determinari.

§ 13 Præter has Sententias extremè oppositas est alia Scotistarum communis, asserens, Deum creaturis præparare suum concursum per Decretum, non indifferens, ut volunt Jesuitæ, sed efficax; at non prædeterminans, ut prætendunt Thomistæ, sed condeterminans, seu creaturæ concomitans determinationem. Hæc de communioribus Scholarum

rum fundamentis summatim dixerimus, ut facilius nostram doctrinam capiant, adversam Tyrones expugnent; quamvis Societatis Authores super iis multùm inter se dissideant, quo maximè redduntur de veritate suspecti.

14 Atque, ut nostram Sententiam, physicam Præmotionem in causis necessariis stabilientem, calleas; recole causæ divisionem alibi (2) traditam in causam liberam, & necessariam. *Libera* est, quæ agit ex propria electione, suæque actionem ita dominatur, ut positis omnibus per se requisitis ad agendum, posit agere, vel non agere. *Necessaria* est, quæ agit ex impetu naturæ, nec suam actionem, positis ad agendum requisitis, moderari potest; imò non potest non agere. Recole insuper, quæ de causarum requisitis dedimus *quæst.* 1. *art.* 2. *à num.* 1.

Nostra Conclusio.

15 *DICIMUS*: Deus physicè præmovet, seu prædeterminat causas necessarias ad operandum. Ità D. Thomas: (3) *In operatione, qua Deus operatur, movendo naturam, non operatur natura; sed ipsa naturæ operatio est etiam operatio virtutis divinæ.* Atqui operatio, qua Deus movet naturam adhùc non operantem, est motio, creaturæ motioni prævia, seu physica Præmotio: Ergò. Item: (4) *Tam Deus, quàm natura immediatè operantur, licet ordinentur secundùm prius, & posterius.* (5) *Deus igitur est prima causa movens, & naturales causas, & voluntarias.*

16 *PROB.* Conclusio: Physica Præmotio nihil est aliud, quàm efficax Dei concursus creaturam, pro priori ad hujus operationem, movens, & determinans de actu primo operandi ad actualem operationem; sed hujusmodi concursus admit-

(2) *In hoc lib. quæst.* 1. *art.* 1. *num.* 16.
(3) *Quæst.* 3. *de Pot. art.* 7. *ad* 3.
(4) *D. Thom. ibid. ad* 4. (5) 1. *par. quæst.* 86. *art.* 1. *ad* 3.

admittendus eſt neceſſariò in cauſis neceſſariis : Ergò. *Prob. min.* 1. Cauſa ex ſe indifferens , & indeterminata , determinari, moverique debet ab aliquo determinato, & exiſtente in actu ; ſed omnis cauſa neceſſaria eſt ex ſe indifferens, & indeterminata , licet non quoad ſpeciem , quoad individuum operationis : Ergò. Maj. patet : Quia ab indifferenti , in quantum tali , non exit actio determinata , ut per ſe notum eſt.

17 Prob. min. Quamvis ignis ſit determinatus ad comburendum , at non eſt determinatus ad hanc potiùs , quàm ad aliam combuſtionem : Ergò. Ant. patet : Quia, ſi eſſet ignis natura ſua determinatus ad hanc combuſtionem in particulari,numquam produceret aliam combuſtionem. *Urg.* Cauſa naturalis non unam ſemper , ſed nunc unam , poſtcà aliam efficit operationem individualiter diſtinctam ; ſed ſua natura ſemper eſt una in individuo : Ergò non à ſe ipſa, ſed ab alio determinatur nunc ad unam , nunc ad aliam operationem. Atqui non ſufficit determinatio ab alia cauſa ſecunda , cum hæc ulteriori indigeat determinatione : Ergò determinatur à Deo.

18 *Prob. jam 2. prima min.* Actualis cauſæ neceſſariæ determinatio ad operandum eſt à Deo immediatè dependens ; ſed non per concurſum ſimultaneum : Ergò. Prob. min. Concurſus ſimultaneus eſt poſterior illa naturalis cauſæ determinatione : Ergò. Prob. ant. Concurſus ſimultaneus eſt ſimùl , ſeu ipſa cauſæ operatio ; ſed operatio eſt poſterior cauſæ determinatione ad operandum , ut per ſe patet : Ergò. *Nec dicas* , eam dependentiam ſalvari per virtutis collationem , aut conſervationem à Deo factam. *Quia* collatio, ſeu conſervatio virtutis cauſam relinquit indeterminatam: Ergò, ut in actuali determinatione à Deo dependeat, immediatè Deus influit in determinationem , & non ſolùm media virtute. (6)

SOLVUN-

(6) *Pro aliis vid. Coll. D. Thom. 2. Phyſic. quæſt. 2. art. 6.*

SOLVUNTUR ARGUMENTA CONTRARIA.

19 *ARGUES* 1. (7) Causa necessaria, v. gr. ignis, est omninò determinata ad operationem: Ergò non indiget physica Dei Præmotione ad operandum. *Resp.* 1. dist. ant. Est omninò determinata determinatione à Deo immediatè dependenti, concedo ant. independenti, nego ant. & conseq. At verò hæc dependentia immediata salvari non potest per collationem, aut conservationem virtutis, aut per concursum simultaneum, ut ex dictis constat. Igitur (8) *dicendum, quòd necessitas naturæ, per quam calor agit, constituitur ex ordine causarum omnium præcedentium: Undè non excluditur virtus causæ primæ.* Imò (9) *Voluntas Dei, quæ est origo omnis naturalis motus, præcedit operationem naturæ.*

20 *Dices* 1. Causæ necessariæ ita ex se ipsis sunt ad operandum determinatæ, ut Deus, quatenùs naturæ Author, & teneatur simùl concurrere, & suam applicare Omnipotentiam: Ergò non indigent Præmotione, ut determinentur determinatione à Deo immediatè dependenti. *Dices* 2. Causa necessaria agere non potest, nisi à Deo virtutem accipiat, nisi Deus ipse cum illa concurrat, nisi suam quoque applicet Omnipotentiam; sed hæc omnia salvant immediatam creaturæ à Deo dependentiam: Ergò non opus est illi physica Præmotione.

21 *Ad* 1. *resp.* dist. ant. Concursu, & applicatione causas necessarias sibi subordinante in determinatione, & exercitio operandi, concedo ant. alio concursu, aut alia applicatione, nego ant. & conseq. Solutio liquet ex dictis. *Ad* 2. *resp.* permissa maj. dist. min. Salvant immediatam

(7) *P. Peyn. 2. Physic. disp. 5. sect. 3. num. 43.*
(8) *D. Thom. quæst. 7. de Pot. art. 7. ad 8.*
(9) *Idem ibid. ad 9.*

dependentiam causæ in actu primo, aut etiam illius effectus, concedo min. dependentiam causæ in actu secundo, seu in determinatione actuali ad ipsum, nego min. & conseq. Per virtutis collationem, & applicationem Omnipotentiæ, dependet à Deo causa secunda solùm in actu primo, quatenùs iis redditur potens operari: per concursum simultaneum dependet ejus effectus, vel ad summum actio: Determinatio autem de actu primo ad secundum dependet solùm per Præmotionem.

22 *Instab.* Corpus grave dependet in suo descensu à generante per hoc, quòd ab eo acceperit gravitatem: Ergò pariter. *Resp.* dist. ant. Dependet immediatè, nego ant. mediatè, concedo ant. & nego conseq. Dependentia autem causæ necessariæ à Deo debet esse immediata, qualem non habet in sua determinatione ex eo præcisè, quòd virtutem acceperit à Deo. *Atque hinc* colliges: Causam secundam per concursum simultaneum à Deo dependere in operando terminativè solùm, & quoad effectum; per acceptionem virtutis, solùm in actu primo; per Præmotionem autem, in sui determinatione de actu primo ad actum secundum, atque in ipsa operatione.

23 *Jam resp. 2. ad arg.* dist. aliter primum ant. Causa necessaria est omninò determinata ad operationem, quoad speciem, v. g. ignis ad comburendum, concedo ant. quoad individuum, v. gr. ad hanc, vel illam combustionem, nego ant. & conseq. (10) Ut igitur determinetur ad individuum indiget Præmotione. *Si dicas* 1. Ut potentia deambulativa deambulet, sufficit, voluntatem velle, eam ambulare: Ergò à pari. *Secundò*: Intellectus per assensum præmissarum est necessitatus quoad exercitium ad assensum conclusionis: Ergò non indiget Præmotione, ut determinetur quoad individuum.

24 *Ad* 1. resp. neg. in primis ant. Requiritur enim in volun-

(10) *Vide num.* 17.

voluntate usus activus ad movendas potentias executivas. *Sed*, permisso ant. nego conseq. Quia omnes hominis potentiæ in eadem anima radicantur, cujus motiva potentia est voluntas: At causa prima, & secunda in eodem principio non radicantur. *Ad* 2. dist. conseq. Ut determinetur utcumque, concedo; ut determinetur cum immediata dependentia à Deo, nego conseq. Solutio satis constat. *Nota.* Deum prædeterminare causas materialem, & formalem, sed in genere causæ efficientis illas ad suas causalitates determinantis.

ARTICULUS III.

Utrum Deus titulo primi Agentis, supremi Domini, primi Actus, primique Motoris physicè præmoveat causas secundas liberas ad operandum?

1 AGgredimur jam præcipuam, ac præcedentibus urgentiorem difficultatem: an videlicet præmoveat Deus physicè causas secundas liberas ad operandum? Quia tamen ad hujus gravissimæ difficultatis explanationem juvabit plurimum eorum, quæ sunt de constitutivo libertatis creatæ, ejusque naturæ, & indolis expositio; de natura priùs creatæ libertatis aliqua prænotabimus.

2 Causa libera, ut suprà diximus, ea est: *Quæ agit ex propria electione, suæque actioni ita dominatur, ut, positis omnibus per se requisitis ad agendum, possit agere, vel non agere.* Liberum arbitrium sic definitur: (1) *Facultas voluntatis, & rationis se habens ad utrumlibet.* Dicitur *Facultas*, id est *potestas expedita.* Additur, *voluntatis, & rationis*: quia, ut ait D. Thomas, (2) *liberum arbitrium non nominat voluntatem absolutè, sed in ordine ad rationem.* Undè liberum

(1) *Mag. in 2. dist. 24. apud Colleg. Rip. hìc, num. 89.*
(2) *Quæst. 24. de Verit. art. 6. ad 1.*

rum arbitrium non est potentia ab intellectu, & voluntate distincta; sed consistit in voluntate, ut intellectum connotante.

3 *Atque hinc* voluntas est formaliter libera, intellectus autem solùm causaliter, virtualiter, seu radicaliter. *Ratio* primi est: quia sola voluntas est formaliter motiva, & quæ, velut Domina suarum actionum, reliquas movet potentias in exercitio, prout sibi libuerit. *Ratio* secundi est: quia voluntas sequitur rationis ductum: atque ita, ut voluntas bonum aliquod prosequatur liberè, debet bonum ipsum ab intellectu voluntati proponi cum aliqua indifferentia; alioquin, si ab intellectu absque ulla indifferentia proponeretur, naturali impetu, & absque ulla prorsùs libertate amaretur à voluntate.

4 Enim verò triplex distingui potest indifferentia judicii. Prima est *objectiva*, consistens in eo, quòd objectum proponatur, ut non connexum cum bono in communi, seu, ut non habens omnem omninò bonitatem, sed cum aliquo bonitatis defectu admixtam; ita, ut valeat ratione bonitatis amari, & ratione defectus non amari. Ideò Beati Deum necessariò amant; quippè ipsis propositum, ut summè bonum. *Secunda* indifferentia est *reflexiva* sumpta pro potestate reflectendi formaliter, aut virtualiter supra rationis actus; ut, cum intellectus, supra his reflectens, de quibus judicium tulit, voluntatem dirigit ad electionem. *Tertia* est indifferentia *subjectiva*; id est potestas considerandi, aut non considerandi.

5 Prima indifferentia est causa, & proxima radix creatæ libertatis; nam indè oritur tota voluntatis indifferentia, in qua libertas formaliter consistit. Secunda, si practica sit, seu voluntatis directiva circa mediorum à ratione propositorum electionem, est etiam quodammodò libertatis causa: Sed, quia ejusmodi reflexio est intellectus exercitium, ad quod voluntas mentem applicuit, est etiam aliquo modo

effectus

effectus libertatis. Ast tertia indifferentia est, ut in plurimum, libertatis effectus.

6 Ex quibus, duplicem dari nostræ libertatis radicem, plurimùm annotabis: Prima est extrinseca, & remota, infinita nimirùm Divinæ voluntatis efficacia, *veluti causa quædam profundens totum ens, & omnes ejus differentias; sunt autem differentiæ entis possibile, & necessarium: Et ideò ex ipsa voluntate Divina originatur necessitas, & contingentia in rebus.* (3) Secunda est proxima, & intrinseca, objectiva nempè judicii indifferentia exposita jam *num.* 4. & 5. *Quia enim judicium rationis ad diversa se habet, & non est determinatum ad unum; necessè est, quòd homo sit liberi arbitrii.* (4)

7 Ultima verba definitionis liberi arbitrii sunt: *habens ad utrumlibet*, quæ indicant formalem voluntatis indifferentiam ad actum, vel non actum, seu ad actum oppositum. Est autem voluntatis indifferentia duplex, altera *suspensionis*, & *potentialitatis*, altera *potestatis*, & *dominii*. Prima est equilibrium, indeterminatio, seu ociositas voluntatis, quibus manet ab omni actu suspensa, in potentia tamen ad utrumque. Secunda est potestas, seu dominium voluntatis, etiam actu operantis, quo valet ab operatione desistere, seu non operari. Prima non est ad libertatem requisita; secunda est libertatis constitutiva.

8 *Undè* determinatio voluntatis ad unum, etsi tollat indifferentiam suspensionis, non aufert potestatis indifferentiam, veramque libertatem, dummodò illa determinatio à libertatis radice descendat: consequenter omnis creaturæ determinatio à Divina voluntate proveniens, atque objectivam judicii relinquens indifferentiam, non destruit illius libertatem. *Ex quibus* patet jam genuina liberi arbitrii

(3) *V. D. Thom.* 1. *Perhi. lect.* 14.

(4) *D. Thom.* 1. *part. quæst.* 83. *art.* 1. *V.* 1. 2. *quæst.* 17. *art.* 1. *ad* 2.

trii intelligentia ; ut indè libertatis quoque natura , & definitio intelligatur.

9 *Diximus* , cauſam liberam ex propria electione agere ; nam quoties voluntas liberè operatur , proprio arbitrio eligit operationem. *Diximus* , eam quoque ſuæ actioni dominari ; quia ſine dominio ſupra ſuos actus non ſtat poteſtatis indifferentia ad libertatem requiſita. *Cæterùm* (nota diligenter) dominium voluntatis creatæ ſupra ſuos actus non eſt abſolutum , deſpoticum , independens , & ſupremum ; ſed temperatum , dominio Dei ſubjectum , & ſubordinatum : quia , ſicut voluntas creata non eſt prima cauſa , ſed ſecunda ; ita non eſt primum liberum , primum determinans , primus dominus ſuorum actuum ; adeòque à voluntate divina dependet , tum in actu primo , tum etiam in actu ſecundo.

10 *Diximus* etiam , cauſam liberam poſſe agere , vel non agere , ut intelligatur , potentiam voluntatis eſſe , non ad *agere* , & *non agere* ſimùl , ſed ad utrumque diviſivè. Sed de hac potentia , deque ſenſu illo diviſo iterùm articulo ſequenti. *Diximus* tandem , cauſam liberam , poſitis omnibus per ſe requiſitis ad agendum , poſſe agere , vel non agere. Id autem abſolutè eſt intelligendum de requiſitis ad poſſe agere , ſivè ex parte actus primi ; non verò de requiſitis ad actualiter agendum , ſeu quæ ſe habent ex parte actus ſecundi. Licet enim cum utriſque requiſitis adjungatur poſſe *ad agere* , & *non agere* ; ipſum autem *agere* , & *non agere* adjungitur ſolùm cum omnibus ex parte actus primi ; at non cum omnibus ex parte actus ſecundi ; ſed *agere* cum his , quæ ad agendum requiruntur ; non *agere* cum requiſitis ad non agendum. (5)

11 *Jam* libertas altera eſt à *coactione* , altera à *neceſſitate*. Prima eſt illa , qua aliquis operatur non coactus , aut invitus , ſed ſpontaneè , & complacenter ; ideòque dici ſolet

(5) *V. lib. 2. quæſt. 1. art. 2. num. 1. 2. & 5.*

let *libertas complacentiæ*. Secunda est, qua quis agit, nedùm complacenter, sed indifferenter etiam, ut possit agere, vel ommittere; ac dicitur *libertas indifferentiæ*. Libertas à coactione cum vera necessitate componitur; Pater enim Æternus liber à coactione Filium generat, sed generat necessariò: atque hæc libertas non est sufficiens in voluntate creata. Libertas à necessitate, nedùm coactionem, sed etiam necessitatem excludit.

12 *Insuper* libertas à necessitate alia est contrarietatis, seu quoad specificationem, alia est contradictionis, sive quoad exercitium. Prima est indifferentia ad extrema contraria; v. gr. ad amorem, & odium. Secunda est indifferentia ad extrema contradictoria; v. gr. ad amorem, & non amorem. Ex his autem sola libertas contradictionis requiritur, & sufficit ad actus meritorios: nam Christus Dominus meritoriè obedivit Patri, quin habuerit libertatem contrarietatis. Et hæc de libertate quantùm ad præsens.

Nostra Conclusio.

13 *DICIMUS*: Deus titulo primi Agentis, supremi Domini, &c. physicè præmovet causas secundas liberas ad operandum. *PROB.* 1. Conclusio ex D. Thoma (6) asserente: *Si sint multa agentia ordinata, semper secundum agens agit in virtute primi agentis; nam primum agens movet secundum ad agendum.* Item: (7) *Non potest vitari, quin voluntas humana esset primum agens, si ejus actio in aliquod prius agens non reduceretur, sicut in causam.* Ex quibus

14 En argumentum: Deus est causa prima, seu primum agens cujuscumque rei creatæ; sed non esset, nisi causas secundas, præsertim liberas, ad agendum physicè præmoveret. Ergò. Prob. min. Causæ liberæ determinatio ad operandum est aliquid creatum; sed ejusmodi determinationis Deus non esset causa prima, nisi Deus causas

(6) 1. *p. q.* 105. *art.* 5. (7) *In* 2. *dist.* 37. *q.* 2. *art.* 2.

sas secundas liberas ad agendum physicè prædeterminaret: Ergò. Prob. Min. Causæ liberæ determinatio solùm causatur à principio determinante, sicut actio à principio agente, cognitio à cognoscente, &c. atqui, si Deus non prædeterminaret physicè causam secundam, non esset principium determinans creaturam: Ergò.

15 *Urg.* Primum agens, qualis est Deus, debet priùs agere, quàm secundum, nedùm prioritate dignitatis, aut alia simili, sed etiam prioritate influxus, & causalitatis; atqui primum agens non agit priùs, quàm secundum prioritate causalitatis, nisi præmoveat secundum: Ergò. Patet min. Nam concursu simultaneo non priùs, sed simùl agit; per motionem moralem non agit physicè, quo sensu est primum agens; per decretum applicativum Omnipotentiæ agit solùm in actu primo. Prob. maj. Primum agens in genere causæ efficientis debet priùs agere ea prioritate, quæ propria, & specialis est illius generis; sed sola prioritas causalitatis, & influxus effectivi est propria, & specialis in genere causæ efficientis: Ergò.

16 Maj. est evidens: quod enim in aliquo genere est priùs, ejusdem generis gaudere debet prioritate; sicut gaudet alicujus generis actualitate, quod est in illo genere actuale. Prob. min. Quælibet alia prioritas, sive ordinis, sive dignitatis, universalitatis, &c communis est aliis rerum generibus, cum Deus in genere essendi præcisè sit prior omnibus his prioritatibus: Ergò. *Atque hinc* rejecta manet Adversariorum (8) solutio, dicentium, Deum in nostras actiones non priùs, quàm nos, influere prioritate influxus, sed tantùm prioritate dignitatis, dependentiæ, & universalitatis.

17 *Resp. Contrarii* 1. (9) quòd, ut Deus sit prima causa, primumque agens, sufficit, quòd per virtutem incausatam influat sub ratione entis; non enim hic agendi modus

(8) *P. Lossad. disp. 8. cap. 6. num. 1.* (9) *Idem ibidem.*

dus convenit ulli agenti secundo. *Sed* contra hanc solutionem *obstat* 1. Quòd virtus incausata se habet ex parte actus primi, actualis verò influxus se habet ex parte actus secundi: Ergò ex eo, quòd influat incausata virtute, solùm infertur, causam, quæ in actu primo est primum agens, influere; non autem influere, ut primum agens, nisi in ipso exercitio, priùs agendo, munus primi agentis exerceat.

18 *Obstat* 2. Quòd, ut Deus sit prima causa in actu primo, nedùm debet agere incausata virtute, sed virtute necessariò præsupposita, seu priori omni virtute creata prioritate continentiæ, & virtutis physicè influxivæ: Ergò, ut Deus sit prima causa in actu secundo, nedùm debet incausata virtute agere, sed agere influxu præsuppositò, seu priori prioritate veræ, & physicæ causalitatis, respectu influxus creaturæ.

19 *Impug.* insuper hæc solutio: Quamvis respectu effectus à Deo increata virtute quoquo modo causati salvaretur, Deum esse primam causam, respectu tamen illius, quem nulla virtute causat, nequit prima causa denominari; atqui sine physica Prædeterminatione nulla virtute causaret Deus physicam creaturæ determinationem ad agendum: Ergò. Prob. min. Solùm causat Deus physicam creaturæ determinationem, si eam physicæ prædeterminat ad agendum: Ergò. Prob. ant. Solùm causat Deus physicam creaturæ determinationem, si eam reddit de physicè indeterminata physicè determinatam; sed solùm reddit creaturam de physicè indeterminata physicè determinatam per physicam Prædeterminationem: Ergò.

20 Maj. per se patet: Is enim causat creaturæ sufficientiam, capacitatem, & potentiam, qui reddit ipsam de insufficienti sufficientem, de incapaci capacem, de impotenti potentem. Prob. min. Solùm reddit Deus creaturam de physicè indeterminata physicè determinatam, si det ipsi

formam illam, qua redditur ipsa physicè determinata; sed forma, qua redditur creatura physicè determinata, est physica Prædeterminatio: Ergò. Maj. non minùs est vera, quàm verum sit, agens reddere parietem album, quia dat ipsi formam, qua redditur formaliter albus, scilicet albedinem. Prob. min. Forma, qua redditur creatura formaliter physicè determinata ad agendum, est prior, quàm actio creaturæ, ut per se patet; sed hoc ipsum, quatenùs à Deo productum, intelligunt Thomistæ (10) nomine physicæ Prædeterminationis: Ergò.

121 *Si dicas*: Creaturam se determinare, quin aliam sui determinationem producat, præter suam ipsius actionem; atque ita etiam Deum determinare simùl creaturam, producendo cum ipsa eamdem actionem: at non eam prædeterminare. *Contrà*: Quia creatura se determinat, ut secundum agens, secundum liberum, secundum determinans: Ergò ejus determinatio est jam secunda, alteram supponens à solo Deo productam, quæ proinde sit prædeterminatio. *Deinde*: Quamvis actio creaturæ illam determinet ad passivam effectus productionem, ut talem, non tamen ad agendum, alioquin determinaret creaturam ad sui productionem: Ergò ad agendum indiget Dei Prædeterminatione.

122 *Resp.* (11) Nostræ voluntatis determinationem à Deo causari effectivè; at non determinativè. *Sed*, quidquid sit de lusu verborum, qui causat effectivè creaturæ motionem, ejusque formalem determinationem, effectivè movet, & determinat creaturam; sed hoc est manifestè creaturam præmovere, ipsamque prædeterminare in sensu Thomistico: Ergò. Patet maj. Qui enim effectivè causat in creatura motionem, ipsam reddit de immota physicè motam, ut patet ex dictis *num.* 19. & 20.

Impug.

(10) *V. Pal. 2. Physic. quæst. 18. à num. 3.*

(11) *P. Herrer. ap. Lang. hic, à num. 605.*

¶ 23 *Impug.* 1. præfata solutio: Si Deus non causaret determinativè creaturæ determinationem, nec illam causaret effectivè; sed, per vos, eam causat effectivè: Ergò. Prob. maj. Si Deus non causaret determinativè creaturæ determinationem, ad eam non concurreret, determinando creaturam, sed potiùs à creatura determinatus; sed hoc ipso, nec effectivè causaret creaturæ determinationem: Ergò. Prob. min. Si Deus concurreret ad creaturæ determinationem determinatus à creatura, jam præsupponeret ante suum concursum determinationem creaturæ; sed hoc ipso jam supponeret effectivè adæquatè productam creaturæ determinationem: Ergò.

¶ 24 *Urg.* Pro signo, quo concipis, Deum à creatura determinari, vel concipis, Deum simùl efficere determinationem causæ secundæ, qua Deus ipse determinatur; vel concipis, Deum merè passivè, seu quasi passivè se habere respectu illius determinationis? *Si primum*: Ergò Deus nedùm effectivè, sed etiam determinativè concurrit ad creaturæ, suique determinationem, quippè qui producit determinationem utriusque. *Si secundum*: Ergò neque effectivè concurrit ad illam creaturæ determinationem; & consequenter non erit causa prima determinationis. *Adde*: Principium efficiens simùl, & determinans habere sibi subditum principium efficiens, & non determinans; ut patet in voluntate efficiente, & determinante, respectu habitùs tantùm efficientis; & in Domino respectu famuli, &c.

¶ 25 *Impug.* 2. illa solutio: Deus non esset primum agens, nisi creaturæ determinationem effectivè produceret: Ergò non esset primum determinans, nisi illam determinationem causaret determinativè. *Negant* (12) conseq. Quia sine immediato influxu effectivo non salvatur perfectissimum Dei dominium; salvatur autem sine immediata determinatione. *Sed contrà*: Per influxum purè effectivum,

(12) *P. Lossad. ubi suprà num.* 7.

vum, & non determinativum salvari nequit dominium in creatura, ut patet in causa necessaria: Ergò multò minùs in Deo, cujus dominium debet esse supremum, nedùm in actu primo ratione virtutis, aut decreti, sed etiam in actu secundo ratione superioris, & ab alio independentis causalitatis.

26 *PROB.* 2. Conclusio ex D. August. asserente: (13) *Deus de voluntatibus hominum, quod vult, cum vult, facit: habet enim cordium inclinandorum Omnipotentissimam potestatem, magisque habet in potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas.* At, si Deus physicè non prædeterminat voluntates hominum, sed earum determinationem expectare debet, ut docent Adversarii; quonam modo dici potest, Deum habere hominum inclinandarum voluntatum Omnipotentissimam potestatem? Si nequit primò movere voluntatem ad agendum liberè, ut homo ipse potest; quonam pacto habet magis in potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas?

27 *Sic argumentor*: Deus est supremus Dominus, nedùm voluntatis humanæ, sed cujusvis etiam illius operationis; sed ita non esset, nisi physicè voluntatem ad suos actus præmoveret: Ergò. Prob. min. Implicat, Deum esse supremum humanæ voluntatis, ejusque operationis Dominum, quin voluntas humana, omnisque ejus operatio sit Deo immediatè subjecta; sed hujusmodi subjectio sine physica Præmotione salvari non potest: Ergò. *Prob. min.* 1. Salvari non potest immediata subjectio voluntatis, hujusque operationis, quin Deus sit prior creatura in ratione causæ actu physicè operantis; sed hoc stare non potest sine physica Præmotione: Ergò.

28 Min. patet: Nam si Deus est prior creatura in ratione causæ actu physicè operantis, priùs exercet suam causalitatem, atque adeò prævièt operatur. Prob. maj. Ubicumque

(13) *Lib. de Correp. & Grat. cap.* 14.

cumque reperitur subjectio, & subordinatio unius respectu alterius in aliqua ratione, ibi reperiri quoque debet ordo prioris, & posterioris secundùm eamdem rationem: Ergò, si voluntas est Deo in sua operatione actuali immediatè subjecta, & subordinata, Deus est prior, &c. Maj. est certa: quia subordinatio essentialiter dicitur *sub altero ordinatio*. *Si dicant*, Dei operationem esse priorem prioritate dignitatis, universalitatis, &c. at non prioritate influxus, & causalitatis: facilè impugnabuntur ex dictis à *num.* 15.

129 *Prob.* 2. *min. principalis*: Ut voluntas creata immediatè subordinetur, & subjiciatur Deo in causando, ab ipso dependere debet in ratione principii, nedùm potentis, sed actualiter operantis; sed ita non subjicitur, nec subordinatur Deo per concursum applicativum Omnipotentiæ, neque per virtutem operativam, cum hæc se habeant ex parte actus primi, seu potentiæ proximæ; non per concursum simultaneum, aut per actionem creatæ voluntatis, quippè supponunt jam principium productivum, nedùm sub indifferentia, sed determinatum jam ad operandum: Ergò subjicitur, & subordinatur per physicam Præmotionem.

130 *Ex quibus* impugnatam habe Contrariorum (14) solutionem, asserentium, salvari immediatam creaturæ subjectionem, & subordinationem ex eo, quòd à Deo esse, totaque agendi vires accipiat, quòd ejus dominio subsit in agendo, nec possit agere, nisi Deo priùs volente, & simùl concurrente. *Quia* esse, & vires causæ se habent ex parte actus primi; concursus simultaneus ex parte effectus, seu effectionis; volitio Dei, nisi efficax, & effectiva sit, non reddit creaturam subjectam in ratione actualis causæ, ut suprà prætendimus. *Adde*: Quia voluntas est domina, & superior potentiis exterioribus, nedùm vult eas operari, sed eas physicè applicat ad agendum: Ergò.

Prob.

(14) *P. Lossad. ubi suprà, num.* 2.

131 *Prob. demùm* min. illa principalis : Perfecta voluntatis subjectio salvari non potest respectu Dei, quin Deus eam physicè applicet ad operandum, sed ejusmodi applicatio est physica Præmotio Thomistica : Ergò. Min. patet: Nam Deus non applicat voluntatem per concursum simultaneum, utpote posteriorem illa applicatione. Prob. maj. Ea subjectio salvari non potest, quin Deus, velut Dominus, voluntate physicè utatur ad agendum. Sed *usus alicujus rei nihil aliud est, quàm applicatio illius rei ad operationem*, teste D. Thoma : (15) Ergò. Maj. est certa : Usus enim est proprius actus dominii ; ideòque definitur : *Facultas utendi re ad omnes usus à lege permissos.*

132 *Urg.* Sine physica Præmotione Deus esset subjectus humanæ voluntati : Ergò. Prob. ant. Sine physica Præmotione, Deus offerret suam Omnipotentiam libero voluntatis usui, ejusque determinationem expectaret ad operandum cum ipsa ; sed hoc est, Deum subjici humanæ voluntati : Ergò. Maj. est doctrina Adversariorum. Prob. min. Unum alteri subjici, nihil est aliud, quàm se ipsum libero illius usui offerre, & præbere, ut ex terminis liquet : Ergò, Deum offerre suam ipsius Omnipotentiam libero creatæ voluntatis usui, est eam subjicere creaturæ. Atqui damnatæ sunt ab Innocentio XI. hæ propositiones : *Deus subjicit nobis suam Omnipotentiam.* Et : *Deus donat nobis suam Omnipotentiam, ut ea utamur ; sicut aliquis donat alteri librum, aut villam* : Ergò.

133 *Respondent* : (16) Ex quo Deus suam offerat Omnipotentiam, solùm sequi, Deum nobis subjicere suum concursum externum, qui cum actione creaturæ identificatur ; idque subjectione dumtaxat proximæ determinabilitatis. At non indè sequitur subjectio, aut donatio Omnipotentiæ ; quia subjectio talis operationis oritur ex libera Dei

(15) 1. 2. *quæst.* 16. *art.* 1.

(16) *P. Lossad. tract.* 2. *disp.* 8. *cap.* 4. *à num.* 3. *& seq.*

Dei concessione, & summa dignatione, qua vult creaturis concedere illius actionis dominium, non qualecumque, sed ad nutum revocabile.

*34 *Contrà* 1. Deus, juxta Contrarios, nedùm offert suum externum concursum, sed suam quoque Omnipotentiam à creatura determinabilem ad concurrendum; sed, quia suum offert concursum, ipsum nobis subjicit subjectione determinabilitatis ad existendum, vel non existendum: Ergò, & subjicit nobis suam Omnipotentiam subjectione determinabilitatis ad externè operandum, vel non operandum. *Contrà* 2. Qui ex libera concessione, & dignatione alteri offert equum, ut eo utatur ad iter agendum, servando sibi dominium, & potentiam ad oblationem revocandam, verè subjicit alteri, nedùm equi deambulationem, aut ejus usum, sed ipsum equum, saltem quandiù non revocat oblationem: Ergò pariter.

*35 *Contrà* 3. Ergò saltem externa Dei operatio subjicitur creaturæ, ut conceditis: Ergò Deus, ut operans, seu in esse operantis, subjicitur creaturæ. Prob. conseq. Quidquid verificatur de formali rei constitutivo, verificatur de re, ut formaliter constituta; sed æterna Dei operatio est formale constitutivum Dei, ut actualiter externè operantis: Ergò. *Adde*: Causa, quæ ex indigentia concurrit ex alterius determinatione, illi ex indigentia subjicitur: Ergò, si Deus sua libera dignatione expectat creaturæ determinationem, se spontè subjicit creaturæ; quod esset maxima indecentia.

36 PROB. 3. Conclusio ex D. Thoma (17) asserente: *Causa quæ est ex se contingens, oportet, quòd determinetur ab aliquo exteriori ad effectum.* (18) *Quòd causæ secundæ determinantur ad determinatos effectus, est illis à Deo.* (19) *Applicatio*

(17) 1. *part. quæst.* 19. *art.* 3. *ad* 5.
(18) 1. *part. quæst.* 105. *art.* 1. *ad* 3.
(19) 3. *Cont. cap.* 67. *num.* 4.

plicatio virtutis ad operandum est principaliter, & primò à Deo. Aliter: (20) *Nihil, quod est ad utrumlibet, exit in actum, nisi per aliquod determinetur ad unum*; sed (21) *ipsa potentia, quantùm est in se, indifferens est ad plura*: (22) *Necesse est ergò, quòd ab aliquo moveatur ad volendum*::: *sicut à primo movente.* Sed age rationem expendamus.

37 Ratio hæc nostræ Conclusionis ita ex D. Thoma proponi potest: Quod est physicè indifferens ad utrumlibet ex defectu physicæ determinationis ad unum, nequit in actum determinatum prorumpere, nisi ab alio physicè determinetur; sed causa libera creata est ex se physicè indifferens ad utrumlibet per carentiam physicæ determinationis ad unum: Ergò nequit in actum determinatum exire, quin ab alio physicè determinetur. *Sed* alius ille esse non potest, nisi Deus: Ergò.

38 *Resp.* Contrarii: (23) Indifferens ad utrumlibet indifferentia purè passiva, aut activa incompletionis ex defectu alicujus ad agendum prærequisiti inadquiribilis proveniente, non posse in actum prorumpere, quin ab alio determinetur: Cæterùm indifferens indifferentia activa, & quidem electiva, & dominativa, seu potestatis, non indigere ulteriori determinatione; sed determinare se ipsum ad unum præ alio. Et hujusmodi indifferentia est indifferens humana voluntas in actu primo proximo constituta. *Addunt*: Voluntatem determinari *per consilium rationis*; *nec oportet hoc esse per aliquod agens extrinsecum.* (24)

39 *Impug.* 1. solutio: Quod est physicè indifferens indifferentia potestatis, & dominii, nequit in actum determinatum prorumpere, nisi ab alio determinetur: Ergò.

Prob.

(20) 2. *Physic. lect.* 8. (21) *In* 2. *dist.* 39. *quæst.* 1. *art.* 1.
(22) 1. 2. *quæst* 9. *art.* 4. *in Corp. & ad* 3.
(23) P. Lossad. *disp.* 8. *cap.* 6. *num.* 11. Peyn. 2. *Physic. disp.* 5. *sect.* 4. *num.* 80.
(24) D. Thom. *quæst.* 3. *de Mal. art.* 3. *ad* 5.

Prob. ant. Quod est physicè indifferens indifferentia potestatis, & dominii, est indifferens indifferentia intrinseca ad actum, vel non actum; sed, quod est intrinsecè indifferens, semper manet indifferens, nisi aliquid intrinsecum determinativum de novo recipiat ab alio: Ergò. Patet maj. Nam, quod est physicè indifferens indifferentia activa potestatis, non est intrinsecè determinatum ad actum, vel non actum. Prob. min. Quod est intrinsecè indifferens, semper manet intrinsecè idem, donec intrinsecè mutetur; sed intrinseca indifferentia solùm per intrinsecam determinationem mutari potest: Ergò. (25)

140 *Urg.* Quamvis materia, & forma ritè dispositæ, & ad uniendum applicatæ sint indifferentes indifferentia solùm completionis ex parte actus primi, quia tamen sunt adhuc intrinsecè indifferentes ad uniendum, vel non uniendum, indigent intrinseco determinativo, unione scilicet superaddita: Ergò pariter. *Nec dicas*: Indifferentiam materiæ, & formæ non esse electivam, & dominativam. *Quia*, quamvis non sit dominativa, est tamen indifferentia plenæ potestatis, & completionis naturalis; sed ad determinandam hanc indifferentiam requiritur unio necessariò determinans ad uniendum: Ergò ad determinandam dominativam causæ indifferentiam, requiritur aliquid eam liberè determinans ad agendum.

141 *Impug.* 2. Etsi voluntas creata in actu primo proximo constituta sit indifferens indifferentia solùm completionis, dominii, & potestatis, est tamen indifferens indifferentia secundi dominii, & secundæ potestatis à prima, & suprema immediatè dependentis: Ergò debet determinari à se ipsa determinatione immediatè dependenti ab alio, qui sit primum determinans: Ergò priùs debet ab alio, quàm à se ipsa determinari. *Urg.* Quia Decretum oblativum Omnipotentiæ indifferentia dominii est indifferens ad concur-

(25) *V. D. Thom.* 1. 2. *quæst.* 10. *art.* 4.

ſum cum creatura, debet, per vos, priùs, quàm Deus concurrat, à creatura determinari: Ergò pariter.

42 *Atque hinc*, verum eſt, voluntatem in primis ſe ipſam determinare; ſed non, niſi priùs à Deo moveatur, applicetur, ſeu prædeterminetur; quia non eſt primum, ſed ſecundum determinans. Verum eſt inſuper, voluntatem moveri à judicio, ſeu conſilio rationis; non autem ſubjectivè, ſed objectivè; quia *intellectus movet voluntatem, ſicut præſentans ei objectum ſuum.* (26) *Ergò dicendum, quòd de ratione voluntatis eſt, quòd principium ejus ſit intra; ſed non oportet, quòd principium intrinſecum ſit primum principium non motum ab alio: undè motus voluntatis, etſi habet principium proximum intrinſecum; tamen principium primum eſt ab extra.* (27)

43 *PROB.* 4. Concluſio: *Omne, quod movetur, ab alio movetur*, ut ex Ariſt. docet D. Thomas; (28) ſed, dum cauſa libera ſe determinat ad producendum effectum, verè movetur: Ergò movetur ab alio, qui, ne ſit procedendum in infinitum, eſt primus motor omninò immobilis, nempè Deus: Ergò Deus movet cauſas liberas, dum moventur ad operandum. Sed, juxta Ariſt. (29) motio moventis præcedit motum mobilis natura, & cauſalitate: Ergò motio, qua Deus movet cauſas liberas, præcedit earum motum; adeòque erit prævia. Atqui prædicta doctrina eſt vera in ſenſu phyſico, cum Ariſtoteles de motu phyſico loquatur: Ergò Deus phyſicè prævièt movet cauſas liberas ad operandum.

44 *Sed*, quia proloquium illud Ariſtotelis, quantumcumque approbatum à D. Thoma, à Contrariis negatur, niſi *moveri* ſumatur pro eodem, ac *produci*; probatur: Idem nequit eſſe movens, & mobile reſpectu ejuſdem motus, ſed, ut moveat debet eſſe movens, & ut moveatur, debet eſſe mobile:

(26) D. *Thom.* 1. 2. *quæſt.* 9. *art.* 1.
(27) D. *Thom. ibi*, *art.* 4. *ad* 1. *V. art.* 6. *ad* 3.
(28) 1. *part. quæſt.* 2. *art.* 3. (29) 3. *Phyſic. text.* 16.

mobile : Ergò quod movetur, ab alio movetur. Prob. maj. Quod movet, est in actu motus, & quod est mobile est in potentia ad motum ; sed idem nequit esse in actu, & potentia respectu ejusdem : Ergò. *Nec dicas*, (30) quòd voluntas movet seipsam, juxta D. Thomam. *Nam* ; ut ipse vides, voluntas, juxta D. Thomam, per unum actum movetur ad alios : ast ita, ut primum principium cujuscumque motus sit extra, ut diximus suprà *num.* 42.

145 *Resp.* alii, (31) voluntatem, ut activam, esse moventem ; esse autem motam, ut passivam : quia voluntas est potentia activa, & passiva simùl. *Contrà* : Voluntas, ut activa, est in potentia ad motum : Ergò non est movens. Ant. patet : Nam, ut activa, est potens agere, & non agens præcisè. *Quia igitur voluntas est principium activum non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa ; sic Deus ipsam movet, quòd non ex necessitate ad unum determinetur ; sed remanet motus ejus contingens, & non necessarius.* (32)

146 Aliter adhuc respondent : (33) Voluntatem posse se ipsam reducere in actum, non quidem per suam entitatem, sed per suam actionem : Undè est movens, prout potens agere ; & est mota, prout actualiter agens. *Sed contrà* 1. Per te voluntas est mota, prout agens ; sed ita etiam est movens, cum agere sit movere : Ergò. *Secundò* : Prout potens agere, nullatenus est agens ; sed movere est agere : Ergò prout potens agere, non se movet. *Tertiò* : Voluntas, ut potens agere, est in potentia ad agendum ; sed aliundè agit, cum per te se moveat : Ergò. *Denique* : Voluntas movetur ad operationem ; sed nequit moveri ad operationem per operationem, ut clarum est : Ergò movetur ab alio.

(30) *P. Lossad. ubi supr. num.* 13.
(31) *P. Suar. apud Lang. hìc, num.* 589.
(32) *D. Thom.* 1. 2. *quæst.* 10. *art.* 4.
(33) *P. Peyn.* 2. *Physic. disp.* 5. *sect.* 4. *num.* 79.

SOLVUNTUR ARGUMENTA CONTRARIA.

47 *ARGUES* 1. Ut Deus ſit prima cauſa cujuſcumque effectus creati, ſufficit concurſus ſimultaneus: Ergò Deus titulo cauſæ primæ non præmovet cauſas liberas ad agendum. Prob. ant. Ut Deus ſit cauſa prima, ſufficit, quòd omnis cauſa ſecunda à Deo dependeat, ipſique ſubordinetur in operando; ſed ad hanc dependentiam, & ſubordinationem ſufficit concurſus ſimultaneus: Ergò. Prob. min. Per hoc præcisè, quòd creatura nihil poſsit agere, niſi Deo volente, ſimùlque concurrente, ſalvatur creaturæ dependentia, & ſubordinatio reſpectu Dei: Ergò.

48 *Reſp.* diſt. ultimum ant. Salvatur ſubordinatio, & dependentia creaturæ à Deo, quoad effectum, concedo ant. quoad reductionem, ſeu determinationem de actu primo ad actum ſecundum, & quoad ipſum actum ſecundum, nego ant. & conſeq. Cum enim concurſus ſimultaneus non influat in creaturæ determinationem, neque in ejus operationem, ſed tantùm in effectum immediatè; per ipſum ſolus effectus à Deo immediatè dependet. Ex quo autem creatura non poſsit agere, niſi Deo volente, & comitante, non infertur illius dependentia; alioquin Deus etiam à creatura dependeret, quia nequit voluntarium effectum creaturæ producere, niſi ea volente, & comitante.

49 *Dices*: Ut cauſa ſecunda à Deo dependeat quoad determinationem, & actum ſecundum, ſufficit, quòd ab eo virtualiter moveatur, & determinetur; ſed per virtutis exhibitionem, abſque phyſica Præmotione virtualiter movetur, & determinatur: Ergò. Prob. maj. Ut corpus grave in ſuo motu dependeat à generante, ſufficit, quòd ab eo virtualiter moveatur, & determinetur: Ergò. *Conf.* Ut actio, ſeu actus ſecundus cauſæ creatæ à Deo dependeat,

deat, sufficit, quòd à Deo immediatè producatur; sed producitur à Deo per actionem, quæ non est causæ prætiva, ut diximus in hac *quæst. art.* 1. *num.* 40. Ergò.

50 *Ad Inst.* nego maj. Quia virtualis motio, seu virtutis exhibitio se habet ex parte actus primi, solùmque in actu primo reddit causam creatam à Deo dependentem. Ad ejus prob. nego conseq. Quia dependentia descensus corporis gravis à generante non est perfecta, & immediata, sed mediata, media scilicet virtutis collatione: Cæterùm dependentia determinationis causæ creatæ à Deo est perfectissima, & immediata, quæ non salvatur media virtutis exhibitione, sed per immediatam determinationem. *Ad Conf.* resp. actionem creaturæ produci per actionem, quæ priùs est concursus prævius, quatenùs determinat causam ad agendum, & pro posteriori est actio productiva illius actionis, ut diximus, *ubi suprà num.* 41.

51 *Præterea*, quamvis actionis dependentia salvaretur per actionem Dei, qua producitur; ast creaturæ determinatio solùm dependet immediatè per actionem prædeterminativam. *Instab.* Finis movet voluntatem, ut primum movens immobile, ut sæpè ait D. Thomas; sed non motione prævia ad primum actum voluntatis, cum ille sit causalitas finis: Ergò. *Resp. ad Inst.* nego min. Quia pro priori ad primum amorem finis, finis ipse præpositus voluntati, ipsam movet in genere causæ formalis extrinsecæ, & per modum objecti; etsi non moveat in genere causæ finalis. (34) Aliter Palanc. 2. *Physic. quæst.* 16. *à num.* 13.

52 *ARGUES* 2. Ut Deus moveat voluntatem creatam, non debet esse prævia motio Dei: Ergò Deus titulo primi motoris non præmovet physicè voluntatem. Prob. ant. Voluntas movet se ipsam; sed ejus motio non est prævia: Ergò. *Resp.* neg. ant. Ad prob. dist. maj. Voluntas movet se ipsam ad primam sui actionem, nego maj. ad alias subsequutas,

(34) *V. in hoc lib. quæst.* 2. *art.* 3. *num.* 9. 10. *& 29.*

quatas, concedo maj. Et dist. min. respectu primæ actionis, concedo min. respectu aliarum, ad quas se ipsam movet, nego min. & conseq. Voluntas itaque ad unum actum se movet per alium priorem; ad hunc per alium priorem; & sic usque ad primum amorem finis, ad quem movetur efficienter à solo Deo.

53 *Dices*: Voluntas se movet ad primum etiam amorem finis: Ergò. *Prob. ant.* 1. Voluntas per primum amorem finis vivit, cum ille sit actus vitalis; sed vivere est, se movere: Ergò. *Prob.* 2. idem ant. Voluntas respectu primi amoris non se habet merè passivè, ut de omni voluntatis actu definire videtur Concilium Tridentinum: (35) Ergò. *Conf.* Ad actus voluntatis primo posteriores Deus movet voluntatem simùl cum voluntate; sed hoc non obstanti est primus motor respectu illorum: Ergò idem salvatur per concursum simultaneum in quacumque voluntatis operatione.

54 *Ad Iust.* nego ant. *Ad* 1. *prob.* concessa maj. dist. min. Vivere est, se movere elicitivè, concedo; est se movere præcisè applicativè, seu determinativè, nego min. & conseq. Ad conceptum enim actus vitalis non requiritur præcisè, quòd sit motus à se per formalem applicationem sui ad actum; sed sufficit, esse motum à se per formalem elicientiam actus, qui sit formalis applicatio viventis ad actus posteriores; ut contingit in nostro casu. *Ad* 2. *prob.* concesso ant. dist. conseq. Ergò voluntas se movet, elicitivè, id est eliciendo primum amorem, concedo: se movet determinativè, & applicativè, id est se applicando, & determinando ad primi amoris elicientiam, nego conseq. Atque ita non merè passivè se habet.

55 *Ad Conf.* dist. min. Est primus motor titulo motus simultanei præcisè, nego min. Titulo motus prævii, concedo min. & nego conseq. Deus itaque respectu primi voluntatis

(35) *Sessione 6. Can. 4.*

tatis actus est primus motor, quia voluntatem ad illum prædeterminat; respectu aliorum dicitur etiam primus motor: *Tum*, quia in tota movendi serie Deus incipit motum voluntatis: *Tum* etiam, quia, licet Deus simùl tempore cum voluntate se applicante ipsam ad reliquos actus moveat; sed adhuc prioritate naturæ, & causalitatis est prior Dei motus, quo indiget voluntas, ut suo primo actu utens, se applicet ad secundum: se itaque applicat voluntas, sed dependenter à Dei applicatione.

56 *ARGUES* 3. Si Deus physicè præmoveret voluntatem creatam ad agendum, Deus sua actione præmotiva voluntati imprimeret aliquid intrinsecum, sive impulsum, sive qualitatem; sed hoc admitti non potest: Ergò. Maj. videtur communis inter Thomistas, apud quos, ad tollendam intrinsecam indifferentiam, requiritur quid intrinsecum determinativum. Prob. min. Impulsus ille, seu qualitas præmotiva, cum sit causa creata, indigeret altera præmotione cum suo impulsu, vel qualitate; hæc qualitas altera; & sic usque in infinitum; sed hoc admitti non potest: Ergò.

57 *Resp.* permissa maj. de qua disputant Thomistæ, (36) nego min. Ad prob. nego maj. Quia impulsus ille, vel qualitas, quamvis sit aliquid creatum, non est causa, *ut quod*, sed *ut quo*; imò est causa *ut quo* de ordine superiori, cum sit forma, seu quasi forma, qua Deus applicat, seu præmovet causas secundas ad agendum; & unius rationis formalis non datur alia: ideòque non indiget impulsus ille altero impulsu ad determinandam causam secundam. *Nec dicas*, quòd virtus activa illius qualitatis non est actus purus: Ergò indiget applicatione. *Nam*, etsi non sit actus purus, est id, quo actus purus alia determinat.

58 *Instab.* Si Deus imprimeret causis secundis creatum impulsum, aut præmotivam qualitatem, Deus non immediatè,

(36) *V. Palanc. ubi supr. quæst.* 18. *per tot.*

diatè, ſed, media illa qualitate, aut impulſu, producetet effectus cauſæ ſecundæ; ſed hoc eſt falſum: Ergò. *Reſp.* diſt. maj. Non produceret *applicativè* immediatè, concedo; quia applicatio cauſæ mediatè ſe habet ad effectum: Non produceret *cooperativè* immediatè, nego: nam Deus per ſimultaneum concurſum immediatè cooperatur effectum creaturæ. *Replic.* Ergò ſaltem Deus, nec applicat, nec præmovet immediatè voluntatem. *Diſt.* conſeq. Immediatione formæ intrinſecè præmotivæ, concedo; nam hoc dicit imperfectionem: immediatione agentis, nego conſeq. Et hoc ſufficit ad phyſicam Præmotionem.

ARTICULUS IV.

Utrum phyſica Præmotio lædat, an perficiat creatam libertatem?

1 PRæcipuum, ac ferè unicum adverſæ opinionis fundamentum, ad denegandam phyſicam Dei Præmotionem in cauſis liberis, eſt ſubverſio creatæ libertatis, quam indè, volunt, ſubſequuturam. Ideò oſtendendum eſt nobis, nullam ex phyſica Præmotione inferri creatæ libertatis læſionem: imò potiùs, eam perfici quodammodò, & expediri. Fatemur autem reſolutionis difficultatem: nam *iſta quæſtio, ubi de arbitrio voluntatis, & Dei gratia diſputatur, ita eſt ad diſcernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur: quando autem aſſeritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.* (1)

2 Itaque *ſupponendum eſt* 1. (2) Duplicem in voluntate creata concipi poſſe ad utrumlibet indifferentiam, ac proinde libertatem: alteram verſatilem, vagam, effrænem, dicit

(1) *D. Auguſt. lib. de Grat. Chriſti, cap. 47.*
(2) *V. Gon. 1. p. Clyp. tract. 4. diſp. 9. art. 1. à num. 6.*

dicit potentiam eligendi, & se determinandi independenter à Divina motione, & applicatione: alteram temperatam, Deo subjectam, & subordinatam, tamquàm primo libero, primoque determinanti. Prima indifferentia solùm valet constituere in voluntate effrænem, vagamque, aut potiùs chymericam libertatem; ideòque rejicienda est. Secunda autem est sufficientissima ad liberi arbitrii constitutionem; ut, quemadmodùm nostra voluntas non est prima, & independens causa, ita non est primum, & independens liberum arbitrium; sed secundum, subjectum Deo, & subordinatione temperatum.

3 Ex quibus *colliges*, voluntatem creatam non minùs in efficientia actus, quàm in ejus omissione à Deo dependere, nedùm, ut dante, aut negante *posse* per virtutis collationem, vel negationem, sive in actu primo; verùm etiam, ut dante actum per physicam Præmotionem, aut omissionem actus per denegationem physicæ Præmotionis. *Hinc*, quamvis Præmotio sit necessariò requisita ad actum, Petrus non præmotus habet veram ad actum potentiam, non quidem vagam, & independentem, sed Deo subordinatam, & ad actum reducendam dependenter à Deo præmovente. *Ita*: Petrus ad actum præmotus, retinet eandem potentiam ad non actum, sed reducendam ad omissionem actus dependenter à Deo Præmotionem auferente.

4 *Supponendum est* 2. Quòd, ut perfecta creaturæ libertas servetur illæsa cum Præmotione, non requiritur, ut Petrus præmotus ad consensum valeat non consentire in sensu composito Præmotionis, & carentiæ consensus; id est, quòd valeat conjungere cum Præmotione carentiam consensus: sed sufficit, si valeat non consentire in sensu diviso Præmotionis; hoc est, si valeat ponere carentiam consensus divisim à Præmotione. *Sic etiam*: Ut Petrus non præmotus consentire valeat, non requiritur, Petrum pos-

ſe conjungere conſenſum cum Præmotionis carentia, qua eſt affectus; ſed ſufficit, eum poſſe ponere conſenſum diviſim à carentia Præmotionis.

5 *Ratio eſt*: Quia potentia libertatis conſtitutiva, non eſt potentia ad ponendum actum junctum cum omnibus requiſitis ad carentiam actus; alioquin libertas ad ſe movendum eſſet potentia ad ponendum motum ſimùl cum quiete ad non motum requiſita: neque eſt potentia ad ponendam carentiam actus cum omnibus, quæ ad actum requiruntur; aliàs libertas ad non amorem eſſet potentia ad ponendam amoris carentiam cum actuali voluntatis applicatione ad amandum. Eſt igitur vera libertas potentia ad ponendum actum, vel non actum ſimùl cum requiſitis ad poſſe, tam agere, quàm non agere, quæ dicuntur requiſita ex parte actus primi: Cæterùm eſt potentia ad ponendum actum cum requiſitis ad actualiter agendum, & diviſim à requiſitis ad non agendum; & ad ponendum non actum cum requiſitis ad actualiter non agendum, ſed diviſim à requiſitis ad actum.

6 Cum igitur Præmotio ſit requiſitum quoddam, non ex parte actus primi, ſeu ad poſſe agere, ſed tantùm ex parte actus ſecundi, id eſt ad agendum; cum ea componi non poteſt non actus; at poteſt à voluntate poni diviſim ab illa: non ita (nota diligenter) ut requiritur Præmotionis diviſio ad hoc, ut voluntas poſsit ponere non actum, quia cum Præmotione ad actum habet voluntas veram potentiam ad non actum; ſed ita, ut ad ponendum non actum requiratur Præmotionis diviſio à Deo facienda; quia ponendus eſt non actus dependenter à Deo non præmovente.

7 *Atque hinc* facilè intelliges, pravam eſſe, ac hæreticam ſenſus compoſiti, & diviſi intelligentiam, quam Antiquiores Jeſuitæ (3) Thomiſtis attribuebant: quaſi nimirùm

(3) *P.P. Suarez, Leſsius, Molina, Vazquez, Coninchus, Merarius, & alii, apud Gonet, ubi ſuprà, art.* 4.

rùm intelligendum esset, quòd voluntas præmota ad consensum non posset dissentire in sensu composito; id est, habens Præmotionem, non haberet verùm *posse* ad dissensum: sed posse tantùm dissentire in sensu diviso; ita, ut requireretur divisio Præmotionis ad verùm *posse* dissentire. Hæc tamen intelligentia Hæreticis familiaris est, Thomistis odiosa, ut jam moderni Jesuitæ, nobis clamantibus, & reclamantibus, intellexerunt.

8 Eodem ferè sensu intelligi, exponique solet, cum à Thomistis dicitur, Petrum præmotum ad amorem habere simultatem potentiæ, non potentiam simultatis ad non amorem. Habet, inquam, *simultatem potentiæ*, quatenùs simùl habet potentiam ad amorem, & non amorem: at non habet *potentiam simultatis*, quia non habet potentiam ad amorem, & non amorem simùl ponendos. *Sic etiam*: Petrus præmotus ad actum, habet *potentiam possibilitatis* ad non actum; id est, habet absolutè potentiam ad ponendum non actum in alio instanti ab eo, in quo est præmotus: at verò non habet *potentiam ponibilitatis*; id est ad ponendum non actum pro instanti ipso Præmotionis.

9 *Supponendum est* 3. In voluntate reperiri posse potentiam antecedentem, & consequentem. Pro cujus intelligentia nota, voluntatem in triplici signo, seu statu considerari posse. *Primum* est signum actus primi, seu potentiæ proximæ, in quo voluntas est completè potens ad actum, & non actum, respiciens utrumque libertatis extremum absolutè, & præcisivè à circunstantiis applicationis, vel non applicationis ad utrumlibet. *Tertium* est signum actus secundi, in quo voluntas incipit jam operari, aut operationem omittere, respicitque jam actum, vel ejus omissionem cum circunstantiis applicationis ad ipsum, vel ad ipsam. *Secundum* est inter utrumque medium, in quo voluntas per suam, divinamque applicationem transit de actu primo ad actum secundum.

10 Potentia igitur, quam habet voluntas in primo ſigno, ex omnibus requiſitis ad actum primum conſtitutam, eſt potentia antecedens libertatis conſtitutiva. Potentia autem, quam habet voluntas in tertio ſigno, ex requiſitis ad actum ſecundum conſtitutam, eſt potentia conſequens: quæ, ſi conſtituatur ex requiſitis ad actum, eſt neceſsitas conſequens ad ipſum, & impotentia conſequens ad non actum; ſi autem ſit conſtituta ex requiſitis ad non actum, eſt neceſſitas conſequens ad non actum, & impotentia conſequens ad actum.

11 *Ratio eſt*: Quia, poſitis omnibus per ſe requiſitis ad actum ſecundum, ex conſequenti eſt neceſſarius actus, & impoſsibilis non actus; &, poſitis requiſitis ad omiſsionem actus, ex conſequenti eſt neceſſaria actus omiſsio, & impoſsibilis actus. *Undè* voluntas applicata ad amorem, vi applicationis, nedùm antecedentem, ſed etiam conſequentem habet potentiam ad amorem: vi ejuſdem applicationis habet inſuper conſequentem neceſsitatem ad amorem ipſum, & impotentiam ad non amorem: è contrà autem, ſi ſit ad omiſsionem amoris applicata.

12 Eſt itaque potentia antecedens: *Facultas voluntatis in actu primo proximo conſtitutæ, reſpiciens extrema indifferentiæ, ut ponibilia abſolutè, & præciſivè à circunſtantiis, quibus alterum ponatur, alterum impediatur.* Eſt autem potentia conſequens: *Facultas voluntatis in actu primo proximo conſtitutæ, reſpiciens unum potiùs extremum, quàm alterum, vi alicujus circunſtantiæ, qua unum, & non alterum, eſt poſsibile.* Atque hinc, defectus potentiæ antecedentis ad unum contradictorium eſt neceſsitas antecedens ad alterum: & defectus potentiæ conſequentis ad unum eſt ad alterum neceſsitas conſequens.

13 Defectus autem potentiæ antecedentis, ſeu neceſſitas antecedens deſtruit libertatem; quia oritur ex defectu alicujus requiſiti, aut ex aliquo impedimento ad poſſe, tam

agere,

agere, quàm non agere: sed defectus potentiæ consequentis, seu consequens necessitas libertatem non destruit: quia oritur, non ex carentia potentiæ, sed ex illius reductione ad unum potiùs, quàm ad alterum extremum libertatis. *Potentia* demùm, quam habet voluntas in secundo signo ex tribus suprà statutis, quod est signum determinationis voluntatis, sive à Deo, sive à se ipsa, est potentia antecedens, tam ad actum, quàm ad non actum, & potentia consequens ad unum, non ad alterum.

114 *Ratio primi est*: Quia, sicut determinatio voluntatis à se ipsa non destruit ejus libertatem, cum non auferat ejus posse, sed solùm indeterminationem; ità Dei Prædeterminatio, neque dat, neque aufert posse voluntati, solùmque illam ad unum præ alio efficaciter determinat, atque adeò non destruit libertatem. *Ratio secundi est*: Quia, sicut voluntas per suam determinationem se ipsam ex consequenti necessitat ad amorem, & redditur impotens ad non amorem, quin sequatur indè læsio libertatis; sic voluntas à Deo præmota ad actum, ex consequenti necessitatur ad ipsum, & ad non actum redditur impotens, quin libertas destruatur.

115 Ideò enim non destruitur libertas ex necessitate ad unum, & impotentia ad alterum, dummodò illa necessitas, & hæc impotentia ita sint consequentes, ut oriantur ex voluntatis determinatione, quia oriuntur ex ipsa libertate: Atqui necessitas ad unum, & impotentia ad alterum, consequentes Dei Prædeterminationem, atque ab ipsa causatæ, ex prima libertatis radice, & causa, imò ex ipsa libertate, ut in Divina voluntate eminenter contenta, oriuntur, eamque consequuntur: Ergò ejusmodi necessitas ad unum, & impotentia ad alterum verè sunt consequentes, potentiamque antecedentem salvant, & libertatem creatam non enervant.

Nostra

Noſtra Concluſio.

16 *DICIMUS*: Phyſica Dei Præmotio nec lædit, nec in minimo nocet creatæ libertati. Sic D. Thomas: (4) *Deus, movendo cauſas voluntarias, non aufert, quin actiones earum ſint voluntariæ; ſed potiùs hoc in eis facit.* Et alibi: (5) *Deus operatur in voluntate, & in libero arbitrio ſecundùm ejus exigentiam: Undè, etſi voluntatem hominis in aliud mutet; nihilominùs tamen hoc ſua Omnipotentia facit, ut illud, in quod movetur, voluntariè velit.* Demùm: (6) *Voluntas Divina eſt agens fortiſsimum: undè oportet, ejus effectum ei omnibus modis aſsimilari, ut non ſolùm fiat id, quod Deus vult fieri: ſed, ut fiat eo modo, quo Deus vult, illud fieri; ut neceſſariò, vel contingenter.*

17 *PROB.* 1. Concluſio ratione D. Thomæ: Quod cauſat, nedùm ſubſtantiam operis, ſed modum etiam libertatis illius, non deſtruit operationis libertatem; ſed phyſica Dei Præmotio, ejus exiſtentia ſuppoſita (ut ſupponi debet ad præſentem difficultatem) cauſat, & operationem, & illius libertatem: Ergò. Prob. min. Phyſica Dei Præmotio movet voluntatem, nedùm ad agendum, ſed ad agendum liberè: Ergò. Prob. ant. Non ſolùm dependet immediatè à Deo voluntas creata in ſua determinatione, & operatione quidditativè ſumptis, verùm etiam, quoad modum libertatis, qua ſe determinat, & qua operatur; ſed, quia dependet in ſuis operatione, & determinatione, à Deo præmovetur ad ſe determinandum, & operandum, ut oſtendimus articulo antecedenti: Ergò pariter.

18 *Conf.* Quia amor liber, nedùm, quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoad modum libertatis, eſt à voluntate, voluntatis determinatio non tollit ejus libertatem; ſed idem amor liber

(4) 1. *part. quæſt.* 83. *art.* 1. *ad* 3.
(5) *In* 2. *diſt.* 25. *quæſt.* 1. *art.* 2. *ad* 1.
(6) *In* 1. *ad Anibal. diſt.* 47. *quæſt.* 1. *art.* 4.

liber etiam est à Deo, tamquàm à prima causa, primo libero, primoque determinante, ut constat: Ergo. *Urg.* Physica Dei Præmotio non impedit, quominùs voluntas operetur cum indifferentia judicii ad libertatem requisita; sed indè oritur indifferentia voluntatis, qua constituitur libertas, ut ex D. Thoma suprà (7) diximus: Ergò non impedit, quominùs voluntas liberè operetur.

19 Prob. maj. *Tum*, quia physica Præmotio solùm efficit, ut voluntas eligat, & applicetur ad unum ex his, quæ ratio indifferenter proponit: *Tum* etiam, quia Præmotio, cum solùm applicet voluntatem, intactum relinquit rationis judicium, ejusque indifferentiam: Ergò. *Nec dicas*: (8) Suppos. a judicii indifferentia, posse voluntatem ab agente extrinseco necessitari. *Nam* potest necessitari ab agente extrinseco creato; secùs ab increato intra ipsam voluntatem, ut primum liberum, operante.

20 *PROB.* 2. Conclusio: Si Deus physicè præmoveret voluntatem, liberè ex parte sui eam præmoveret; sed hoc ipso non destrueret creatam libertatem: Ergò. Prob. min. Hoc ipso quod Deus liberè præmoveat nostram voluntatem, voluntatem relinquit cum vera potentia ad oppositum: Ergò. Prob. ant. Hoc ipso quod Deus liberè præmoveat nostram voluntatem ad actum, relinquit omissionem actus verè possibilem voluntati; sed hoc est relinquere voluntatem cum vera potentia ad omissionem: Ergò. Patet min. Nam possibile est correlativum potentiæ respectu cujus est possibile. Prob. maj. Si Deus liberè præmovet voluntatem ad actum, pro eo tunc potest non præmovere; sed hoc ipso est voluntati verè possibilis actus omissio, ut patet: Ergò.

21 *Conf.* Cum Præmotione ad actum stat potentia expedita ad actum oppositum: Ergò. Prob. ant. Non magis repugnat,

(7) *Art. præcedent. num.* 6.

(8) *P. Suarez, tom.* 1. *Prol.* 1. *de Arb. lib. cap.* 5. *num.* 21.

repugnat, ſtare potentiam ad actum oppoſitum cum Præmotione, quàm cum poſitione actus, ad quem datur Præmotio; ſed cum poſitione actus, ad quem datur Præmotio ſtare poteſt potentia ad oppoſitum: Ergò. Maj. patet: Ideò enim cum Præmotione repugnare videtur Contrariis oppoſiti actus poſitio, quia illa infert actum infallibiliter. Prob. min. Ea tantùm repugnant ſimùl ſtare, loquendo, ut loquimur, de extremis poſitivis, quæ ſibi contrariè opponuntur; ſed unius actus poſitio non opponitur contrariè potentiæ ad actum oppoſitum, ut eſt plus, quàm evidens: Ergò.

22 *Si dicant* ad *prob.* Omiſſionem actus eſſe poſsibilem voluntati ſolùm pro ſtatu non Præmotionis. *Contrà*: Quia, dum voluntas eſt præmota, ineſt voluntati idem poſſe, ac ante Præmotionem, cum hæc non auferat poſſe. *Deinde*: Si Deus, dum præmovet ad actum, retinet potentiam ad non præmovendum, relinquit actum contingentem, omiſſionemque verè poſsibilem. *Si dicant* ad *Conf.* Poſitionem actus relinquere voluntatem potentem ad actum oppoſitum, quia oritur illa ab ipſa libertate. *Contrà*: Etiam Præmotio oritur à prima creatæ libertatis radice; imò ab ipſa creata libertate, ut eminenter contenta in efficacia divinæ voluntatis.

23 *PROB.* 3. Concluſio: Si phyſica Præmotio creatam everteret libertatem, maximè, quia eſt eſſentialiter requiſita ad conſenſum, cum illo metaphyſicè connexa, & in impedibilis à voluntate; ſed, his non obſtantibus, creatam non deſtruit libertatem: Ergò. *Prob. min.* 1. Si phyſica Præmotio ad actum requiſita, cum eo metaphyſicè connexa, & à voluntate inimpedibilis, everteret libertatem ad non actum, ideò eſſet, quia non poteſt componi cum non actu; ſed, licet non poſsit cum non actu componi, non deſtruit libertatem: Ergò. Prob. min. Quod poteſt componi cum vera potentia ad non actum, licet cum non actu

ſit

sit incompossibile, non destruit libertatem ad non actum; sed physica Præmotio componitur cum potentia ad non actum: Ergò.

24 Maj. patet: Nam stante potentia ad non actum, salvatur potentia dominii libertatis constitutiva. *Pob. min.* Physica Præmotio ad actum cum his omnibus componitur, quæ veram potentiam constituunt ad non actum: Ergò. Prob. ant. Si physica Præmotio ad actum non componeretur cum omnibus his, quæ constituunt potentiam ad non actum, maximè, quia potentia ad non actum essentialiter constituitur per carentiam Præmotionis ad actum; sed hoc est falsum: Ergò. Maj. patet: Quia, juxta Adversarios, Præmotio ad actum est impedimentum antecedens ad carentiam actus; & omnis potentia constituitur per carentiam cujuscumque impedimenti antecedentis.

25 Prob. min. Si potentia ad non actum constitueretur per carentiam physicæ Præmotionis ad actum, ideò esset, quia physica Præmotio est metaphysicè connexa cum actu; ideò enim est impedimentum ad non actum; atqui, licet physica Præmotio sit metaphysicè connexa cum actu, potentia ad non actum nequit constitui per carentiam physicæ Præmotionis: Ergò. Prob. min. Eo ipso, quòd physica Præmotio sit metaphysicè connexa cum actu, posita Præmotionis carentia, per vos ponitur necessariò non actus; sed per id, quo posito, ponitur necessariò non actus, nequit constitui potentia libera ad non actum, ut clarum est: Ergò.

26 *Prob. 2. prima min.* Si physica Præmotio ad actum tolleret libertatem voluntatis ad non actum, maximè, quia est à voluntate inimpedibilis, & infrustrabilis; sed hoc non obstanti non aufert libertatem: Ergò. Prob. ant. Christus Dominus non potuit, aut impedire, aut frustrare præceptum de morte subeunda; sed nihilominùs liberè obedivit: Ergò à pari. Quidquid dicas de præcepto mortis Christi, Christus Dominus non potuit non adimplere præcepta naturalia,

turalia, quæ admittere tenebatur, quorum dispensationem petere non poterat; sed liberè adimplevit: Ergò pariter. (9)

127 *Prob.* 3. ipsa min. argumenti: Scientia Media de consensu sub auxilio *A*, cum sit infallibilis, est essentialiter connexa cum consensu, & inconjungibilis cum dissensu: cum sit infrustrabilis, est à voluntate creata inimpedibilis: cum sit divina, est nobis inadquiribilis: cum implicet, per vos, consensus absque ejus prævisione, est per se requisita ad consensum: sed his non obstantibus Petrus prævisus per Scientiam Mediam consensurus sub auxilio *A*, liberè consentit, retinetque veram libertatem ad non consentiendum: Ergò pariter. *Si dicant*: Scientiam Mediam posse, quoad terminum, aut effectum impediri. *En*, eo ipso jam posset non existere, quod Deus illa Scientia extiturum prævideat, posset que esse falsa illa prævisio.

128 *Urg.* Posita Scientia Media de consensu Petri, impossibile est Deo, facere, quòd Petrus dissentiat, & consequenter est impossibile, Deum non concurrere cum illo ad consensum; sed hoc non obstanti, per vos, liberè concurrit: Ergò pariter. Tenet conseq. Quia, sicut Præmotio non est in manu creaturæ, nec illa Scientia est in manu Dei, alioquin esset libera; sicut illa est metaphysicè connexa cum actu, sic ista, aliàs esset fallibilis, esset frustrabilis. Prob. maj. Posita Scientia Media de consensu implicat simùl habere Scientiam Mediam de dissensu, ut patet; aliundè implicat illam habere divisim, cum non posit Deus illam Scientiam adjicere, quippè existentem independenter ab ejus libertate; atqui repugnat poni dissensum sine Scientia Media de illo: Ergò.

129 *Urg.* iterùm: Et supponamus, Deum præmovere Petrum ad audiendum Sacrum in hoc die festo, ut fert Thomistica Sententia; at non prævidisse per Scientiam Mediam,

(9) *V. Ferrer, tom. 4. tract. 5. disp. 2. dub. 2. à num.* 445.

diam, Paulum sub ullo auxilio auditurum Sacrum in ipso festo, ut in tua opinione valet evenire. In hoc casu Paulus non prævisus per Scientiam Mediam sub aliquo auxilio auditurus Sacrum, adhuc potest liberè audire Sacrum: Ergò etiam Petrus ad audiendum Sacrum præmotus, liberè potest non audire Sacrum. Ant. est certum: Nam, non audiens Sacrum, peccat; ad peccandum verò requiritur libertas.

130 Prob. conseq. Sicut requiritur Præmotionis carentia ad non audiendum Sacrum, ita ad audiendum Sacrum, per te, requiritur auxilium, sub quo fuerit prævisa auditio Sacri; &, sicut non est in potestate Petri præmoti Præmotionem abjicere, ita non est in manu Pauli prævisionis auxilium acquirere; aliàs posset facere, ut, cum prævisus non fuisset, de facto prævideretur, dareturque in Deo nova Scientia Media; atqui Paulus non prævisus, nec auxiliatus auxilio Jesuitico ad audiendum Sacrum, liberè potest non audire Sacrum: Ergò etiam Petrus præmotus ad illud audiendum potest non audire.

131 *Dicunt*: Paulum non prævisum esse impotentem ad audiendum Sacrum impotentia consequenti, exorta à sua voluntate, quatenùs prævisa non se determinatura ad audiendum Sacrum: at physica Præmotio, cum non oriatur à voluntate libera, reddit Petrum præmotum antecedenter impotentem ad omissionem Sacri. *Contrà*: Vel voluntas Pauli non fuit prævisa, ut auditura Sacrum, quia liberè Deus voluit non prævidere, vel quia voluntas non se determinatura erat ad audiendum Sacrum. *Si primum*: Ergò non oritur à libera voluntate, quòd non fuerit prævisa, consequenter neque illa impotentia ad omissionem Sacri.

132 *Si secundum*: rogo primum: Undè, aut quo medio Deus noverit, voluntatem ex se omninò indifferentem, ab alio omninò indeterminatam, potiùs se non determinaturam, quàm determinaturam esse ad audiendum Sacrum? Præsertim cum omnia auxilia, sub quorum aliquo, aut

aliquibus, aut etiam ſingulis, & omnibus conſtitui per Scientiam Mediam potuit, ſint, per vos, nullius efficaciæ, niſi præcedente voluntatis determinatione? *Deinde*: Quòd voluntas eſſet, aut non eſſet ab æterno (ex quo eſt, aut non eſt prævifio) ſe determinatura ad audiendum Sacrum nullum fuit exercitium voluntatis, quippè non exiſtentis; ſed, per te, non fuit prævifa, quia non erat ſe determinatura: Ergò impedimentum non prævifionis non fuit ortum à libera voluntate: Ergò non eſt magis conſequens, nec tantùm, quàm phyſica Præmotio.

33 *Ex dictis intelliges*: Phyſicam Dei Præmotionem, nedùm cum libertate creata componi, verùm etiam libertatem perficere, ejuſque actum cauſare: reducit enim libertatem potentialem voluntatis de actu primo ad actum ſecundum, ac proindè ejus ſuſpenſionem, ac potentialitatem tollit, ipſamque reddit actualem; id autem præſtat, ſe accommodando rei naturæ, ut cauſas neceſſarias ad actum neceſſarium, liberas ad actum liberum prædeterminet. *Intelliges* 2. Eamdem omnìnò difficultatem pati Adverſarios, ut libertatem cum Scientia Media componant, quam nobis inferunt ad eam componendam cum phyſica Præmotione.

SOLVUNTUR ARGUMENTA CONTRARIA.

34 *ARGUES* 1. Voluntas præmota ad conſenſum non manet libera ad diſſenſum: Ergò. Prob. ant. Voluntas præmota ad conſenſum non poteſt diſſentire: Ergò. Reſp. neg. ant. Ad prob. diſt. ant. Voluntas præmota ad conſenſum non poteſt diſſentire in ſenſu compoſito Præmotionis, concedo; in ſenſu diviſo, nego. *Aliter*: Non poteſt diſſentire potentia ſuprema, abſoluta, vaga, & effræni à Deo independenti, Deumque ſibi ſubjiciente, concedo; potentia temperata Deo ſubjecta, & ſubordinata, nego. *Aliter*: Non poteſt diſſentire potentia conſequenti, concedo;

concedo ; potentia antecedenti , nego. *Aliter* : Non potest dissentire potentia simultatis , concedo ; simultate potentiæ, nego. *Aliter* : Non potest dissentire potentia possibilitatis, & futuritionis , concedo ; potentia possibilitatis , nego ant. & conseq.

35 Prima solutio est antiquissima ; at non est senio confecta , eamdemque exposuimus jam à *num.* 4. Quemadmodùm igitur Petrus , sedens habet potentiam ad currendum, non quidem in sensu composito , componendo cursum cum sessione ; sed , dum sedet, habet veram potentiam ad currendum in sensu diviso , id est ad ponendum cursum divisim à sessione : quemadmodùm etiam homo in peccato lethali existens , habet veram potentiam ad recipiendam gratiam divisim , non simùl cum peccato : Ita Petrus præmotus ad consensum , existens præmotus, retinet veram potentiam ad ponendum dissensum , ponendum tamen non simùl cum Præmotione , sed divisim. At verò divisio Præmotionis non requiritur , ut possit ; sed , ut potentia , quam Petrus habet cum Præmotione , ad actum dissensus reducatur.

36 *Secunda* solutio constat ex dictis *num.* 2. *&* 3. ibi enim exposuimus , Petrum præmotum ad consensum habere potentiam ad dissensum , sed reducendam ad actum dependenter à Deo Præmotionem dividente : Sicut Petrus non præmotus ad consensum eamdem habet potentiam ad consensum ; at reducendam ad actum dependenter à Deo præmovente. *Tertia* solutio constat ex dictis à *num.* 9. *& seq.* Vide ibi. *Quarta* , & *quinta* solutio coincidunt cum prima, ut diximus , & videri potest *num.* 8. Uideantur omninò, quæ diximus à *num.* 2. usque ad *num.* 15. Nam ex ibi dictis patet prædictarum solutionum , quibus omnes Adversariorum connatus evanescunt , intelligentia.

37 *Instab.* contra 1. solut. positam *num.* 34. (10) Agens creatum,

(10) *Ex P. Annat. lib. de Scient. Med. disp.* 1. *cap.* 6. §. 3.

creatum, positis ad consentiendum requisitis, potest consentire in sensu composito: Ergò etiam dissentire in sensu composito: Ergò si non potest dissentire in sensu composito, non manet liberum. Secunda consèq. infertur manifestè. Prima prob. Agens liberum est, quod potest agere, & non agere: Ergò eodem sensu, quo potest agere, potest non agere. *Conf.* 1. Agens liberum debet, posse conjungere non actionem cum illis circunstantiis, cum quibus actionem jungit, alioquin non ageret ex dominio, sed ex necessitate: Ergò, si non potest cum illa conjungere non actionem, non manet cum libertate.

38 *Conf.* 2. Agens liberum hoc potest, ad quod tenetur; sed tenetur aliquando ponere non actionem cum omnibus requisitis ad agendum: Ergò, si non potest componere non actionem cum Præmotione ad actionem, ea non requiritur ad agendum. Min. patet: Quia, dum homo peccat furando, tenetur ponere non furtum cum omnibus requisitis ad actionem furandi. *Conf.* 3. Potentia conjuncta cum sui effectus impossibilitate, non tribuit denominationem simpliciter potentis; atqui, si non actus nequit cum Præmotione ad actum componi, homo præmotus solùm habet potentiam ad non actum sibi impossibilem: Ergò.

39 *Urg.* (11) Per vos, posita Præmotione, non manet potestas ad omissionem consensus in sensu composito: Ergò falsum est, quòd voluntas, posita Præmotione, possit omittere consensum; sicut falsum est absolutè, quòd homo, posita cæcitate, possit videre. *Urg. amplius*: Si voluntas præmota non potest dissentire in sensu composito, solùm poterit dissentire pro eventu, quo careat Præmotione; atqui hoc modo etiam ignis stupæ applicatus, potest non comburere pro eventu, quo ab illa separetur, & nihilominùs agit necessariò: Ergò pariter. *Adde*: Quòd homo verè peccat, ponendo actum pravum in sensu composito

(11) *P. Lossad. tract. 2. disp. 8. cap. 5. num. 10.*

ſico Præmotionis ad ipſum: Ergò, quia poteſt illum omittere in eodem ſenſu.

40 *Ad Inſt.* conceſſo ant. nego primam conſeq. Ad prob. diſt. ant. Agens liberum eſt, quod poteſt agere, & non agere ſimultate potentiæ, & prærequiſitorum ex parte actus primi ſe tenentium, concedo ant. quod poteſt agere, & non agere potentia ſimultatis in actione, & in non actione, atque requiſitorum ad utramque ex parte actus ſecundi ſe habentium, nego ant. & conſeq. Agens liberum, poſitis requiſitis ex parte potentiæ, ſeu actus primi ſe habentibus, ſimùl poteſt agere, & non agere; non tamen agere, & non agere ſimùl: cæterùm, poſitis, quæ ſunt ex parte actus ſecundi, qualis eſt Præmotio, jam agit; &, ut non valet cum actione, ita cum his requiſitis nequit non actionem componere. *Vide ſupr. à num. 4. & art. 3. num. 10.*

41 *Ad 1. Conf.* nego maj. ejuſque ſubjunctam probationem: quamvis enim agens liberum debeat poſſe jungere non actionem cum circunſtantiis ex parte actus primi, cum quibus actionem jungit; ſecus autem cum circunſtantiis ex parte actus ſecundi: Atque hinc aufertur ipſi dominium potentiale, & ſuſpenſionis; at retinet actuale, quod eſt nobilius: Deus enim hoc ſolo dominio agit liberè. *Ad 2. Conf.* nego min. ejuſque prob. alioquin tenetur ponere non furtum cum ſui ipſius applicatione ad furandum, cum illa applicatio ſit indiſpenſabiliter requiſita ad furandum, vel ad actionem furandi. (12)

42 Itaque, dum homo peccat, furando, tenetur ponere non actionem furandi dependenter à Deo auferente Præmotionem ad actionem ipſam: ut dependenter à ſua ipſius voluntate non ſe applicante ad furandum: *Sed* quomodò cum hoc ſtare poſsit, Deum non eſſe authorem furti, infra videbimus: (13) *Cæterùm*, ut homo furando peccet,

(12) *V. Gon. tom. 1. tract. 4. diſp. 9. num. 124.*

(13) *In hac quæſt. art. 7.*

cet, non requiritur, posse componere non actionem cum Præmotione, quam non habet in sua manu: sicut, ut impius justificari valeat, non debet posse componere cum sua impietate gratiam ad suam justificationem requisitam, & quam in sua potestate non habet.

43 *Ad 3. Conf.* dist. maj. Potentia conjuncta cum sui effectus impossibilitate absoluta, & antecedenti, concedo maj. Respectiva pro aliquo statu, & consequenti, nego maj. Prima impossibilitas oritur ex defectu alicujus requisiti, seu ex aliquo impedimento se habente ex parte actus primi, & cum ea vera potentia componi non potest: Secunda autem ex alio impedimento ex parte actus secundi ab ipsa libertate, aut ejus radice procedente; & cum hac componitur vera libertas: hujus autem generis est Præmotionis impedimentum ad non actum.

44 *Ad Urg.* concesso ant. nego conseq. ejusque paritatem: Nam cœcitas est defectus potentiæ, ejusque impeditio: Præmotio autem est expeditio, & determinatio potentiæ: cum cæcitate igitur, neque potentia ad videndum componi potest; at cum Præmotione, licet non omissio, potentia ad omittendum componi potest. *Ad alteram Urg.* dist. maj. Si ly *pro eventu, &c.* cadat suprà potentiam ad dissensum, nego maj. si cadat suprà dissensum, concedo maj. Voluntas enim præmota pro omni eventu habet potentiam, sive ad consensum, sive ad dissensum; at non ad consensum pro eventu carentiæ Præmotionis, neque ad dissensum pro eventu Præmotionis; ut constat ex sæpè dictis.

45 Nec valet paritas de igne ad comburendum applicato: nam ignis, cum sit natura sua determinatus ad combustionem, solùm pro eventu non applicationis, potest non comburere ex defectu hujus conditionis. *Ad addit.* insto arg. Homo verè peccat ponendo actum pravum in sensu composito Scientiæ Mediæ, & auxilii, sub quo fuit prævisus,

ſus, eliciturus talem actum : Ergò quia poteſt illum omittere in eodem ſenſu compoſito, adeòque falſificare, & fruſtrare talem Scientiam ? Solutio conſtat ex *num.* 42. Eodem modo inſtari poſſunt ſingula Contrariorum argumenta.

46 *Inſtab.* 2. contra primam ſolutionem : (14) Qui non poteſt ſe dividere ab impedimento inconjungibili cum diſſenſu, non poteſt diſſentire in ſenſu diviſo ; ſed voluntas ad conſenſum præmota non poteſt ſe dividere à Præmotione eſſentialiter cum diſſenſu inconjungibili : Ergò. Patet maj. Nam ideò ſedens poteſt currere in ſenſu diviſo, quia poteſt ſe dividere à ſeſsione, & ideò homo inevitabiliter catenatus non poteſt fugere in ſenſu diviſo, quia non poteſt ſe dividere à catenis. *Urg.* 1. Ideò voluntas nequit in ſenſu compoſito diſſentire, quia nequit componere cum Præmotione diſſenſum ; ſed neque valet à Præmotione diſſenſum dividere : Ergò.

47 *Urg.* 2. Si voluntas non poſſet facere conjunctum ex Præmotione, & conſenſu, non poſſet conſentire in ſenſu compoſito Præmotionis ad conſenſum ; ſed non poteſt facere diviſionem conſenſus à Præmotione : Ergò. *Urg.* 3. Qui non poteſt ponere alteram partem complexi, nec illam ſupponit, nequit ponere complexum ; ſed creata voluntas nequit ponere carentiam Præmotionis, quæ eſt pars hujus complexi, *Diſſenſus diviſus* : Ergò nequit ponere diſſenſum diviſum. *Urg.* 4. Implicat potentia ad non eſſe unius extremi, ſine potentia ad non eſſe alterius cum illo connexi; ſed Præmotio, & conſenſus ſunt connexi : Ergò implicat vera potentia ad non conſentiendum, ſine potentia ad non eſſe Præmotionis.

48 *Urg.* 5. (15) Qui nulla potentia poteſt falſificare aliquam ex præmiſsis rectè inferentibus concluſionem, nul-

(14) *P. Loſſad. hìc, num.* 18.

(15) *V. P. Loſſad. hìc, num.* 8. *& 9.*

la potentia poteſt falſificare concluſionem ; ſed Petrus Præmotus nulla potentia poteſt falſificare aliquam ex his præmiſsis : *Omnis præmotus ad conſenſum conſentit ; ſed Petrus eſt præmotus ad conſenſum* : Ergò nulla potentia valet falſificare hanc concluſionem ex illis illatam : *Ergò Petrus conſentit* : Ergò nullatenùs poteſt non conſentire Min. patet, quia prima præmiſſa eſt æternæ veritatis, & ſecunda non pendet à libertate Petri. Maj. autem eſt certa, cum non poſsit dari antecedens verum, & conſequens falſum.

49 *Ad inſt.* diſt. maj. Qui non poteſt ſe dividere ab impedimento inconjungibili cum diſſenſu, non poteſt diſſentire in ſenſu diviſo, ſi tale impedimentum ſe habeat ex parte actus primi, ſeu potentiæ proximæ, concedo maj. ſi ſe habeat ex parte exercitii, applicationis, ſeu actus ſecundi, ſub diſt. ſi impedimentum ſit de ordine agentis ſecundi, & creati, concedo : ſi ſit de ordine primi agentis voluntatem reducentis ad alterum libertatis exercitium, adhuc ſub diſt. non poteſt in ſenſu diviſo diſſentire, potentia ſuprema abſoluta, à Deo in operando independenti, ſibique Deum ſubjiciente, concedo maj. potentia temperata, Deo in operando ſubjecta, & ſubordinata, nego maj. & conceſſa min. diſt. conſeq. hac ultima diſtinctione.

50 *Ad* 1. *Urg.* diſt. maj. cauſalem : Quia nulla potentia poteſt, adhuc à Deo dependenti, concedo ; eſt enim ex terminis repugnans talis compoſitio : quia non poteſt ſuprema potentia, & independenti, nego maj. Et diſt. min. Non poteſt dividere diſſenſum independenter à Deo, concedo min. dependenter à Deo pro priori dividente Præmotionem, nego min. & conſeq. *Ad* 2. *Urg.* diſt. maj. Si non poſſet facere conjunctionem ex parte conſenſus, concedo maj. ex parte Præmotionis, nego maj. & ſuppoſitum ; nam voluntas non conjungit Præmotionem conſenſui, ſed conſenſum Præmotioni à Deo poſitæ : & diſt. min. ut ſuprà *ad* 1. *Urg.*

Vel

51 *Vel dici potest* : Voluntatem, ponendo consensum, facere conjunctum ex Præmotione, & consensu; quia ille ponit conjunctum, qui ponit ultimam partem, qualis est consensus; at ponendo dissensum dependenter à Deo pro priori suspendente Præmotionem, non ponit disjunctum; nam ille disjungit, qui aufert primò alterum conjunctionis extremum. *Ad* 3. *Urg.* dist. min. Voluntas nequit ponere carentiam Præmotionis, & illam supponit, dum ponit dissensum, concedo min. & illam non supponit à Deo positam, nego min. & conseq. *Vel aliter* : dist. maj. nequit ponere complexum potentia absoluta, & independenti, concedo maj. potentia essentialiter subordinata Deo alteram partem ponenti, nego maj. & concessa min. dist. consequens eodem modo.

52 *Ad* 4. *Urg.* dist. maj. Loquendo de potentia suprema, & independenti, concedo maj. loquendo de potentia limitata, subdist. si utrumque extremum sit de ordine inferiori, & creato, concedo maj. si alterum sit de ordine inferiori, alterum de ordine superiori, nego maj. Est autem Præmotio de ordine superiori, & consensus de ordine inferiori : Ideò, quin habeat Petrus potentiam ad non esse Præmotionis, habet potentiam ad non esse consensus, Deo tamen, quatenùs posituro non esse Præmotionis, subordinatam.

53 *Ad* 5. *Urg.* dist. maj. Qui non potest falsificare aliquam ex præmissis pertinentibus ad ordinem causarum secundarum, non potest conclusionem falsificare, concedo; qui non potest falsificare aliquam ex præmissis ad ordinem causæ primæ pertinentibus, subdist. nequit conclusionem falsificare potentia independenti, & suprema, concedo maj. potentia subordinata Deo aliquam ex præmissis pro priori falsificanti, nego maj. Atque hinc numquam dabitur antecedens verùm, & consequens falsum. Adverte, quòd, si præmissæ essent necessariæ, nedùm respectu Petri, sed etiam respectu

Dei, consequens nulla potentia esset falsificabile: At verò in nostro casu minor est Deo contingens, ut patet.

54 Prædicta omnia unica solutione secundo loco suprà posita *num.* 34. manent soluta. *Sed* plurimùm observa 1. Quòd voluntas creata, sicut est divinæ voluntati essentialiter subjecta, & subordinata, ita non est alteri creaturæ naturaliter subordinata: Undè ea, quæ solùm potest dependenter ab altera creatura, absolutè, & simpliciter non potest: ea autem, quæ potest agere dependenter à Deo, tamquam à causa prima, primoque libero, simpliciter potest: ideò, qui non potest currere, nisi dependenter à catenarum divisione ab alio facienda, absolutè non potest; & sic de aliis. *Observa* 2. Quòd voluntas, ut libera sit, debet habere in se, aut sua electione omnia requisita ex parte actus primi, quæcumque illa sint; ex requisitis autem ex parte actus secundi debet habere in sua potestate, ea, quæ sunt ordinis causæ secundæ, qualis est sessionis carentia ad currendum; non autem, quæ sunt ordinis causæ primæ, ut Præmotio, vel Præmotionis carentia.

55 *Observa* 3. Ea, quæ Deus imprimit causis secundis, si *posse* conferant, se habere ex parte actus primi, sine quibus creatura non est potens, cujusmodi est lumen gloriæ ad videndum Deum: Si autem *posse* non conferant, sed determinent, salva indifferentia objectiva judicii; se habent ex parte actus secundi; cujusmodi est Præmotio: Si tamen objectivam indifferentiam adimant, ut visio beata, objectum ut summè bonum propones; tollit libertatem.

56 *Observa* 4. Creaturam posse consentire dependenter à Deo præmovente, & posse non consentire dependenter ab ipso non præmovente, aut Præmotionem suspendente; quod non est ita intelligendum, quasi *posse* ipsum creaturæ à Deo, quatenùs præmovente, aut non præmovente dependeat, cum potiùs ab ipso dependeat per virtutis collationem;

tionem ; sed ita , ut potentia , quam voluntas habet independenter à Præmotione , & ab ejus carentia , reducenda sit ad actum dependenter à Præmotione , & ad carentiam actus dependenter à carentia Præmotionis ; & hoc sufficit ad libertatem voluntatis creatæ : (16) *Hæc enim voluntas libera tantò erit liberior , quantò sanior ; tantò autem sanior, quantò Divinæ Omnipotentiæ , gratiæque subjectior.*

57 *Inst.* jam contra secundam solutionem positam *num.* 34. & simùl contra dicta replic. Qui non potest facere , ut Præmotio ab alio auferatur , nequit dissentire dependenter ab alio auferente Præmotionem ; sed voluntas creata nequit facere , ut Deus Præmotionem auferat : Ergò nequit dissentire potentia subjecta , & subordinata Deo Præmotionem auferenti. Prob. maj. Qui nequit facere , ut catenæ , quibus est vinctus , ab alio dissolvantur , verè nequit ambulare , adhuc dependenter ab illo : Ergò.

58 *Conf.* Non datur in Beatis vera potentia ad non amandum , neque in humanitate Christi ad peccandum, adhuc dependenter à Deo auferente lumen gloriæ , & unionem hypostaticam : Ergò pariter. *Adde* : Potentiam , quam ponimus in voluntate creata ad consensum præmota , ut dissentiat dependenter à Deo pro priori dividente Præmotionem , esse valdè limitatam , ac proindè insufficientem: Ergò.

59 *Ad inst.* nego maj. Ad prob. concesso ant. nego conseq. Ratio est , quia potentia creata solùm Deo , non alteri creaturæ , est naturaliter subjecta , & subordinata; adeòque solùm id verè potest , quod potest dependenter à Deo; non, quæ potest dependenter ab altera creatura : Undè , si solùm posit deambulare dependenter ab alia creatura catenas dissolvente , verè , & proximè non est potens ; imò, licet ea catenarum alligatio à Deo solo dependeat , quia, cum auferat , seu impediat potentiam , est impedimentum

ex

(16) D. *August. Epist.* 80.

ex parte actus primi ad ambulandum : at Præmotio eſt impedimentum ex parte actus ſecundi ad diſſenſum.

60 *Ad Conf.* conceſſo ant. nego conſeq. Diſparitas eſt: quia viſio beata, ſeu lumen gloriæ, & unio hypoſtatica ſunt impedimenta ex parte actus primi, illud ad non amandum Deum, hæc ad peccandum : quare Beatus non habet potentiam ad non amandum, quouſque auferatur à Deo viſio beata, aut lumen gloriæ, neque humanitas Chriſti ad peccandum, dum habet ſibi hypoſtaticè unitam Divinitatem : Cæterùm Præmotio, utpotè non dans, nec auferens poſſe, eſt impedimentum ad diſſenſum ex parte actus ſecundi, non impediens poſſe diſſentire, ſed actualem diſſenſum : Undè voluntas præmota cum Præmotione habet potentiam, ad diſſenſum tamen ponendum dependenter à Deo auferente Præmotionem.

61 *Dices* : Cur viſio beata eſt impedimentum ex parte actus primi ad non amandum Deum, unio quoque hypoſtatica ad peccandum ; at phyſica Præmotio eſt impedimentum ex parte actus ſecundi ad diſſenſum ? *Reſp.* Quia viſio beata proponit objectum, ut ſummum bonum abſque ulla ratione mali, qua valeat non amari ; adeòque aufert objectivam judicii indifferentiam ad libertatem eſſentialiter requiſitam : Unio quoque hypoſtatica unit humanitatem Divino Chriſti ſuppoſito, tamquam principio à recta ratione indefectibili ; adeòque redditur illa impotens deficere: Enim verò phyſica Præmotio eſt mera voluntatis determinatio ad diſſenſum ; & eò autem, quòd voluntas ad diſſenſum determinetur, non aufertur ipſi potentia ad oppoſitum, ut patet.

62 *Ad addit.* nego ant. Eſt enim limitata, quantùm debet, ſufficiens quantùm poteſt voluntati creatæ convenire : cauſæ enim ſecundæ, & limitatæ ſecunda ſolùm, & limitata, Deo ſubjecta, & ſubordinata tribuenda eſt libertas, quæ eò perfectior eſt, quò Deo, gratiæque ſubjectior,

ut

ut ex Auguſtino diximus *num.* 56. Caveant potiùs Adverſarii, nè ſibi dictum cenſeant, quod de Tullio dixerat Auguſtinus: (17) *Dum homines vult facere liberos, facit ſacrilegos*, ſi nimiùm abſolutam, independentem ambiant libertatem: ut nonnullis timuit Azorius Societatis Scriptor: (18) *Pauci juniores Theologi fortaſsis, ut voluntatem noſtram liberam faciant, faciunt ſacrilegam, dum negant, Deum libera noſtra opera bona prædefinire.*

63 *Inſt.* demùm contra 3. ſolut. poſitam *num.* 34. quæ eſt de potentia antecedenti, & conſequenti: Voluntas præmota ad conſenſu non poteſt diſſentire, adhuc potentia antecedenti: Ergò nulla eſt ſolutio. Prob. ant. Voluntas præmota ad conſenſum, eſt ad ipſum neceſsitata neceſsitate antecedenti: Ergò. Prob. ant. Præmotio ad conſenſum eſt neceſsitas antecedens ad ipſum: Ergò. *Prob. ant.* 1. Neceſsitas antecedens, juxta Anſelmum, (19) eſt, quæ cauſat, ut res ſit; conſequens verò ea ſolùm eſt, quæ non facit ut res ſit, ſed quam res facit: ſed phyſica Præmotio cauſat, ut conſenſus ſit, & non cauſatur à conſenſu: Ergò.

64 *Prob.* 2. *ipſum ant.* Neceſsitas conſequens ex Anſelmo eſt, quæ deſcendit de libera voluntate, quæ rei poſitionem non præcedit, & quam voluntas cavere poteſt; ſed phyſica Præmotio à libera voluntate non deſcendit, conſenſus poſitionem præcedit, eamque voluntas cavere non poteſt: Ergò non eſt neceſsitas conſequens, ſed antecedens. *Conf.* Illa eſt neceſsitas antecedens, quæ à voluntate, neque præcaveri, neque vitari poteſt; ſed neceſsitas à Præmotione inducta, neque præcaveri, neque vitari valet à voluntate, ut Thomiſtæ fatentur: Ergò. Patet maj. Fac enim,

(17) 5. *de Civit. Dei, cap.* 9.

(18) *Lib.* 4. *Inſtit. Mor. cap.* 22. *quæſt.* 2. *apud Gon. tom.* 1. *tract.* 3. *diſp.* 6. *num.* 99.

(19) *S. Anſem. lib.* 2. *Cur Deus homo, cap.* 18. *& lib.* 2. *de Concor. præd. cum lib. arb.*

enim, cæcum posse vitare cæcitatem, catenatum catenas, beatum visionem beatificam; & non erunt necessitati necessitate antecedenti ad non videndum, ad non currendum, ad amandum.

-65 *Ad inst.* nego ant. Ad prob. nego ant. Ad alteram prob. nego ant. *A 1. hujus prob.* dist. maj. Necessitas antecedens est, quæ causat ut res sit per modum naturæ ad unum determinantis, aut per modum agentis extrinseci ad unum cogentis, concedo maj. per modum primi liberi liberam voluntatis determinationem causantis, nego maj. & sic dist. min. nego conseq. Anselmus itaque per necessitatem antecedentem eam intellexit, quæ provenit ab agente extrinseco, ad unum cogente, seu per modum naturæ determinante, ut contingit in ortu Solis, & motu Cœli, quibus exemplis utitur Anselmus: Cæterùm necessitas, quam Deus sua Præmotione, & Prædestinatione infert voluntati est consequens, ut ipse satis innuit: *Non enim ea* (loquitur de necessitate antecedenti) *Deus, quamvis prædestinet, facit, voluntatem cogendo, aut voluntati resistendo.* (20)

-66 *Ad 2. ipsius ant. prob.* dist. maj. Necessitas consequens est, quæ de libera voluntate in se, & formaliter sumpta descendit, quæ rei positionem non præcedit ullo modo, quæ absolutè, & omnimodè caveri potest, nego maj. quæ de libera voluntate, aut in se, aut ex prima suæ libertatis radice descendit, quæ rei positionem per modum naturæ ad unum necessitantis non præcedit, & quæ dependenter à Deo caveri potest, concedo maj. Et hujusmodi est physica Præmotio, quæ à prima radice creatæ libertatis descendit; consensus positionem non præcedit per modum naturæ, sed per modum causalitatis primi liberi; & dependenter à Deo non præmovente caveri potest.

-67 *Ad Conf.* dist. maj. Illa est necessitas antecedens, quæ à voluntate, neque præcaveri, neque vitari potest, si aliundè

(20) *Lib. de Concord. cap.* 10.

aliundè, quàm à radice, & fonte creatæ libertatis oriatur, concedo maj. nam sic ad unum per modum naturæ necessitat, ut contingit in cæcitate, catenatione, & visione beatifica: Si ab ipso libertatis fonte, & radice, ipsam libertatem ad actum reducente, oriatur, ut oritur physica Præmotio, nego maj. & dist. min. nego conseq. Necessitas, quam Præmotio inducit, oritur ab efficacia divinæ voluntatis, quatenùs causantis actum liberum creaturæ: Si ergò necessitas orta ab ipsa voluntate, ut liberè agente, est consequens; consequens erit, quæ oritur à prima causa, dante voluntati ejus liberum operari.

68 *Undè* cæcitas, concatenatio, visio beatifica sunt necessitates antecedentes, non tantùm, quia sunt inevitabiles; sed potiùs, quia sunt impedimenta ex parte actus primi potentiam, aut necessitantis, aut impedientis, vel auferentis. Necessitas igitur antecedens ultra inevitabilitatem requirit, quòd potentiam per modum naturæ ad unum determinet, vel quòd ipsi auferat, vel impediat virtutem ad unum, ut sit ad alterum necessitata: ast hæc minimè peragit physica Præmotio; imò voluntatem expedit, & ad unum determinat juxta indolem causæ determinatæ, liberè nimirùm, si sit libera; & necessariò, si necessaria: causat enim actum, & modum actus, ut diximus ex Div. Thoma.

69 *Dices*: Quomodò potest non esse antecedens necessitas, quæ præcedit libertatem, oriturque ex causa ipsam antecedente, qualis est Præmotio? *Resp.* Quòd, licet necessitas antecedens ita dicatur ex antecedentia, quam habet respectu exercitii libertatis, non omnis causa, aut conditio, quæ liberum exercitium præcedit, est necessitas antecedens, aut illam inducit; alioquin objectiva judicii indifferentia, voluntatis productio, ejusdemque conservatio, quia illud exercitium præcedunt, inducerent necessitatem antecedentem: Sola igitur est necessitas antecedens, quæ

non conſequitur, aut libertatem, aut ejus principia, & radices, qualis non eſt Præmotio, orta quippè ab efficacia divinæ voluntatis.

70 *Inſtab.* Ergò, ſi Deus hominem catenis conſtringat, ea alligatio non erit neceſsitas antecedens ad quieſcendum, cum oriatur à Divina voluntate. *Reſp.* nego conſeq. quia non oritur à Divina voluntate, ut efficaciter volente, ut vi illius alligationis homo liberè quieſcat; cum eà non utatur, tamquam medio expeditivo, & determinativo ad quieſcendum; ſed potiùs, ut medio motus impeditivo, & ad quietem neceſsitante: contrarium autem evenit in Præmotione. Illa igitur alligatio oriretur à Divina voluntate, ut ſpecialiter neceſsitante ad quieſcendum; at Præmotio oritur ab illa, ut à cauſa prima expediente libertatem, ejuſque actum efficiente. (21)

71 *ARGUES* 2. Si Deus præmoveret voluntatem ad actum, voluntas ſine Præmotione non haberet libertatem ad ipſum: Ergò, neque voluntas præmota haberet libertatem ad oppoſitum. Prob. ant. Qui caret principio ad actum eſſentialiter requiſito, nec habet in ſua poteſtate illud acquirere, caret libertate ad talem actum; ſed voluntas ſine Præmotione ita ſe habet: Ergò. *Reſp.* diſt. maj. prob. Qui caret principio ex parte actus primi requiſito, concedo maj. qui caret principio requiſito ex parte actus ſecundi, qualis eſt Præmotio, nego maj. Neque exempla Contrariorum de breviario ad recitandum, de navi ad navigandum, &c. aliquid probant; nam ea, aut ſunt requiſita ex parte actus primi, aut ſunt ex parte alicujus cauſæ ſecundæ, cui non ſubjicitur voluntas. *Vide num.* 49. & 54.

72 *Dices* 1. Sine Præmotione non intelligitur voluntas proximè potens conſentire: Ergò requiritur ex parte actus primi. Prob. ant. Qui non eſt potens ad conſenſum, ut coexiſtentem Præmotioni, non eſt proximè potens conſentire, nam

(21) *V. Gon. tom.* 1. *tract.* 4. *diſp.* 9. *à num.* 143. & *ſeq.*

nam ita petit consensus existere; sed voluntas sine Præmotione non est potens ad consensum, ut coexistentem Præmotioni: Ergò. Min. patet; nam ea coexistentia importat Præmotionis existentiam, ad quam non est potens voluntas. *Resp.* dist. min. prob. Voluntas non est potens ad consensum, ut coexistentem Præmotioni, secundùm quod dicit de connotato, videlicet Præmotionem, concedo; secundùm quod dicit in recto: sub dist. non est potens potentia à Deo independenti, concedo; dependenti ab ipso, ut ponenti Præmotionem, nego.

73 *Dices* 2. Qui alterius concursu indiget ad agendum, non intelligitur potens agere, quin alter, aut concurrat, aut intelligatur paratus ad concurrendum: Ergò, si voluntas indiget prævio concursu ad operandum, non intelligitur potens absque Dei concursu. Patet ant. Quia Laicus non est potens audire Sacrum, Sacerdote nolente celebrare. *Resp.* dist. ant. Si talis concursus sit, aut requiratur ad dandum posse, aut virtutem, concedo ant. si solùm requiratur ad applicationem subdist. si se habeat ex parte agentis creati, cui non est essentialiter subjecta humana voluntas, concedo; si se habeat ex parte causæ primæ voluntatem reducentis ad actum, nego ant. & conseq.

74 Voluntas non intelligitur potens, quousque Deus concurrat, aut intelligatur paratus ad concurrendum per concursum arbitrii, & virtutis collativum: at verò, hoc supposito concursu, jam voluntas est proximè potens ad agendum, potentia tamen ad actum reducenda dependenter à Deo præmovente, ut sæpè diximus. *Nec* valet exemplum de Laico, Sacerdote nolente celebrare: Siquidem celebratio Sacri, cum sit ex parte objecti auditionis, requiritur ex parte actus primi ad audiendum Sacrum; non secùs, ac lux, aut color ad videndum objectum.

75 *Dices* 3. Id, sine quo repugnat voluntatis operatio, requiritur ex parte actus primi ad operandum; sed implicat

voluntatis operatio ſine Præmotione: Ergò. *Reſp.* diſt. maj. Id, ſine quo repugnat voluntatis operatio ex defectu virtutis, aut potentiæ, requiritur ex parte actus primi, concedo maj. Id, ſine quo implicat ex defectu applicationis, aut alterius conditionis ad poſſe non conducentis, nego maj. Aliàs enim applicatio, qua voluntas ſe ipſam applicat, & concurſus Dei ſimultaneus ſe haberent ex parte actus primi; cum repugnet voluntatis actus ſine ſui applicatione, & ſine concurſu ſimultaneo. Et è contrà diſt. min. nego conſeq. Conſtat, Præmotionem eſſe meram applicationem.

76 *Dices* 4. Multæ ſunt applicationes, quæ ſe habent ex parte actus primi: V. gr. applicatio, qua intellectus applicat voluntatem ad amandum, & aliæ: Ergò pariter. *Nego* conſeq. Nam quoties applicatio aliqua eſt applicatio unius cauſæ ad aliam, ut effectum, aut actionem producant, non eſt mera applicatio, ſed eſt proportionatio virtutis cauſarum; atque adeò ſe habet ex parte actus primi: hujuſmodi eſt applicatio illa intellectus proportionantis objectum voluntati, applicatio navis, ut à Nauta dirigatur ad navigandum. Quando autem applicatio eſt cauſæ jam proportionatæ ad ſuum actum, aut effectum immediatè, ut eſt Præmotio, eſt mera applicatio, & ſe habet ex parte actus ſecundi.

77 *Dices* 5. Si Præmotio non eſſet in manu Dei, non poſſet Petrum convertere liberè: Ergò, ſi non eſt in manu Petri, non poteſt Petrus ſe convertere. *Nego* conſeq. Nam Deus habere debet in ſuâ manu omnia requiſita, cum ſit omnia potens potentia ſuprema, & independenti: Cæterùm Petrus, cum ſolùm poſsit potentia à Deo dependenti, habere debet requiſita ſui ordinis; non quæ ſunt ordinis divini, ut Præmotio. Quare poteſt ſe convertere dependenter à Deo præmovente. *Si dicas*: Voluntas, nec dependenter à Deo habet poſſe ſupra Præmotionem: Ergò, ne-

que

que supra actum præmotum. Nego conseq. quia causa secunda id potest dependenter à Deo, quod est sui ordinis, ut actus præmotus; non quod est ordinis causæ primæ, ut Præmotio.

78 *ARGUES* 3. (22) Voluntas habens metaphysicam connexionem sibi inevitabilem cum existentia amoris, non est expeditè potens ad omissionem amoris; sed voluntas ad amorem prædeterminata habet ejusmodi connexionem: Ergò. *Urg.* 1. Voluntas non habens actu, nec in sua potestate requisitum aliquod, sine quo chymericum est, amorem omitti, non est expeditè potens ad omissionem; atqui voluntas prædeterminata ad amorem non habet in sua potestate Prædeterminationis carentiam, sine qua chymericum est amorem omitti: Ergò. Maj. est evidens; nam, qui nec habet, nec habere potest alas, nec lucem, nec compedum carentiam, non est expeditus ad volandum, ad legendum, ad deambulandum.

79 *Urg.* 2. Qui sine libertate ponitur in statu, in quo necesse est agere, verè necessitatur ad agendum; sed, qui prædeterminatur ad actum, sine libertate ponitur in statu, in quo necesse est agere: Ergò. *Aliter*: Qui sine libertate patitur metaphysicam necessitatem agendi, sine libertate agit; sed, qui patitur Prædeterminationem, sine libertate patitur necessitatem agendi; cum ea sit metaphysicè cum agere connexa: Ergò. *Urg.* 3. Voluntatem resistere Præmotioni est simpliciter impossibile: Ergò non resistere est necessarium. Atqui non resistere est agere: Ergò voluntatem præmotam agere, est necessarium.

80 *Urg.* 4. Voluntas non agit liberè, nisi se ipsam ad agendum determinet; sed voluntas humana, si prædeterminatur à Deo, in nullo signo se liberè determinat: Ergò. Prob. min. In primis non se determinat pro priori ad Prædeterminationem, ut est evidens: non concomitanter, quia sic

(22) *P. Lossad. hìc, à num.* 3.

ſic Deus non prædeterminaret, ſed condeterminaret: non demùm pro poſteriori; quia poſt Prædeterminationem nulla jam ſupereſt voluntatis indifferentia, nulla poteſtas non agendi: Ergò.

81 *Ad arg.* reſp. diſt. maj. Voluntas habens meraphyſicam connexionem cum exiſtentia amoris ab aliqua conditione, aut requiſito ex parte agentis ſecundi, concedo maj. ab aliqua conditione, aut requiſito ex parte primi agentis, primique liberi voluntatem reducentis ad alterum libertatis extremum, ut eſt Prædeterminatio, ſubdiſt. Voluntas habens talem connexionem cum exiſtentia amoris, non eſt expeditè potens ad omiſsionem illius, potentia ſuprema, & independenti, concedo maj. potentia ſubordinata, & ad actum reducenda dependenter à Deo Prædeterminationem ſuſpendente, nego maj. Solutio conſtat ex ſæpenumerò repetitis.

82 *Ad 1. Urg.* diſt. maj. Non habens requiſitum aliquod ex parte actus primi ſe habens, ut ſe habent ala ad volandum, lux ad legendum, compedum carentia ad deambulandum, concedo maj. ſe habens ex parte actus ſecundi, ſubdiſt. Si illud ſit ordinis agentis ſecundi, concedo; ſi ſit ordinis primi agentis, ut eſt Prædeterminatio, nego maj. Solutio liquet ex dictis *num.* 49. 54. & 71. *Ad 2. Urg.* diſt. maj. Neceſsitatur ad agendum juxta indolem neceſsitatis, qua neceſſe eſt agere pro illo ſtatu, concedo maj. aliter, nego maj. Et diſt. min. ponitur in ſtatu, in quo neceſſe eſt agere, neceſsitate conſequenti, concedo min. neceſsitate antecedenti, nego min. & conſeq. Poſita Prædeterminatione, neceſſe eſt agere; at neceſsitate conſequenti, orta quippè à prima creatæ libertatis radice. *Vide num.* 65. & 66. Ad alteram formam eodem modo reſpondetur.

83 *Ad 3. Urg.* conceſſa prima conſeq. nego min. ſubſumptam: Quia *non reſiſtere* Præmotioni eſt, vel agere

cum

cum illa, vel non agere divisum ab illa; sicque, posita Præmotione, non est simpliciter necessarium agere, sed agere, vel non agere. *Ad 4. Urg.* nego min. Ad prob. dicimus, voluntatem se liberè determinare pro posteriori naturæ ad Prædeterminationem; hæc enim applicat voluntatem ad se determinandum, & ad agendum: & quamvis jam sit pro illo signo voluntas determinata determinatione prima, seu primæ causæ; non autem determinatione secunda: manet itaque indifferens non indifferentia passiva ad receptionem Prædeterminationis, sed activa ad elicientiam actus. (23)

84 *ARGUES 4.* Omnis suppositio antecedens actum, connexa cum actu, à libera voluntate non descendens, tollit libertatem ad talem actum; sed hujusmodi est, juxta Thomistas, physica Præmotio: Ergò. *Conf. 1.* Hic est bonus syllogismus: *Quidquid prædeterminatum est à Deo, erit, & hoc est Petro inevitabile; sed, Petrum consentire, est prædeterminatum à Deo, & hoc est Petro inevitabile: Ergò Petrus consentiet, & hoc est Petro inevitabile. Conf. 2.* Hæc est bona conseq. *Petrus est præmotus ad consensum: Ergò consentiet.* Igitur est quoque bona hæc alia: *Petrus est inevitabiliter præmotus ad consensum: Ergò consentiet inevitabiliter.* Nam arguitur ab eodem antecedenti ad idem consequens cum eodem addito.

85 *Conf. 3.* Hæc est perspicua demonstratio in *Baroco: Omnis non amans est non præmotus ad amorem; sed Petrus præmotus ad amorem non potest non esse præmotus. Ergò non potest esse non amans*: Ergò amat necessariò. *Conf. 4.* Si Deus ostenderet Petro decretum prædeterminativum sui consensus futuri, formaret Petrus hunc syllogismum: *Quicumque prædeterminatus est ad consensum, consentiet; sed ego sum prædeterminatus ad consensum: Ergò consentiam:*

sed

(23) *V. D. Thom. 1. part. quæst. 105. art. 4. ad 2. & quæst. 3. de Malo, art. 2. ad 4. & quæst. 24. de Verit. art. 1. ad 5.*

sed in hoc casu Petrus necessariò assentiretur præmissis; majori, quia est æternæ veritatis; & minori, quia esset evidenter ostensa: Ergò assentiretur necessariò conclusioni, cum præmissarum assensus necessitet intellectum ad conclusionis assensum: Ergò est sibi consensus necessarius.

86 *Urg.* Si voluntas præmota ad amorem de facto non amaret, frustraret Præmotionem: Ergò, si potest non amare, potest eam frustrare: hoc repugnat: Ergò. *Urg. amplius*: Vel, ut voluntas præmota ad amorem, & amans in instanti *A*, cesset ab amore in instanti *B*, est necessarium, auferri prærequisita posita in instanti *A*; vel non? *Si secundum*: Ergò componitur non amor cum Præmotione, quæ erat in instanti *A*. *Si primum*: Ergò cessatio ab amore non est usus libertatis in voluntate. Prob. hæc conseq. Deficientibus necessariis, ut sit amor, est necessaria cessatio amoris; sed independenter ab usu libertatis deficerent necessaria, ut sit amor: Ergò.

87 *Ad arg.* in primis, nego maj. Nam suppositio sola prioritate naturæ antecedens actum liberum, non destruit, sed causat libertatem actus, cum prioritas naturæ sit prioritas causalitatis. *Secundò*: Distinguo maj. Omnis suppositio orta ab agente creato, concedo maj orta ab agenti increato, tamquam à prima radice libertatis creatæ, nego maj. & sic dist. min. nego conseq. Solutionis ratio constat ex dictis. Ad 1. *Conf.* instò arg. *Quicumque prædestinatus est à Deo, salvabitur, & hoc est Petro inevitabile; sed Petrus est prædestinatus à Deo, & hoc est Petro inevitabile: Ergò Petrus salvabitur, & hoc est Petro inevitabile*: Ergò damnari non potest.

88 *Insuper resp.* dictum syllogismum esse rectum, si ly *inevitabile* positum in majori appellet suprà prædicatum illius, scilicet rem prædeterminatam, adeò, ut sensus sit: *Quidquid prædeterminatum est à Deo, est Petro inevitabile*, quia in consequenti appellat eodem modo: Esse autem fal-

lacem,

lacem, si appellat suprà totam propositionem, hunc sensum facientem: *Hæc veritas: Quidquid prædeterminatum est à Deo erit, est Petro inevitabilis*; nam ita ly *inevitabile* appellat supra Prædeterminationem, & rem prædeterminatam, cum in consequenti solùm supra consensum determinatum appellet; adeòque variatur appellatio. *Undè* primo modo syllogismus rectus est; sed nego majorem, quippè falsissimam: Secundo modo vera est maj. sed fallax est syllogismus.

89 *Ad 2. Conf.* nego conseq. Quia, licet arguatur ab eodem antecedenti ad idem consequens cum eodem addito, hic arguendi modus tenet solùm, quando non variatur additi appellatio: secùs, si secùs, ut in præsenti; nam ly *inevitabiliter* in antecedenti appellat supra Præmotionem; in consequenti supra consensum. *Ad 3. Conf.* Insto arg. Hæc est perspicua demonstratio in Baroco: *Omnis non consequens finaliter gloriam, est non prædestinatus; sed Petrus prædestinatus non potest non esse prædestinatus: Ergò non potest non consequi finaliter gloriam?* Ergò necessariò salvatur?

90 Prædictus itaque syllogismus, quem Adversarius perspicuam demonstrationem appellat, fallax est: continet enim duplex medium, quorum alterum est carentia Præmotionis significata illis verbis: *Non præmotus*, positis in majori; alterum est impotentia ad non Præmotionem, ut indicant illa minoris verba: *Non potest non esse præmotus.* Undè, ut teneat syllogismus sub illa majori, ita disponi debet: *Omnis non amans est non præmotus ad amorem; sed Petrus præmotus ad amorem, non est non præmotus: Ergò non est non amans*: Sed totum concedimus.

91 *Ad 4. Conf.* resp. in eo casu Petrum evidenter cognosciturum, decretum prædeterminativum ejus indolis esse, & naturæ, ut causet actum, & modum actus, nempè libertatem. Undè prædictum syllogismum ita explicitè, aut

implicitè efformaret : *Quicumque prædeterminatus est ad consensum, consentiet liberè ; sed ego sum prædeterminatus ad consensum : Ergò consentiam liberè.* Cui conclusioni assentiretur necessariò, non necessitate objectiva, & consequentis, sed necessitate formali, & consequentiæ ratione connexionis præmissarum cum conclusione : Undè esset necessaria consequentia ; at non esset simpliciter necessarius consensus.

92 *Ad Urg.* positam *num.* 86. insto argumentum : Si voluntas consentiens, de facto non consentiret, de facto conjungeret duo contradictoria : Ergò, si potest non consentire, potest ea conjungere ? *Insuper* : Si Antichristus suo tempore non peccaret, falsificaretur fides, qua creditur ejus peccatum futurum : Si Verbum Divinum non fuisset incarnatum, falsificata fuisset fides Abrahæ : Ergò, si poterit Antichristus non peccare, poterit ea fides falsificari ; &, si potuit Verbum non incarnari, potuit Abrahæ fides falsificari ? Itaque non arguitur de actu ad posse absolutè, ut judicant Adversarii, sed conditionatè ; quomodò non tenet arguendi modus.

93 *Ad alteram Urg.* dicimus, quòd, ut voluntas cesset ab amore in instanti *A*, necessarium est, auferri prærequisita ex parte actus secundi ad amorem ; non autem prærequisita ex parte actus primi. *Ad impug.* secundæ partis respondeo, negando conseq. *Ad prob.* dist. maj. Deficientibus necessariis ex parte actus primi, concedo maj. deficientibus necessariis ex parte actus secundi, subdist. Est necessaria cessatio in sensu composito defectus requisitorum, seu necessitate consequenti, concedo maj. In sensu diviso, seu necessitate antecedenti, nego maj. Et dist. min. Independenter ab usu libertatis deficerent necessaria, quæ sunt ex parte causæ primæ, ut Præmotio, concedo min. Quæ sunt ex parte causæ secundæ, nego min. & conseq. Solutio satis constat.

Omittimus

94 Omittimus alias Adversariorum arguendi formulas, (24) quæ facilè ex dictis solvuntur : Præsertim, cum illæ omnes his duobus principiis inniti videantur : *Qui sine libertate caret requisito essentiali ad actum, non est liber ad actum : Qui sine libertate patitur impedimentum essentiale omissionis actus, non est liber ad actus omissionem.* (25) Primum enim verum est, si loquatur de requisito se habente ex parte actus primi : secùs, si loquatur de requisito ex parte actus secundi ; præcipuè, si illud sit ordinis causæ primæ, ut est Præmotio. Secundum etiam verum est de impedimento ex parte actus primi ; falsum autem de impedimento ex parte actus secundi ; nisi hoc procedat ab agente creato, cui non est essentialiter subjecta altera creatura.

95 *Atque hinc* intelliges tandem, apud Thomistas salvari sufficientissimam creaturæ libertatem, sed Deo subjectam, Deo subordinatam, à Deo immediatè dependentem, & in actu primo, & in actu secundo, & in determinatione de primo ad secundum actum. Absit autem, *unicè esse in potestate libera voluntatis facere, quòd Deus simultaneè nobiscum concurrat in actu secundo, quatenùs in sua potestate habeat determinare se liberè ad amandum, eàque determinatione indivisibiliter egrediente à virtute sua ; & ab Omnipotentia præparata, se, & Omnipotentiam trahere ad amorem* : ut constanter affirmant Jesuitæ. (26)

96 Auditis igitur utriusque partis rationibus, quinam destruant, aut fœliciùs adstruant liberum voluntatis arbitrium, arbiter judicet, qui velit : Nobis autem plurimùm favere videtur sententia D. Hieronymi, (27) ita proloquentis : *Quis destruit arbitrium ? Ille, qui semper Deo agit gratias, & quodcumque in suo rivulo fluit, idem in fontem refert ? An, qui dicit : Recede à me, non habeo te necessa-*

(24) *V. Colleg. Rip. 2. Physic. dub. 8. subdub. 5.*

(25) *P. Lossad. hìc, num. 15.* (26) *P. Peyn. hìc, num. 58.*

(27) *Epist. ad Theophon.*

rium ; dediſti enim mihi ſemel arbitrii libertatem : Quid rurſus te ingeris , ut nihil poſsim facere , niſi tu in me tua dona compleveris ?

ARTICULUS V.

Ab inconvenienti ſtatuitur Phyſica Præmotio.

1 *DICIMUS*: Sine magno inconvenienti negari non poteſt phyſica Dei Præmotio : Hæc Concluſio ex dictis potiùs colligi , quàm inſuper probari debet ; cum ex ejus negatione , Deum non eſſe primam cauſam , primum motorem , primum liberum , primumque determinans , non obſcurè colligi , inferrique conſtet *art.* 3. Sed alia plura indè pullulant inconvenientia.

2 *PROB.* 1. Concluſio : Niſi admittatur phyſica Dei Præmotio , nullum admitti poteſt divinæ gratiæ auxilium ab intrinſeco efficax ; ſed hoc auxilium ſine magno inconvenienti , negari non poteſt : Ergò. Prob. min. Ex quo negentur auxilia ab intrinſeco , ſuaque natura efficacia , ſequitur inevitabiliter poſsibilis caſus , in quo , etſi Deus tota ſua voluntate vellet peccatorem pertinacem ad ſe convertere, illum convertere non poſſet ; ſed hoc eſt graviſsimum inconveniens : Ergò. Utraque præmiſſa probanda eſt. *Prob. min.* Deum non poſſe convertere peccatorem pertinacem, eſt non habere Omnipotentiſsimam voluntatem; ſed nullum majus eſt inconveniens excogitabile : Ergò.

3 Patet maj. ex D. Auguſt. (1) aſſerente : *Ubi eſt illa Omnipotentiſsima voluntas , qua in Cœlo , & in terra omnia quæcumque voluit , fecit ; ſi colligere filios Iſrael voluit , & non potuit ?* Et alibi : (2) *Quis tam impiè deſipiat , ut dicat, Deum malas hominum voluntates , quando voluerit , quas voluerit , ubi voluerit , non poſſe in bonum convertere ?* Ergò, Deum

(1) *In Enquir. cap.* 97. (2) *Ibid. cap.* 98.

Deum velle convertere pertinaces filios Iſrael, aut malas hominum voluntates, & id non poſſe, eſſet Deum non habere Omnipotentiſsimam voluntatem.

4 *Prob.* jam maj. illa ſecundi ſyllogiſmi: Non admiſſo auxilio ab intrinſeco efficaci, peccator ille pertinax omnibus auxiliis poſſet utcumque reſiſtere, utpotè indifferentibus: Ergò. *Reſp.* 1. Adverſarii: (3) Caſum eſſe poſsibilem: indè tamen nihil contra Dei Omnipotentiam inferri; ſed ſolùm Deum eſſe neceſsitatum ad non producendum hominem, quem prævidit per Scientiam Mediam numquam ſe converſurum, ne detur homo, quem non poſsit convertere.

5 *Contrà*: Implicat, Deum reddi impotentem, ex ſuppoſitione ſibi non libera, ad producendum hominem ex ſe poſsibilem; atqui ſuppoſitio prævisionis Scientiæ Mediæ, qua hominem illum prævidit nullatenùs ſe converſurum, non eſt Deo libera, aliàs illa Scientia libera eſſet, & non media inter liberam, & neceſſariam: Ergò. Maj. patet: Alioquin Deus ratione Scientiæ Mediæ antecedentem ſubiret neceſsitatem, ac proindè illa Scientia Dei libertatem auferret. *Urg.* Impium eſt aſſerere, teſte Auguſtino, Deum non poſſe hominem convertere, ubi, & quando voluerit: Ergò impium quoque cenſeri debet, eum non poſſe hominem producere, ubi, & quando voluerit.

6 *Reſp.* 2. (4) Caſum eſſe metaphyſicè impoſsibilem: Quia, licet homo ille ſingulis auxiliis determinatis valeat reſiſtere, eademque fruſtrare; at non infinitam auxiliorum collectionem. *Contrà*: Ideò valet homo ille cuilibet auxilio determinato reſiſtere, idemque fruſtrare, quia eſt ex ſe indifferens, æquè conjungibile cum bona, ac cum mala operatione; ſed tota etiam auxiliorum collectio eſt æquè indifferens ab intrinſeco: Ergò. *Urg.* Vel infinita auxiliorum

(3) *P. Quirós, tract. de Prædeſt. diſp.* 11. *ſect.* 3. *num.* 13.
(4) *P. P. Tyrſ. & Eſparza, ap. Lang. hic, num.* 626.

rum collectio dicit sine inconvenienti aliquam intrinsecam efficaciam, cui nequeat homo in sensu composito resistere, sitque metaphysicè connexa cum conversione; vel non? *Si primum*: Non est, cur denegetur eadem efficacia cuilibet auxilio, ut meditanti patebit. *Si secundum*: Ergò valet homo toti collectioni resistere.

7 *Resp* 3. (5) Casum illum esse impossibilem: quia, licet Deus non posset hominem illum convertere per actum, & liberum, & meritorium; benè verò per actum necessarium, & non meritorium. *Sed indè* infertur, Deum non posse illius hominis voluntatem modo, quo voluerit, in bonum convertere, cujus oppositum docet Augustinus. *Infertur* 2. Deum aliquod opus bonum, qualis est libera, & meritoria conversio, non posse: Ubi est ergò illa Omnipotentissima voluntas?

8 *Resp.* 4. Casum illum esse impossibilem: Quia, si Deus per Scientiam Mediam prævideret, hominem illum nullatenùs se conversurum, uti posset aliquo auxilio auferente potentiam ad peccandum, & ad omissionem actùs honesti, relinquendo tamen indifferentiam ad plures actus bonos; quod sufficit ad salvandum supremum Dei dominium, quo possit talem hominem per actus meritorios convertere: ad hoc autem sufficit indifferentia ad plures actus honestos, ut patet in Christo Domino, & his, qui in gratia sunt confirmati.

9 *Contrà* 1. In dicto casu homo ille adhuc posset suæ conversioni meritoriæ resistere, licet non peccando, aut actum bonum omittendo; benè verò eliciendo actum minimè bonum ex his, quos valet elicere. Et patet: Nam, qui, non potens malum agere, minùs bonum, quod potest, operatur; non est laude, nec præmio dignus: Ergò per illum actum non convertitur meritoriè. *Contrà* 2. Impium est asserere, Deum non posse hominem per actus meritorios

(5) P. *Arriag. apud Lang. hic, num.* 641.

rios convertere aliquo modo, quia id eſt poſsibile; ſed etiam eſt poſsibile, Deum quemcumque peccatorem convertere converſione juncta cum potentia peccandi: Ergò, ſi id nequiret Deus in caſu argumenti, juxta tuam doctrinam non vitatur maximum illud inconveniens.

110 *Reſp.* 5. (6) Caſum illum eſſe metaphyſicè poſsibilem; non tamen moraliter: Vel, quia ineſt Divinæ Omnipotentiæ aliquod auxilium determinatum ita efficax, ut ſit moraliter impoſsibile, illud fruſtrari: vel, quia inter tot auxilia impoſsibile eſt, ſaltem moraliter, quòd ſub aliquo non prævideretur peccator ille convertendus. *Contrà* 1. Nullum auxilium, per vos, eſt, aut eſſe poteſt aliter efficax, quàm extrinſecè ex libera creaturæ determinatione, & cooperatione; ſed peccator ille pertinax toto connatu renuit ſe determinare ad converſionem, & auxilio cuicumque cooperari: Ergò non eſt, aut eſſe poteſt auxilium ullum, cui non ſit moraliter poſsibile tali peccatori reſiſtere.

111 *Urg.* Quamvis prudenter cenſeri nequeat, de facto exiſtere ejuſmodi pertinacem hominem; prudenter judicatur, eum poſſe exiſtere cum ea pertinacia: Ergò caſus ille nedùm eſt metaphyſicè poſsibilis, ſed etiam moraliter. Prob. ant. Hominem pertinacem exiſtere, eſt hominem omnibus Divinæ gratiæ auxiliis reſiſtere, eademque fruſtrare; atqui, licet prudenter cenſeri nequeat, hominem illum omnibus illis auxiliis de facto reſiſtere, judicatur prudenter, eum poſſe illis quomodocumque reſiſtere, eademque fruſtrare; alioquin imprudens foret Contrariorum opinio: Ergò.

112 *Contrà* 2. Nam ex ea ſolutione infertur, Deum non eſſe ita Omnipotentem ad hominis converſionem, ut ejus poteſtati metaphyſicè reſisti non poſsit, ut patet; ſed hoc

(6) *P. Quiròs, tract. 6. de Prov. diſp. 6. ſect. 5. & diſp. 11. ſect. 3.*

hoc ipso Divina Omnipotentia non esset summa, sed alteri subjecta: Ergò nedùm moraliter, sed etiam metaphysicè repugnat homo inconvertibilis. Prob. min. Potentia, quæ ab aliquo extrinseco impediri potest, non est summa, sed illi extrinseco subjecta; sed Divina Omnipotentia ab eo peccatore pertinaci impediretur ad ipsius conversionem: Ergò.

113 *Urg.* Si casus ille est metaphysicè possibilis, metaphysicè, & ex terminis non repugnat, Deum non posse aliquid, quod metaphysicè, & ex terminis non repugnat; sed hoc ipso Deus non esset Omnipotens: Ergò. Min. patet: quia Omnipotentia ea omnia potest, quæ non repugnant. Prob. maj. Si casus ille est metaphysicè possibilis, metaphysicè, & ex terminis non repugnat, Deum non posse illius pertinacis hominis conversionem; sed ejusmodi conversio metaphysicè, & ex terminis non repugnat, cum ipse homo valeat se convertere: Ergò.

114 *Tandem resp.* In casu argumenti Deum sub quovis auxilio posse hominem illum convertere, nam quodvis auxilium est sufficiens ad illius conversionem: quare, licet omnibus de facto resisteret auxiliis, non esset inconvertibilis, sed inconvertendus. *Contrà*: Licet quodlibet auxilium sit sufficiens ad convertendum peccatorem, volentem se convertere, non est tamen sufficiens, ut de nolente fiat volens conversionem: Ergò. Prob. ant. Per vos, priùs est, peccatorem reddere efficax auxilium quodlibet per determinationem ad actum, quàm, quòd auxilium ipsum peccatorem adjuvet ad ipsum actum: Ergò. Ant. est Adversariorum doctrina. (7) *Adde*: Auxilia sufficientia impediri posse à creatura: Ergò, & Dei potentia, adeòque ea non erit proxima, sed remota.

115 *PROB.* 2. Conclusio: Si non daretur Physica Præmotio, voluntas, in actu primo proximo ad benè operandum

(7) *V. in hac quæst. art.* 2. *num.* 9. *& seq.*

dum conſtituta, fruſtrà, & imprudenter Deum oraret pro ſua recta operatione; ſed hoc eſt inconveniens, & abſurdum, ut ſatis indicant orationes Eccleſiæ: Ergò. Prob. maj. Secluſa phyſica Præmotione, voluntas in actu primo proximo conſtituta habet in ſua manu rectam operationem, & quidquid ad illam requiritur; ſed fruſtrà, & imprudenter petimus, quod ſub noſtra eſt poteſtate: Ergò. Pater min. Nam, *quid ſtultiùs, quàm orare, ut facias, quod habes in tua poteſtate?* (8) Maj. eſt Adverſariorum doctrina ſæpè repetita.

116 *Nec dicas*: Nos ideò orare, ut Deus noſtram voluntatem moraliter excitet, aut ſuum nobis concurſum offerat. *Nam* in primis concurſus oblatio, per vos, pertinet ad actum primum libertatis, in quo ſupponimus noſtram voluntatem conſtitutam, dum oramus. *Deindè*: Adhuc ſuppoſita morali excitatione, Deum oramus, ut nos convertat, ut cor noſtrum immutet, noſtraſque rebelles ad ſe compellat propitiùs voluntates. *Adde*: Qui totaliter habet in ſua manu poteſtatem ad phyſicam ſui excitationem, non indiget excitatione morali, hæc enim ad illam deſervit: ſed per vos homo in ſua poteſtate totaliter habet phyſicam ſui excitationem, & applicationem: Ergò.

117 *Si dicant*: Imprudenter, & fruſtrà orare, qui ſuam petens bonam operationem, ſimùl non poſtulat auxilium illud, ſub quo fuit ab æterno prævifus benè operaturus. *Contrà*: Non minùs eſt in voluntatis poteſtate auxilium illud, quàm ſua ipſius in bonum determinatio: Ergò utrumque poſtulat fruſtrà, & imprudenter. Prob. ant. Voluntas ſe primò determinans, Deum quoque determinat ad infallibilem collationem (niſi fallibilis ſit Scientia Media) illius auxilii, quod ideò reddit efficax, ut vos dicitis: Ergò.

Oco SOLVUNTUR

(8) D. *Auguſt. lib. de Natu. & grat. cap.* 18.

SOLVUNTUR ARGUMENTA CONTRARIA.

18 ARGUES 1. Si Physica Præmotio esset necessaria ad operandum, præceptorum transgressio non esset transgressoribus imputabilis; sed hoc est maximum inconveniens: Ergò physica Præmotio admitti non potest sine magno inconvenienti. Prob. maj. Non est illi imputabilis transgressio præcepti, qui, nec habet, nec acquirere potest aliquod requisitum essentiale ad adimplendum præceptum; sed homo transgrediens præceptum, nec habet, nec potest acquirere Præmotionem, ad præceptum adimplendum essentialiter requisitam: Ergò.

19 *Urg.* Juxta Sacram Scripturam, & SS. Patres omnes reprobi carebunt excusatione in die judicii, quia quamcumque prætextent sui lapsus occasionem, aut suæ omissionis impedimentum, poterunt alii opponi, qui sub eodem statu benè egerint; sed hoc salvari non potest, si Præmotio est necessaria ad benè operandum: Ergò. Prob. min. Deus non poterit opponere reprobis justum aliquem, qui sub statu non Præmotionis, in quo fuerunt reprobi, benè egerit, si illa est necessaria ad benè agendum: Ergò reprobi poterunt se excusare coram Deo, se non benè egisse, ut justi, quia caruerunt Præmotione justis concessa.

20 *Ad arg.* resp. nego maj. Ad prob. dist. maj. Non est illi imputabilis transgressio, qui, nec habet, neque acquirere potest aliquod requisitum ex parte actus primi, concedo; is enim est impotens adimplere: qui, nec habet, neque acquirere potest requisitum ex parte actus secundi, subdist. Si non habet ob suam culpam, nego maj. si sine culpa non habeat, concedo maj. & dist. min. Non habet Præmotionem ob suam culpam, concedo min. sine culpa, nego min. & conseq. *Ad Urg.* nego min. Ad prob. permisso ant. nego conseq. Ut enim reprobi sint inexcusabiles in

die

die judicii, ſufficit eis alios opponi, quibus fuerunt æquales in auxiliis ſufficientibus; at, qui non poſſuerunt, ut reprobi, impedimenta auxiliis efficacibus.

21 Quoties itaque, inſtante præcepto, Deus ſuam denegat Præmotionem ad adimplendum, illam negat juſtiſſimè, vel in pœnam præcedentis peccati, vel ob pravam voluntatis inclinationem ad malum, teſte D. Thoma; (9) *Auxilium gratiæ quibuſcumque divinitùs datur, miſericorditer datur; quibus autem non datur, ex juſtitia non datur in pœnam præcedentis peccati, vel ſaltim originalis.* Dum igitur caret homo Præmotione ad benè agendum, caret ob ſuam culpam; eſtque proindè, & defectus Præmotionis, & tranſgreſsio præcepti ipſi imputabilis; neque ullam habere poteſt excuſationem comparativè ad illos, qui, non opponentes impedimentum, Præmotionem receperunt, qua operarentur.

22 Audi D. Thomam: (10) *Cum aliquis non poſsit ſine auxilio Divinæ gratiæ habere ea, quæ ſunt neceſſaria ad tendendum in ultimum finem:: poteſt alicui videri, quòd non ſit homini imputandum, ſi prædictis careat.* En tuum argum. Sed vide, an D. Thom. ad Scientiam Mediam recurrat, ut difficultatem diſſolvat. Audi: *Licet aliquis per motum liberi arbitrii divinam gratiam, nec promereri, nec advocare poſſit; poteſt tamen ſe ipſum impedire:: Et, cum hoc ſit in poteſtate liberi arbitrii impedire divinæ gratiæ receptionem; non immeritò imputatur ei, qui impedimentum præſtat gratiæ receptioni.* Ecce noſtram ſolutionem.

23 *Dices* 1. Denegatio Præmotionis ad ſe convertendum in Deum in primo inſtanti uſus rationis nequit eſſe in pœnam præcedentis peccati, neque ob pravam voluntatis inclinationem, cum neutrum præceſſerit: imò in malis Angelis, & in Adamo non eſt recurſus ad peccatum originale: Ergò. *Secundò*: Si homo valeret opponere Præmotioni

(9) 2. 2. *quæſt.* 2. *art.* 5. *ad* 1. (10) 3. *Cont. cap.* 159.

impedimentum, poſſet illi reſiſtere, quod idem eſt. *Tertiò*: Quamvis duo homines non opponerent Præmotioni impedimentum, Deus abſolutè poſſet uni concedere, alteri negare Præmotionem: Ergò non eſſet alter præ altero reprehenſibilis.

24 *Ad* 1. *reſp.* 1. Denegationem phyſicæ Præmotionis, aut auxilii efficacis ad vitandum primum peccatum nullam habere cauſam in homine; ſed reduci debere in ſimplicem Dei voluntatem, ejuſque inſcrutabilia judicia; nam *Deus cujus vult miſeretur, & quem vult indurat*, ut inquit Apoſtolus. *Reſp.* 2. Illius denegationis cauſam in homine poſſe eſſe peccatum originale; licet non in Adamo, neque in Angelis: In his autem, &, ſi mavis, etiam in homine ad primum peccatum perſonale, cauſa denegationis auxilii eſt propria culpa, non quidem antecedens, ſed concomitans, quæ prior eſt denegatione auxilii, ſolùm prioritate naturæ in generæ cauſæ materialis diſpoſitivæ.

25 Cum enim in linea deficiendi creatura ſit cauſa prima, ex ſe ipſa, & independenter à poſitivo Dei concurſu, ſola permiſsione Divina, ſe valet in malum inclinare; atque ita in malum propenſa, efficaci Dei Præmotioni ad bonum impedimentum ponit. *Deus enim quantùm eſt ex ſe, paratus eſt omnibus gratiam dare; vult enim omnes homines ſalvos fieri: ſed illi ſoli gratia privantur, qui in ſe ipſis gratiæ impedimentum præſtat: Sicut, Sole mundum illuminante, in culpam imputaretur ei, qui oculos claudit, licet videre non poſſit, niſi lumine Solis præveniatur.* (11)

26 *Ad* 2. *reſp.* neg. ant. ſaltem ſi loquatur de reſiſtentia in ſenſu compoſito: Nam, licet poſsit homo per culpam antecedentem, vel concomitantem ſufficientem denegationis cauſam apponere; at Præmotionem jam receptam ſuo effectu privare non poteſt: ſicut poteſt quis Solis ingreſſum impedire, claudendo feneſtram; ſed nequit impedire

(11) *D. Thom. ubi ſupr.*

impedire Solis ingredientis illuminationem. Et, quamvis idem videatur Præmotionem jam acceptam impedire, ac illi reſiſtere; non tamen eſt illi reſiſtere poſitivè, ejus receptioni opponere impedimentum.

27 *Ad 3. reſp.* quòd, cum nullus ſit homo, qui per aliquam culpam mortalem, aut venialem, vel ſaltem originalem Præmotioni impedimentum non ponat, aut poſſuerit; cur alter, non obſtanti impedimento, præmoveatur, ſecùs alter; aut cur unius impedimentum removetur, & non alterius obſtaculum, nulla poteſt reddi ratio; ſed ad inſcrutabilia Dei judicia eſt recurrendum. Idem dicimus, ſi ſupponas alterum ex duobus, qui nullum poſſuerint impedimentum, præmoveri ad bonum, non verò alterum: *Nam Deus cujus vult miſeretur; & , quem vult indurat*; ut diximus ex Apoſtolo.

28 Hinc Mag. P. Auguſt. *Quare unum trahat, alium non trahat, noli velle judicare, ſi non vis errare.* (12) *Si quis me interroget, cur illi ita ſuadeatur, ut perſuadeatur, illi autem non? Duo ſolùm occurrunt, quæ reſpondere mihi placent: O altitudo divitiarum! Et numquid iniquitas apud Deum? Cui hæc reſponſio non placeat, quærat Auguſtino doctiores; ſed caveat, ne inveniat præſumptiores.* (13) Quibus, ſi non acquieſcas, tibi cum D. Bernardo (14) loquar: *Quid ergò tu? Quid melius affers? Quid ſubtilius invenis? Quid ſecretius tibi revelatum jactas, quod præterierit Sanctos, effugerit Sapientes?*

29 *ARGUES* 2. Si Præmotio phyſica eſſet neceſſaria ad operandum *ſequeretur* 1. hominem Præmotione carentem, non habere gratiam ſufficientem ad bonum opus; quippè, qui non haberet eſſentiale requiſitum ad illud. *Sequeretur* 2. Deum injuſtè punire peccatores: quod prob. Deus illos puniret,

(12) *Tract. 26. in Joann.*
(13) *De Spir. & lit. cap. 34. V. D. Thom. 3. Cont. cap. 161.*
(14) *Epiſt. 100.*

niret, quia non usi fuerunt benè Præmotione, quam non habuerunt, ad benè agendum; sed hoc esset injustè punire, ut, si aliquis puniretur, quia non fuit usus alis ad volandum: Ergò. Prob. maj. Deus punit peccatores, quia non benè egerunt; sed hoc idem esset, ac non benè uti Præmotione: Ergò.

30 *Sequeretur* 3. Nullum votum, nullumque contractum obligaturum. Patet: Nam, qui vovet, aut contrahit, vel se obligat ad implendum cum Præmotione, vel sine illa: *Non primum*; cum non sit in sua manu Præmotio: *Non secundum*; cum sit impossibilis sine Præmotione satisfactio: Ergò. *Sequeretur* 4. Nullum esse discrimen inter gravem, & levem tentationem. Prob. Vel tentatio affert secum Præmotionem ad materiale peccati; & sic, tam in gravi, quàm in levi tentatione infallibiliter tentatus consentiret: Vel excludit illam; & sic æquè nullum in utraque esset consentiendi periculum: Vel denique à Præmotione præscindit; in quo casu æqualis esset utraque tentatio: Ergò.

31 *Resp.* negando 1. *sequel.* Ad ejus subjunctam prob. dicimus, hominem non præmotum habere omnia auxilia sufficientia ad bonum opus; etsi illi deficiat auxilium efficax de ordine causæ primæ, & se habens ex parte actus secundi: Habet igitur gratiam sufficientem, licet non efficacem. *Neg.* insuper 2. *sequel.* Ad prob. neg. maj. & min. prob. Quia non creatura, sed Deus utitur Præmotione. Punitur autem peccator, quoniam malè sua libertate, & potentia usus fuit, se in malum inclinando, obicemque ponendo, ne Deus illi daret Præmotionem ad bonum: adeòque bonum omittens, aut malum agens, factus est reus.

32 *Neg.* etiam 3. *sequel.* Ad illius prob. dicimus, illum, qui votum emittit, aut celebrat contractum, se obligare ad adimplendum dependenter à Deo præmovente: hæc autem conditio est intrinseca, & per se intellecta in quo-

cumque

cumque humano negotio. Et rogo Adverſarium : Vovens, aut contrahens ſe obligat cum auxilio prævisionis, aut ſine illo ? Cum gratia congrua, vel ſine illa ? *Neg.* demùm 4. *ſequel.* Ad prob. dicimus, tam gravem, quàm levem tentationem ex ſe præſcindere à Præmotione : hæc enim eſt à Deo ; Deus autem ad malum neminem tentat. At plus in malum allicit gravis, quàm levis tentatio : & in hoc differunt præciſivè à Præmotione.

ARTICULUS V.

Utrum Phyſica Præmotio ſit conformis Sacræ Scripturæ, Conciliis, & Sanctis Patribus?

¶ 1 DICIMUS 1. Phyſica Dei Præmotio eſt conformis Sacræ Scripturæ. *PROB.* 1. In Sacra Scriptura dicitur : (1) *In multitudine diſciplinæ Dominus ſeparavit eos, & immutavit vias eorum : ex ipſis benedixit, & exaltavit, & ex ipſis ſanctificavit, & ad ſe* APPLICAVIT : (2) *Et erit Dux ejus ex eo, & Princeps de medio ejus producetur, &* APPLICABO *eum.* Atqui applicatio, de qua loquitur Sacer Textus, eſt phyſica, non ſecùs, ac ſeparatio, immutatio, benedictio, & exaltatio, de quibus eodem modo loquitur primus textus : Ergò debet intelligi de phyſica applicatione, qua Deus aliquos de populo, ejuſque Ducem ad ſui amorem applicavit ; quod eſt phyſicè præmovere.

¶ 2 *PROB.* 2. Concluſio : Juxta Sacram Scripturam voluntas Dei ita efficax eſt, & infallibilis, ut ei reſiſti non poſsit ſaltem potentia conſequenti ; adeò, ut cum ejus determinatione, & applicatione componi diſſenſus non poſſit : ſed hoc verificari non poſſet, ſi Dei applicatio, vel motio, eſſet tantùm moralis, ſeu ex ſe, & phyſicè indifferens, voluntatis determinationem expectans : Ergò. Min. patet.

(1) *Eccleſ.* 33. (2) *Jerem.* 30.

patet : Motio enim , vel applicatio , quæ moraliter tantùm applicat , ſeu movet voluntatem , eam allicit per modum objecti propoſiti ; cujuſlibet autem objecti (excipe beatificum) propoſitioni voluntas reſiſtere valet in ſenſu compoſito , & potentia antecedenti , ut patet : Motio etiam indifferens eſt conjungibilis cum voluntatis determinatione, vel carentia determinationis , ut denotat ejus indifferentia.

3 Maj. autem ex Sacra Scriptura oſtenditur : Ibi enim dicitur : (3) *Non eſt , qui poſsit tuæ reſiſtere voluntati , ſi decreveris ſalvare Iſrael.* (4) *Nec eſt , qui reſiſtat Majeſtati tuæ.* (5) *Dominus exercituum decrevit , & quis poterit infirmare ? Et manus ejus extenſa , & quis avertet illam ?* Id ipſum confirmari poteſt : Nam in Scriptura legimus : (6) *Trahe me poſt te , curremus.* (7) *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater , qui miſit me , traxerit eum.* Undè S. Auguſtinus : (8) *Quis trahitur , ſi jam volebat ? Et tamen nemo , niſi velit trahitur : Ergò miris modis , ut velit , ab illo trahitur , qui novit intùs in ipſis hominum cordibus operari* : Ergò tractio , de qua textus loquitur , non expectat , ſed cauſat creaturæ determinationem , & volitionem ; atque adeò erit prædeterminativa.

4 *PROB.* 3. Concluſio ex verbis Apoſtoli (9) aſſerentis : *Quis enim te diſcernit ? Quid habes , quod non accepiſti? Si autem accepiſti , quid gloriaris , quaſi non acceperis ?* Ex quibus en argumentum : Juxta Apoſt. diſcretio , ſeu differentia benè operantis à malè operante principaliùs reduci debet ad divinam gratiam , & non ad liberum voluntatis arbitrium , alioquin poſſet unus præ alio gloriari de bono opere ; ſed oppoſitum contingeret , non admiſſa phyſica Prædeterminatione : Ergò. Prob. min. Non admiſſa Prædeterminatione phyſica , contingere poſſet , ut ex duobus in gratia Dei æqua-

(3) *Eſther* 13. (4) *Ibidem.* (5) *Iſaiæ* 14. (6) *Cant.* 2. (7) *Joann.* 6. (8) *Lib.* 1. *cont. duas Epiſt. Pelag. cap.* 19. (9) 1. *ad Corinth.* 14.

æqualibus alter benè, alter malè operaretur; sed horum discretio ad divinam gratiam reduci non posset: Ergò.

5 Maj. per se patet: Nam, physica Præmotione seclusa, omnia auxilia divinæ gratiæ sunt indifferentia, ac de se determinabilia, tam ad actum benè operandi, quàm ad ejus omissionem, æquè insuper frustrabilia ex libero voluntatis beneplacito. Prob. min. Nequit discretio benè operantis à malè operante ad illud principium reduci, quod est utrique commune; in eo enim, in quo aliqua conveniunt, minimè discernuntur; sed, non admissa physica Præmotione, & gratia de se efficaci, Dei gratia est utrique communis, & æqualis, sufficiens nimirùm, & indifferens: Ergò.

6 *Si dicant*: Eam discretionem procedere à libero arbitrio, non nudè sumpto, ut volebant Pelagiani, sed ab illo, ut divina gratia informato. *Contrà*: Nam utriusque liberum arbitrium est gratia congrua, & sufficienti informatum, imò non rarò est, aut esse potest fortior, & vivacior illa gratia in malè agente, quàm in benè operante; sed ad principium utriusque commune illa discretio reduci non potest: Ergò. *Urg.* & rogo Adversarios, quid habeat Petrus gratia congrua moraliter excitante, atque ab intrinseco indifferenti adjutus, ut benè agat, quod similiter non habeat Paulus eadem gratia excitatus, nisi liberam suam in bonum determinationem?

7 *Si dicant* 2. Discrimen illud partim esse à gratia, partim à libero arbitrio. *Contrà* 1. *Tutiores vivimus, si totum demus Deo; non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committamus*, ut inquit Augustinus. (10) *Contrà* 2. Nam, juxta solutionem, habebit homo aliquid ex se saltem partialiter, de quo possit gloriari, & inflari comparativè ad alium; quod, præter Apostolum, reprehendit Augustinus: (11) *Volens, à se ipso esse, quod credit; quasi componit cum Deo, ut*

 partem

(10) *De Dono persev. cap.* 13. (11) *De Præd. SS. cap.* 2.

partem fidei sibi vendicet, atque illi partem relinquat; &, quod est clarius, primam tollit ipse, sequentem dat illi: priorem se facit, posteriorem Deum.

8 *Contrà* 3. Juxta Adversariorum principia, ut gratia determinatè influat in nostros actus supponit sui determinationem per liberum voluntatis arbitrium, se ipsum determinans: sed discretio gratiæ attributa ab Adversariis ei solùm convenit, quatenùs influenti in nostros actus, non quatenùs indifferenti: Ergò solùm attribui potest Divinæ gratiæ, quatenùs à libero arbitrio determinatæ: Ergò libero potiùs arbitrio totaliter, & principaliùs tribueretur, nullatenùs gratiæ, quæ, nisi liberè determinetur, non discernit consentientem à non consentiente.

9 *Si dicant* 3. Discrimen illud inter eum, qui benè, & eum, qui malè agit, esse reducendum ad gratiam congruam æqualem in esse physico, majorem autem in esse moris respectu benè operantis, quatenùs ipsi collata in iis occasionibus, & circunstantiis, in quibus Deus per Scientiam Mediam præscivit, illum benè acturum; secùs alteri. *Contrà* 1. Discretio illa, cum sit circa meritum, & demeritum, reduci debet ad principium supernaturale; sed circunstantiæ loci, temporis, complexionis, genii, aliæque hujusmodi, sub quibus fuit homo prævisus benè acturus, & à quibus, juxta Adversarios, desumitur gratiæ congruitas, naturales sunt: Ergò.

10 *Contrà* 2. Juxta solutionem, discretio illa ad gratiam reducitur, quatenùs collatam in his occasionibus, in quibus fuit homo prævisus benè operaturus, sed, quòd gratia sit in illis occasionibus collata, unicè pendet à libero arbitrio: Ergò. Prob. min. Quòd gratia sit collata in illis occasionibus, in quibus fuit homo prævisus benè operaturus, unicè pendet ex eo, quòd homo sub illis occasionibus fuerit prævisus benè operaturus, cum ea prævisio dirigat, per vos, divinam voluntatem ad decernendam, &

exequen-

ex equendam auxiliorum collationem ; sed, quòd ita fuerit prævisus, unicè pendet à libero voluntatis arbitrio, cum objectum determinativum Scientiæ Mediæ sit voluntatis consensus : Ergò.

11 *Sed aliter* respondent alii : (12) hominem benè operantem se discernere à malè o perante, non quidem præparativè, radicaliter, & in actu primo ; benè verò executivè, formaliter, & in actu secundo. Prima discretio consistit in liberali, & benefica collatione auxilii, sub quo per Scientiam Mediam prævisus est homo benè operaturus : Secunda in eo consistit, quòd homo Dei vocationi, & auxilio consentiat. Illa (inquiunt) se habet ex parte Dei : hæc aliqualiter ex parte creaturæ, quæ jam potest gloriari de bono opere ; non quidem jactabundè, sed humiliter, & in Domino, juxta illud : *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* (13)

12 *Impug.* solutio : In primis, creaturam se discernere in actu secundo, & executivè, est consentire, ut solutio ipsa fatetur ; sed consensus creaturæ primò incipit à libero arbitrio, se, Deumque per vos determinante : Ergò discretio in actu secundo omninò, nedùm aliqualiter ; principaliùs, non solùm minùs principaliter, provenit à creatura. *Deindè* : Suppositâ auxilii collatione, æquè est Petrus indifferens ad benè, aut malè agendum, ac Paulus, cui non est collatum ejusmodi auxilium : Ergò, si Petrus, & non Paulus, benè operatur, determinatio in bonum unicè pendet à libero arbitrio. Ant. patet : Siquidem auxilium illud semper est indifferens, quousque à libero arbitrio determinetur.

13 *Impug.* aliter : Discretio in actu primo est, per vos, benefica collatio auxilii, sub quo prævisus est homo benè operaturus ; sed ejusmodi collatio, vel unicè, vel principaliter provenit à voluntatis creatæ determinatione, quatenùs per Scientiam Mediam prævisa : Ergò discretio in

(12) *P. Mora, in M. S.* (13) *Apost. 2. ad Corinth. 10.*

actu primo, vel unicè, vel principaliter provenit à voluntate creata. Prob. min. Illa auxilii collatio eſſentialiter dependet à præviſione determinationis voluntatis in bonum opus; ſed præviſio iſta, principaliter adminùs, provenit ex libera voluntatis determinatione; ideò enim prævidetur aliquis benè acturus, quia ipſe benè aget, ut frequenter docent Adverſarii: Ergò. Patet maj. Nam ea collatio eſſentialiter dependet à Scientia Media.

14 *DICIMUS* 2. Phyſica Dei Præmotio conformis eſt Conciliis. Prob. Concluſio ex Concilio Arauſicano, (14) definiente: *Quoties bona agimus Deus in nobis, atque nobiſcum, ut operemur, operatur*: Ergò Deus, nedùm nobiſcum agit, quod eſt ſimultaneè concurrere, ſed etiam operatur, ut nos operemur, adeòque cauſat actuali influxu noſtram determinationem, ad operandum, quod eſt prædeterminare, ſeu prævièconcurrere. *Urg.* ex Tridentino, (15) aſſerente: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari:: neque poſſe diſſentire, ſi velit; anathema ſit.*

15 En, ubi Sac. Trident. Synodus apertè ſupponit, voluntatem creatam à Deo, nedùm excitari, quod eſt moraliter applicari; ſed moveri etiam, quod aliquid amplius eſſe debet: Ergò ſupponit voluntatem creatam à Deo phyſicè moveri, ſeu prædeterminari. *Urg.* Concilium definit contra Lutherum, & Calvinum, Dei motionem non tollere creatam libertatem: Ergò loquitur de illa motione, de qua illi aſſerebant adimere libertatem. Atqui hæretici non de motione indifferenti, non de morali, non de concurſu ſimultaneo, non de motione ab extrinſeco efficaci aſſerebant tollere libertatem, ſed ſolùm de motione phyſica, & ab intrinſeco efficaci: Ergò de hac loquitur Concilium, eaque ſupponit *liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum.*

Patet

(14) *Can.* 9. (15) *Seſſ.* 6. *Can.* 4.

16 Patet min. Nam motio indifferens nullam habet necessitudinis umbram : de morali, cum sit suasio, allicientia, aut quidpiam simile, nemo non amens dubitare valet, quin voluntatem relinquat omninò indifferentem: concursus simultaneus, cum sit, aut comitetur actionem voluntatis, undè potest libertatem ad agendum, adhuc apud hæreticos, tollere ? Motio demùm ab extrinseco efficax, cum redatur efficax ex libera cooperatione creaturæ, potiùs est effectus libertatis, quàm eam destruat, ut quisque intelligit. Qua ergò necessitate de his motionibus, de quibus nemo mentis compos ne leviter quidem suspicari potest, libertatem adimere, definiret Ecclesia, nullatenùs tollere libertatem?

17 *DICIMUS* 3. Physica Dei Præmotio est conformis, & familiaris Sanctis Ecclesiæ Patribus, præsertim S. Augustino, & D. Thomæ. *PROB.* 1. ex multis Sanctis Patribus : Nam D. Dionisius (16) docet : *Voluntatem Dei esse omnium prædeterminativam.* D. Ambrosius : (17) *Deus unus est, omnia vivificans, movens, & gubernans.* D. Gregorius : (18) *Quæ creata sunt in tantùm moventur, in quantùm occulto Dei instinctu disponuntur.* D. Bernardus : (19) *Deus voluntatem applicat operi, & opus applicat voluntati.* Facilè dices, Sanctos loqui de motione, & applicatione morali tantùm. *At* eadem facilitate dices, eos loqui de vivificatione, & gubernatione tantùm morali, adeòque Deum omnia solùm moraliter vivificare, & gubernare : Sed quid absurdius?

18 *PROB.* 2. Conclusio ex Mag. P. Augustino invictissimo Divinæ efficaciæ propugnatore : (20) *Deus facit, ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati.* Quero abs te, quænam sint vires illæ efficacissimæ ? Non concursus

(16) *Lib.* 5. *de Div. nom.* (17) *Lib.* 4. *de Dig. hominis.*
(18) *In Moralib.* (19) *Lib. de Lib. art. ad finem.*
(20) *Lib. de Grat. & Lib. arb. cap.* 16.

ſus ſimultaneus ; nam eo non facit, ut faciamus, ſed facit, dum jam facimus : Non auxilia indifferentia ; ea enim non ſunt efficaciſsima, ſed ab efficacia, vel inefficacia præſcindunt : Non auxilia ab extrinſeco efficacia ; extrinſeca namque efficacia eſt à voluntate auxiliis præbita ; efficacia autem, de qua Auguſtinus, eſt ab auxilio voluntati communicata, ut ex verbis ipſius liquidò conſtat : Ergò illarum virium efficacia eſt ab intrinſeco præmotiva.

19 *Deindè* : Idem Auguſtinus : (21) *Subventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter, & inſuperabiliter ageretur.* Aſt, quodnam divinæ gratiæ auxilium, præter efficax ab intrinſeco, & præmotivum, ullam habet indeclinabilitatis, aut inſuperabilitatis umbram ? *Prætereà* : Loqnens M. Parens de mutatione Regis Aſſueri, ait : (22) *Deus cor Regis occultiſsima, & efficaciſsima poteſtate convertit, & tranſtulit ab indignatione ad lenitatem.* Et alibi (23) loquens de converſione Pauli: *Ut autem de Cœlo vocaretur, & tam magna, & efficaciſsima vocatione converteretur, gratia Dei erat ſola, quia merita ejus erant magna, ſed mala.*

20 *PROB.* demùm Concluſio ex D. Thoma, qui ſexcentis ſuæ doctrinæ locis expreſsè docet, Deum movere, & applicare cauſas ſecundas ad agendum : (24) *Sic ergò Deus eſt cauſa cujuſlibet actionis in quantùm dat virtutem agendi, in quantùm conſervat eam, in quantùm applicat in actionem, & in quantùm ejus virtute omnis alia virtus agit.* Et explicans ibidem tertium cauſandi modum, ait : *Tertio modo dicitur una res eſſe cauſa actionis alterius, in quantùm movet ad agendum ; in quo non intelligitur collatio, aut conſervatio virtutis activæ, &c.*

Adeò

(21) *Lib. de Corr. & Grat. cap. 22.*
(22) *Lib. 2. cont. duas Epiſt. Pelag. cap. 20.*
(23) *Lib. de Grat. & Lib. arb. cap. 5.*
(24) *Quæſt. 3. de Pot. art. 2.*

21 Adeò perspicuum est hoc D. Thomæ testimonium, ut P. Suarez (25) fateatur, D. Thomam eò loci physicam admisisse Præmotionem, quam nihilominùs in summa Theologiæ (26) eum retractasse, contendit, quia docet, *Deum quasi applicare causas secundas*; non autem dicit absolutè *applicare*. Sed hæc solutio, nec fundamentum habet, nec verum dicit. Non habet fundamentum: nam Filius divinus dicitur *quasi unigenitus à Patre*; (27) ast hinc non licet inferre, eum non esse verè filium Patris. Nec dicit verum: quia ibidem absolutè asserit D. Thomas: *Primum agens movet secundum*:: *Deus non solùm dat formas rebus, sed etiam conservat eas in esse, & applicat*, (non dicit *quasi*) *eas ad agendum*.

22 *Resp.* P. Lossada: (28) Motionem, & applicationem à D. Thoma assertam, aut esse concursum simultaneum, aut aliquid pertinens ad actum primum causæ creatæ. *Sed* lege iterùm tertium divinæ causalitatis genus suprà à D. Thoma expositum, & noveris sanè vanum Adversariorum effugium: *In quantùm applicat* (inquit) *actionem*. Numquid simultaneus concursus, cum sit, per te, ipsa actio creaturæ, erit actionis ejusdem applicatio? Nonne prior est applicatio applicationis termino? *Insuper*: Quidquid pertinet ad actum primum causæ creatæ, pertinet ad virtutis collationem, aut conservationem, ut notum est; atqui in ea applicatione à D. Thoma asserta, *non intelligitur collatio, aut conservatio virtutis activæ*: Ergò non pertinet ad actum primum.

23 Addit P. Lossada: Eam motionem, de qua D. Thomàs, non esse aliquid à solo Deo pendens, & essentialiter connexum cum actione creaturæ. Quibus addit: *Donec attributa ista Prædeterminationis ostendas in D. Thoma, quod numquam præstabis, frustrà S. Doctoris Tribunal appellas.*

Scimus,

(25) *Disp.* 22. *Met. sect.* 2. *n.* 52. (26) 1. *p. q.* 105. *art.* 5. (27) *Joann.* 1. (28) *Tract.* 2. *disp.* 8. *cap.* 6. *num.* 11.

Scimus, nos frustra, P. Lossada judice, ad S. Doctorem appellare: Sed, quia eum in hac lite à Judicis officio jure excipimus; iterùm appellamus: Inquit D. Thomas: (29) *Deus movet voluntatem immutabiliter, propter efficaciam virtutis moventis.* En *immutabiliter* connexas motiones Dei, & voluntatis. Et, ne dubites, eam immutabilitatem à solo Deo pendere, addit causalem: *Propter efficaciam virtutis moventis.*

24. Audiatur insuper S Doctor: (30) *Si Deus movet voluntatem ad aliquid; impossibile est poni, quòd voluntas ad illud non moveatur.* Viden metaphysicam connexionem inter divinam motionem, & id, ad quod movetur voluntas? Sed, ne quis libertatem creatam indè putet auferri, addit: *Non tamen est impossibile simpliciter*, impossibilitate nimirùm antecedenti, sed consequenti: redditur enim impossibilis motùs omissio, impossibilitate solùm ponibilitatis, ut denotant illa verba: *Impossibile est poni.*

25 *Adhæc*: Idem Ang. Mag. (31) *Præparatio ad gratiam secundùm, quòd est à Deo movente*, (pendens) *habet necessitatem ad id, ad quod ordinatur à Deo; non quidem coactionis, sed infallibilitatis, quia intentio Dei deficere non potest.* Suntne essentialiter connexa illa, quorum unum habet necessitatem infallibilitatis ad aliud? *Undè* (pergit D. Thomas) *si ex intentione Dei moventis est, quòd homo, cujus cor movet, gratiam consequatur, infallibiliter eam consequitur.*

26 *Sed verò* (inquit P. Lossada) *nusquàm apud D. Thomam invenitur, quòd Deus prædeterminet, imprimendo creaturis aliquid prævium cum operatione connexum, & non pertinens ad actum primum.* (32) Cæterùm (quidquid sit de *Prædeterminationis* nomine, de quo infrà) constat ex nuper

(29) *Quæst.* 6. *de Malo*, *art.* 1. *ad* 3.
(30) 1. 2. *quæst.* 10. *art.* 4. *ad* 3.
(31) 1. 2. *quæst.* 112. *art.* 3. (32) *Ubi supr. num.* 25.

per dictis connexio infallibilis inter Dei motionem, & id, ad quod voluntas movetur: Constat insuper *num.* 22. eam motionem, ejusque effectum non pertinere ad actum primum. Quòd autem aliquid prævium imprimat creaturis, expressè docet S. Doctor: (33) *Deus movendo creaturas, tangit eas, secundùm virtualem contactum.*

127 Atqui Deum tangere aliquid, secundùm virtualem contactum, est sua virtute in eo aliquid efficere, seu imprimere: Ergò. Præterea: (34) *Oportet, quòd Deus cuilibet agenti adsit interiùs, quasi in ipso agens, dum ipsum ad agendum movet*: Ergò Deus, dùm creaturam movet, aliquid speciale agit, quod non præstat, dùm non movet ipsam, ut liquidò infertur ex verbis D. Thomæ; atqui illud speciale non est virtutis collatio, aut conservatio, oblatio Omnipotentiæ, aut Decreti indifferentis; nam hæc omnia efficiuntur à Deo, etiam dum illam non movet: Ergò *nihil aliud est, quàm quædam impressio à primo movente.* (35)

128 Restat præter dicta, aliaque innumera, speciale D. Thomæ Testimonium asserentis: (36) *Causa, quæ est ex se contingens, oportet, quòd determinetur ab aliquo exteriori ad effectum.* Resp. (37) hoc testimonium verum esse de causis liberis, dummodò sermo sit de *exteriori principio*, se habente per modum finis, & objecti. Sed audiant D. Thomam: (38) *Voluntas movetur ab objecto, quod est bonum, & ab eo, qui erat virtutem volendi:: Undè ipse solus* (Deus) *implet voluntatem, & sufficienter eam movet, ut objectum: similiter autem, & virtus volendi à solo Deo causatur:: Undè utroque modo, proprium est Dei movere voluntatem*, (objectivè, & subjectivè) *sed maximè secundo modo, interiùs eam inclinando.*

(33) 1 *par. quæst.* 105. *art.* 2. *ad* 1. (34) *Opusc.* 3. *cap.* 130.
(35) D. *Thom.* 1. *part. quæst.* 103. *art.* 8.
(36) 1. *p. quæst.* 19. *art.* 3. (37) *P. Lossad. ubi sup. num.* 25.
(38) 1. *part. quæst.* 105. *art.* 4.

129 Idem docet alibi : (39) *Ex parte ipsius potentiæ voluntas nullo modo potest moveri, nisi à Deo* : (40) *Ex parte voluntatis mutare actum voluntatis non potest, nisi, quod operatur intra voluntatem, & hoc est ipsa voluntas, & id, quod est causa esse voluntatis, quod secundùm fidem solus Deus est*: Ergò Deus, nedùm ut finis, aut objectum, id est moraliter, sed etiam, ut principium efficiens, & ex parte voluntatis, id est physicè, voluntatem movet ad agendum. Undè malè interpretantur Contrarii D. Thomam de motione morali, quoties dicat, Deum movere creaturas ad agendum.

130 Tandem aliquando vide D. Thomam in terminis admittentem Prædeterminationem physicam : (41) *Voluntate Dei non solùm res in esse producuntur, sed etiam rebus producendis modum, quo producuntur*, PRÆDETERMINAVIT. Et alibi (42) expressè tenet : *A providentia Dei omnia esse* PRÆDETERMINATA. Dices (43) D. Thomam sumere *prædeterminare* pro eodem, ac *prædestinare*, vel *prædefinire*. Sed cur non exponis eodem sensu Thomistas omnes, ut, cum dicunt, Deum præmovere, aut prædeterminare creaturas, eos intelligas de æterna Dei prædefinitione ? Non enim clariùs loquuntur hi, quàm Ang. Præceptor : Et sic, velint nolint Thomistæ, physica Præmotio, nec erit de mente D. Thomæ, nec ullius Thomistarum.

131 Ast longè meliùs opinati sunt Pererius, & Azorius Societatis Scriptores, qui strenuè docent Præmotionem cum D. Thoma. Pererius sic ait : (44) *In eo, quod adjungit D. Thomas, causas secundas, & in his voluntatem nostram à Deo moveri, applicari, & determinari ad agendum, licet nonnulli dissentiant Theologi, ego tamen manibus, pedibusque in*

eam

(39) 1. *part. quæst.* 106. *art.* 2.
(40) *Quæst.* 22. *de Verit. art.* 9.
(41) 1. *ad Anibal. dist.* 47. *quæst. unic. art.* 4.
(42) *Quod.* 12. *art.* 4. (43) *P. Lossad. ubi supr.*
(44) *Lib.* 8. *de Causis, cap.* 8.

eam sententiam perquam libenter eo. Azorius : (45) *Octavò quæritur, an Deus, quando cum natura, aut voluntate operatur ipsam moveat, & applicet ad agendum ? Sanctus Thomas apertè sic ait : Deus non solùm dat formas rebus, sed etiam conservat eas, & applicat ad agendum, &c. Cæterùm mihi videtur verissima D. Thomæ Sententia.*

132 Colleg. insuper Jesuiticum Conimbricense, etsi contrariam partem admittat, nostram tamen esse D. Thomæ sententiam, ita supponit : (46) *Circa modum, quo Deus cum causis secundis ad earum operationes, & effectus concurrit, se offert celebris opinio D. Thomæ :: Capreoli :: Ferrariensis, &c.* Hæc igitur nobis sufficiant ; nam firmum est genus probationis, quod ab Adversariis sumitur, teste Novatiano. (47)

SOLVUNTUR ARGUMENTA CONTRARIA.

33 ARGUES 1. contra 1. Conclusionem : Christus Dominus, increpans Judæos Corozain, & Vethsaidæ, quia, visis ejus virtutibus, & miraculis, pœnitentiam non egerunt comparativè ad Gentiles Tyri, & Sidonis, qui, visis christi miraculis, pœnitentiam egissent, sic ait : (48) *Væ tibi Corozain, væ tibi Vethsaida, quia si in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent.* Sed huic textui repugnat physica Præmotio : Ergò physica Præmotio non est conformis Sacræ Scripturæ.

34 *Prob. min.* 1. Juxta hunc Sacræ Scripturæ textum Gentiles Tyri, & Sidonis, si vidissent Christi miracula, egissent pœnitentiam sine Præmotione : Ergò. Prob. ant. Gentiles Tyri, & Sidonis egissent pœnitentiam cum illis

(45) *Lib. 1. Instit. Mor. cap. 25. quæst. 8.*
(46) *2. Physic. cap. 7. quæst. 14. art. 1.*
(47) *Cap. 18. de Trinit.* (48) *Matth. 11.*

auxiliis, cum quibus Judæi non egerunt; sed Judæi Corozain, & Vethsaidæ non habuerunt Præmotionem, alioquin pœnitentiam egissent infallibiliter: Ergò. *Prob. 2. ipsa min.* Si physica Præmotio esset necessariò ad pœnitentiam requisita, redderet injustam Christi increpationem; sed hoc repugnat: Ergò. Prob. maj. Illa est injusta increpatio, cui solida potest dari responsio; atqui poterant Judæi respondere, se sine libertate caruisse Præmotione ad pœnitentiam requisita, qua non caruissent Gentiles, ut pœnitentiam agerent: Ergò.

35 *Conf.* Injusta est comparativa increpatio, si non est inter extrema comparationis æqualitas; sed inter Judæos, qui pœnitentiam non egerunt, & Gentiles, qui eam egissent, non erat æqualitas, nam hi habuissent Præmotionem, qua illi caruerunt: Ergò, si esset necessaria Præmotio ad agendum, injusta esset Christi increpatio. Maj. patet: Injustè enim objurgaretur servus, quia non tantum lucratus fuisset centum aureis, quantum alter aureis mille: injustè quoque milles malè armatus comparativè ad alterum validioribus armis accinctum, quia parem non esset assequutus victoriam.

36 Hoc argumentum, quod valdè magnificant Adversarii in ipsos facilè retorqueri, atque ex dictis (49) quoque facilè dissolvi potest. Itaque concessa maj. quæ Scripturæ authoritatem includit, nego min. *Ad prim. prob.* nego ant. Ad prob. Insto argumentum: Gentiles egissent pœnitentiam cum illis auxiliis, cum quibus Judæi non egerunt; sed Judæi non habuerunt auxilium, sub quo fuissent prævisi acturi pœnitentiam: Ergò Gentiles egissent pœnitentiam sine illo auxilio? Vel dist. maj. Gentiles egissent pœnitentiam cum illis tantùm auxiliis, cum quibus Judæi non egerunt, nego maj. & simùl cum Præmotione, qua non fuissent indigni, ut Judæi, per malum eorum auxiliorum usum, concedo maj. Tam

(49) *V. art. præced. à num.* 18.

37 Tam Judæi, quàm Gentiles habuerunt auxilia sufficientia ad suam ipsorum conversionem, & pœnitentiam: cæterùm Judæi habuerunt insuper à Domino specialia motiva, tum miraculorum, tum prædicationis, ut benè utentes auxiliis sufficientibus, & non se in malum inclinantes, digni fuissent, quibus Deus Præmotionem ad pœnitentiam contulisset; quod nihilominùs non fecerunt: ideò meritò objurgantur comparativè ad Gentiles, qui, si vidissent Christi miracula, ejusque prædicationem audivissent, non se inclinassent in malum, ac proindè recepissent à Domino Præmotionem, qua in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent.

38 *Ad 2. ipsius min. prob* nego maj. Ad prob. quæ eodem modo instari potest, resp. dist. min. Poterant Judæi respondere, se caruisse Præmotione sine culpa, nego min. se caruisse Præmotione ob suam culpam, concedo min. & nego conseq. Solutio constat ex dictis. Ut enim ait Augustinus: (50) *Non erant sic excæcati, neque sic induratum cor Tyriorum, & Sidoniorum, quoniam credidissent, si qualia viderunt isti* (scilicet Judæi) *signa vidissent.*

39 *Ad Conf.* dist. maj. Si non est æqualitas ex parte actus primi, concedo maj. ex parte actus secundi, vel ex parte applicationis ad ipsum, nego maj. Ut enim unus præ alio justè increpetur, sufficit obligationis æqualitas: obligatio autem fundatur supra posse, & non supra actum, aut applicationem ad ipsum: Neque exempla de servo, & milite aliquid probant; nam in his esset inæqualitas ex parte actus primi, ad quem pertinent numi, & arma ad lucrum, & pugnam. Aptius esset exemplum, si Dominus ad nundinas utrumque servum æquali pecunia mitteret, alterum autem præciosa veste indutum, alterum rudi panno vestitum, illum cum equo, cum mulo istum: Numquid increpatione dignus esset hic comparativè ad illum, si domini pecuniam non lucro, sed otio traderet? *Dices*

(50) *De Bono pers. cap.* 14.

40 *Dices* 1. Deus non præcipiebat Judæis, ut poſſent benè operari, ſed, ut benè operarentur: Ergò ſi deficit ipſis Præmotio ad operandum requiſita, injuſta fuit increpatio. *Secundò*: Judæis non ſolùm defuit Præmotio ad ſuam ipſorum converſionem, ſed ad bonum etiam uſum auxiliorum ſufficientium, quo fuiſſent Præmotione digni: Ergò ſine ulla culpa caruerunt Præmotione. *Adde*: Poſſe Deum ſuam denegare Præmotionem his etiam, qui benè utuntur auxiliis ſufficientibus.

41 *Ad* 1. nego conſeq. quia Præmotionis defectus fuit propter Judæorum culpam, ut diximus. *Ad ſecundum*, neg. conſeq. Nam, licet requiratur Præmotio ad bonum auxiliorum uſum poſitivum, non autem ad negativum; ad hunc enim ſufficit, ſi homo veluti prima cauſa in linea deficiendi, non ſe ad malum inclinet, neque auxilium ſpernat, ut Judæi præſtiterunt: atque indè confert Deus Præmotionem, & ad bonum auxiliorum uſum poſitivum, & ad rectam operationem. *Ad addit*. conſtat ſolutio ex dictis *art.* 5. *num.* 27. & 28.

42 *ARGUES* 2. (51) *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui*:: *Apoſui tibi aquam, & ignem: ad quod volueris porrige manum tuam*; ſed ejuſmodi liberæ electioni, hujuſmodi quoque indifferentiæ opponi videtur efficax voluntatis ad unum Prædeterminatio: Ergò. *Conf.* Dominus ſub parabola vineæ de ſuo populo ita conquæritur: (52) *Quid eſt, quòd ultrà debui facere vineæ meæ, & non feci? An, quòd expectavi, ut faceret ubas, & fecit labruſcas?* Nunc ſic: Vel Deus dedit populo Præmotionem ad bona opera, aut non? Si primum: Ergò non eſt connexa Præmotio cum bono opere. Si ſecundum: Ergò fruſtrà expectaviſſet Dominus bona opera, ſi neutiquam eſſent ponenda ſine Præmotione.

Ad

(51) *Eccleſ.* 15. (52) *Iſaiæ* 5.

43 *Ad arg.* concessa maj. nego min. Reliquit enim Deus hominem in manu consilii sui, ut eligat, manumque porrigat ad quod voluerit; ast dependenter a Deo providente, & præmovente. *In hoc, quod dicitur, Deum hominem sibi reliquisse, non excluditur homo à divina Providentia* (neque à Prædeterminatione) *sed ostenditur, quod non præfigitur ei virtus operativa determinata ad unum, sicut rebus naturalibus :: Sed, quia ipse actus liberi arbitrii reducitur in Deum, sicut in causam; necesse est, ut ea, quæ ex libero arbitrio fiunt, divinæ Providentiæ subdantur.* (53)

44 *Ad Conf.* dicimus, Deum denegavisse Populo Præmotionem ob ejus culpam: atque adeò expectabat Dominus, eum non demeriturum Præmotionem per pravam inclinationem in malum, quod fecit nihilominus, malè utens auxiliis sufficientibus, atque se indignum reddens Præmotione, quam aliàs recepisset, benèque operaretur. Pro aliis solvendis nota, Scripturam nonnumquam asserere, homines resistere gratiæ, & Spiritui Sancto. *Sed* hoc est intelligendum de auxiliis sufficientibus, & divinis inspirationibus. Dum asserit, solam voluntatem esse dominam sui actus, excludit aliud dominium creatum; sed non divinum.

45 *ARGUES* 3. contra 2. Conclusionem: Concilium Tridentinum (54) expressè definit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum posse dissentire, si velit; sed physicæ Præmotioni dissentiri non potest: Ergò. Et alibi (55) docet, cor hominis posse Spiritus Sancti abjicere inspirationem; sed nequit abjicere Præmotionem: Ergò. *Conf.* ex Concilio Senonensi: (56) *Nec denique tale sit hujusmodi Dei trahentis auxilium, cui resisti non possit*; sed Præmo-

(53) *D. Thom. 1. p. q. 22. art. 2. ad 4. V. 3. Cont. cap. 98.*
(54) *Sess. 6. Can. 4.* (55) *Sess. 6. cap. 5.*
(56) *In Decret. Trident. decis. 1. & 6.*

Præmotioni resisti non potest : Ergò. *Addè* : Innocent. XI. damnavisse hanc propositionem : *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ numquam resistitur.*

46 *Ad arg.* Admissa libentissimè Concilii definitione, quam ad unguem docent omnes Thomistæ, ut vidimus *num.* 15. nego min. aut dist. illam : Dissentiri non potest in sensu composito, concedo min. in sensu diviso, nego min. & conseq. Solutio satis constat. *Ad* alteram formam ex eodem Concilio, concessis præmissis, concedimus quoque conseq. indè illatam : Nam physica Præmotio non est præcisè inspiratio Spiritus Sancti, cum hæc potiùs sit quædam moralis motio : Undè cor hominis potest abjicere inspirationem Spiritus Sancti ; sed non Præmotionem, de quâ ibi non loquitur Sacra Synodus.

47 *Ad Conf.* dicimus, Concilium loqui de auxilio sufficienti ; non de efficaci, cui de facto numquàm resistitur : illi autem de facto filii Hierusalem restiterunt, ut ex ipso Concilio constat : *Quoties enim Dominus voluit congregare filios Hierusalem* : : *& noluerunt* ? *Ad addit.* dicimus, jure damnatam fuisse propositionem illam ; nam nultoties interiori gratiæ resistitur, non quidem efficaci, sed sufficienti : atque hinc definita fuit illius contradictoria : *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ aliquando resistitur.* Sed nihil contra nos.

48 *ARGUES* 4. contra 3. Conclusionem ex Mag. Parente Augustino, asserente : (57) *Visorum suasionibus agit Deus* : : *sed consentire, vel dissentire proprium voluntatis est.* Et alibi : (58) *Si duo eadem tentatione tententur, & unus ei cedat, atque consentiat, & alter perseveret ; quid aliud apparet, nisi unum voluisse, & alterum noluisse à castitate deficere* ? *Adde* 1. Juxta S. August. variis suæ doctrinæ locis, quòd auxilium aliquando sit efficax, aliquando inefficax, in liberum voluntatis arbitrium esse reducendum. *Adde*

(57) *De Spirit. & lit. cap.* 34. (58) *Lib.* 2. *de Civ. cap.* 6.

de 2. Quòd, juxta eumdem S. Doctorem, Deus non est dator omnium volitionum: Ergò.

49 *Ad arg.* dicimus, ex illis Augustini doctrinis minimè excludi physicam Præmotionem: Nam primo loco agit de auxilio morali, & sufficienti, quod *suasionis* nomine appellat: consentire autem, vel dissentire proprium voluntatis est, sed dependenter à Deo præmovente: Secundo loco docet, nihil apparere, nisi unum voluisse, & alterum noluisse; sed dependenter à Deo prædeterminante; non aliter. *Ad 1. additionem* dicimus, illum esse reducendum in liberum arbitrium, non veluti in efficaciæ, vel inefficaciæ causam, sed veluti in effectum, & signum, quatenùs consensus, aut dissensus signum est efficaciæ, aut inefficaciæ auxiliorum. *Ad 2. addit.* resp. Deum non esse datorem malæ volitionis in quantùm talis; sicque non est dator omnium volitionum.

50 *ARGUES* 5. multipliciter ex D. Thoma. *Primò*: D. Thomas (59) docet: *Quòd voluntas, cum sit ad utrumlibet, per aliquid determinatur ad unum, scilicet per consilium rationis; nec oportet, hoc esse per aliquod agens extrinsecum.* Quodnam hìc, inquit P. Lossada, (60) vestigium physicæ Prædeterminationis? Et alibi: (61) *Quod est ad utrumlibet, nihil sequitur, nisi determinetur.* Nunc P. Lossada: En (inquit) occasionem optimam statuendi physicam Prædeterminationem Thomisticam, si D. Thomas illam agnovisset:: Sed proh dolor! Alia est mens D. Thomæ, nam continuò pergit in hæc verba: *Determinatio autem agentis ad aliquam actionem, oportet, quòd sit ab aliqua cognitione præstituente finem illi actioni.*

51 *Resp.* cum D. Thoma, (62) *Quòd moveri voluntariè est moveri ex se, id est à principio intrinseco: sed illud*

(59) *Quæst. 3. de Malo, art. 3. ad 5.*
(60) *Tract. 2. disp. 8. cap. 6. num 12.*
(61) *In 2. dist. 25. quæst. 1. art. 1.* (62) *1. p. q. 105. art. 4.*

principium intrinsecum potest esse ab alio principio extrinseco. Imò : (63) *Necessè est ponere voluntatem ab aliquo principio exteriori moveri ad effectum.* Quamvis ergò voluntas non determinetur, aut moveatur per aliquod agens extrinsecum, tamquam per principium secundum, & intrinsecum; benè verò, tamquam primum, & extrinsecum principium. *Ad* secundum textum dicimus, secundam agentis determinationem esse ab aliqua cognitione præstituente finem; primam autem à solo Deo : *Quia causa, quæ est ex se contingens, oportet, quòd determinetur ab aliquo exteriori ad effectum.* (64) *Vid. art. 3. num. 42.*

52 Itaque D. Thomas, cum agit de intrinseco voluntatis determinativo, excludit omne agens extrinsecum, solùmque rationis consilium, aut cognitionem finem præstituentem ejusmodi determinativum esse, decernit. Cæterùm, agens de extrinseco determinativo ex parte voluntatis, expressè docet, quòd *primum agens movet secundum ad agendum.* (65) En occasionem optimam inveniendi in D. Thoma physicam Prædeterminationem, si P. Lossada recto, & genuino sensu D. Thomam intellexisset. Sed proh dolor! Noluit intelligere; ut denegaret.

53 *Secundò* : D. Thomas sic ait : (66) *Ipsa potentia voluntatis, quantùm in se est, indifferens est ad plura : sed, quòd determinatè exeat in hunc actum, vel in illum, non est ab alio determinante, sed ab ipsa voluntate.* Et alibi (67) docet, quòd potentia, *quæ ad plura se habet, nec ad aliquid eorum determinatur, nisi ex se ipsa. Resp.* voluntatis determinationem non esse ab alio determinante per modum naturæ, ad unum necessitando; benè verò per modum primi liberi voluntatem ad actum liberum sub judicio indifferenti reducentis : Nam *sic Deus ipsam movet, quòd non ex necessitate ad*

(63) 1. 2. *quæst.* 9. *art.* 4. (64) 1. *p. quæst.* 19. *art.* 3. *ad* 5.
(65) 1. *part. quæst.* 105. *art.* 5.
(66) *In* 2. *dist.* 39. *quæst.* 1. *art.* 1. (67) *Ibid. art.* 2.

ad unum determinat; sed remanet motus ejus contingens, & non necessarius. (68)

154 *Tertiò* D. Thomas asserit: (69) *Voluntas non potest in oppositum ejus, quod ex Divina impressione determinatur:: Potest autem in oppositum eorum, quæ ipsa sibi determinat.* Atqui oppositum eorum, quæ ipsa sibi determinat, solùm potest in sensu diviso: Ergò oppositum ejus, quod ex divina impressione determinatur, nullo modo potest. *Resp.* D. Thomam solùm velle, quòd voluntas non potest oppositum ejus, quod ex Divina impressione per modum naturæ necessitante, determinatur, absque voluntatis electione; sed potest oppositum eorum, quæ ipsa sibi dependenter à Deo prædeterminante, determinat.

155 *Quartò*: D. Thomas docet: (70) *Determinativ actionis, & finis in potestate liberi arbitrii continetur: undè remanet sibi dominium sui actus.* Resp. cum D. Thoma, quòd *voluntas dicitur habere dominium sui actus, non per exclusionem causæ primæ.* Undè remanet sibi dominium secundum, non primum, ut expressè docet Ang. Doct. ibidem, continuò jungens: *Licet non ita, sicut primo agenti.* Nec dicas: *Deum interdùm movere voluntatem, nihil in ea imprimendo*: (71) Nam movet nihil permanens imprimendo; secùs autem, nihil imprimendo per modum transeuntis, qualis est Præmotio. V. D. Thomam.

156 *Quintò*: D. Thomas (72) docet: *Causam primam determinari à causis secundis.* Et alibi: (73) *Sagitta impulsum suæ naturæ superadditum à sagittante recipit: quod verò creatura operans à Deo accipit, est ipsius natura.* Ad 1. text. resp. causam primam determinari à causis secundis, non quidem causaliter, & effectivè; sed objectivè solùm,

(68) 1. 2. *quæst.* 10. *art.* 4. (69) *In* 4. *dist.* 49. *q.* 1. *art* 3.
(70) *In* 2. *dist.* 25. *quæst.* 1. *art.* 1. *ad* 3.
(71) *Quæst.* 22. *de Verit. art.* 8. (72) *Quæst.* 5. *de Veritate.*
(73) 1. *part. quæst.* 103. *art.* 1. *ad* 3.

& secundariò, quatenùs Deus se rerum naturis accommodat in determinando. Ad 2. text. resp. quòd *est ipsius natura*, quatenùs non est ipsi creaturæ violentum, ut sagittæ motus sagittantis: At verò non est præcisè natura sumpta pro essentia.

57 *Atque hinc* facile ex his solutionibus alias quascumque D. Thomæ authoritates, quas Contrarii audeant opponere, intelliges, & expones; aut oppones facile, quas ex ipso Angelico Doctore pro nobis dedimus, tum conclusionem probando, tum etiam argumenta dissolvendo: vix enim Thomistæ, nisi Ang. Doctoris verbis, loquuntur in præsenti controversia. Conferat nunc equus Lector (ut Patri Lossada placet) testimonia relata cum iis, quæ nobis objiciuntur: & utri parti faveat Ang. Doctor, sincerè pronunciet. (74)

ARTICULUS VII.

An, & quatenùs concurrat Deus ad actus peccaminosos?

1 DUo in primis in peccato, saltem commissionis, sunt distinguenda, *materiale* nimirùm, & *formale*. Materiale peccati est actus realis, & positivus à voluntate elicitus, vel imperatus. Formale verò est malitia moralis, quæ actui supradicto inest, quatenùs morum regulis, aut legi dissono, seu contrario. Atque hinc in homicidio actio illa, qua homo occiditur, est materiale; & difformitas, quam actio ipsa cum lege homicidium prohibente, dicit, est formale. Quamvis autem difformitas illa, in qua formalis malitia peccati consistit, aliquid positivum esse, multi doceant; nobis tamen cum aliis plurimis negativum aliquid esse, privationem nimirùm rectitudinis actui debitæ, aut carentiam conformitatis cum morum regulis, tenendum est. At

(74) *P. Lossad. ubi supr. num. 35. in fin.*

2 At verò *supponendum* est, veluti dogma Catholicum à Tridentina Synodo definitum, Deum non concurrere propriè, positivè, & per se ad formale peccati: Nam id esset cum Luthero, & Calvino Deum facere causam, & authorem peccati; quod esset iniquum. *Supponendum* est insuper, Deum alioquo modo physicè, & positivè concurrere, nedùm permissivè, id est non impediendo, ad materiale peccati. *Ratio est*: Quia actus realis, & positivus, verèque participans rationem entis, à primo ente, primaque rerum causa, qualis Deus solus est, oriri debet; atqui hujusmodi est materiale peccati, v. gr. actus furti, aut homicidii, ut per se patet: Ergò. Undè adversa *opinio à multis Modernorum reputatur hæretica.* (1)

3 Præcipuum nihilominùs supereſt Thomistas inter, & Jesuitas in hac lite dissidium; quatenùs Jesuitè expressè docent, Deum physicè simultaneè concurrere ad materiale peccati; ast sine ullo approbationis affectu, sine ulla intentione de existentia talis actus, voluntate, inquiunt, purè permissiva; non itaque ex propria, sed ex creaturæ peccantis determinatione: (2) Thomistæ autem perpetuò tenent, Deum, nedùm simultaneè physicè, & positivè, sed ex propria etiam intentione, propriaque determinatione, imò creaturam quoque prædeterminando, seu præmovendo, ad materiale peccati; ad formalem verò malitiam permissivè tantùm, concurrere.

Nostra Conclusio.

4 *DICIMUS*: Deus ex propria intentione, & determinatione, creaturam scilicet præmovendo, physicè, & positivè causat materiale peccati; ad formalem verò malitiam solùm permissivè concurrit. Nostra conclusio traditur expressè

(1) *B. Albert. Magn. in 2. dist. 35. art. 7. V. D. Thom. in 2. dist. 37. quæst. 2. art. 2.*

(2) *V. P. Lossad. tract. 2. disp. 8. cap. 3. à num. 29.*

presbè à S. Augustino (3) asserente : *Deum operari in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quòcumque voluerit, sive ad bona, pro sua misericordia; sive ad mala pro meritis eorum : judicio utique suo, aliquando aperto, aliquando occulto, semper autem justo.* Nota diligenter verba illa: *Deum operari ad inclinandas voluntates*, ut noveris sanè, Deum operari ante voluntatis inclinationem, & determinationem : Ex propria igitur inclinatione, & determinatione concurrit, sive ad bona, sive ad mala pro materiali.

15 Id ipsum, agens de peccato Semei, confirmat : (4) *Deus voluntatem ejus malam in hoc peccatum inclinavit.* Imò docet alibi : (5) *Homines à Deo ad peccata compelli.* Hæc autem omnia intelligi nequeunt de peccato pro formali, seu de formali malitia peccati : Ergò Deus inclinat, & prædeterminat ad materiale peccati. Augustinum secutus est D. Thomas (6) asserens : *Quòd actus peccati, & est ens, & est actus; & ex utroque habet, quòd sit à Deo :: Undè relinquitur, quòd Deus sit causa omnis actionis, in quantùm est actio : sed peccatum nominat ens, & actionem cum quodam defectu; defectus autem ille est ex causa creata :: Et secundùm hoc Deus est causa actus peccati, non tamen est causa peccati, quia non est causa hujus, quòd actus sit cum defectu.*

16 *PROB.* 1. Conclusio ratione D. Thomæ : *Vitari non potest, quin voluntas humana esset primum agens, si ejus actio* (etiam peccaminosa, de qua ibi loquitur S. Doctor) *in aliquod prius agens non reduceretur, sicut in causam* : (7) Sed Deus physicè, & positivè causat, physicè, & positivè prædeterminat creaturam ad illud omne, cujus est causa, ut ex superioribus constat : Ergò. *Præterea* ibidem ait S. Doctor : *Si voluntas humana actionem aliquam posset producere, cujus actor Deus non esset, voluntas humana rationem primi principii*

(3) *Lib. de Grat. & lib. arb. cap.* 21.
(4) *Ibid. cap.* 2. (5) *Idem, lib.* 5. *cont. Jul. cap.* 3.
(6) 1. 2. *quæst.* 79. *art.* 2. (7) *In* 2. *dist.* 37. *q.* 2. *art.* 2.

principii haberet; ſed hoc repugnat: Ergò Deus eſt actor cujuſcumque actionis creatæ, etiam peccaminoſæ.

17 *Si dicas*: Voluntatem creatam non fore primum principium, cum non à ſe, ſed ab alio haberet eſſe. *Contrà: Quamvis per hanc reſponſionem evitaretur, quòd non eſſet primum ſimpliciter; non tamen poſſet vitari, quin eſſet primum agens, ſi ejus actio in aliquid priùs agens non reduceretur, ſicut in cauſam.* Nec dicas: Actum peccati in Deum reduci, tamquàm in cauſam per accidens. Nam: *Impoſſibile eſt, quòd ſit per accidens reſpectu cauſæ primæ, & per ſe reſpectu ſecundæ*; (8) ſed actus ille reducitur in creaturam, ut in cauſam per ſe: Ergò.

18 *PROB.* 2. Concluſio: Deus ex propria intentione, propriaque determinatione producit quidquid eſt ens, & bonum; ſed materiale peccati, in quantum tale, eſt ens, & bonum: Ergò. Min. patet; nam illud materiale eſt realis, & vera actio. Prob. maj. Deus ex propria intentione producit, quod Deus ipſe diligit; ſed Deus diligit quidquid eſt verum ens, & bonum: Ergò. *Aliter*: Deus eſt Author, & cauſa per ſe illius effectus, quem cum amore producit; ſed Deus cum amore producit materiale peccati: Ergò. Prob. min. Per vos, Deus aliquo modo cauſat phyſicè materiale peccati; ſed quidquid Deus phyſicè cauſat, cum amore producit: Ergò.

19 Patet min. ex illo Sacræ Scripturæ: (9) *Diligis omnia, quæ ſunt; & nihil odiſti eorum, quæ feciſti.* Item ex D. Thoma: (10) *Dei operatio ſemper eſt eadem cum voluntate beneplaciti*; (11) *Quia non poteſt facere, quod non poteſt velle.* Reſpondent: (12) Actum peccati eſſe bonum bonitate purè tranſcendentali inſeparabiliter infecta per malum ſimpliciter tale, malitiam ſcilicet peccati; non autem alio bonitatis

(8) *Quæſt.* 3. *de Verit. art.* 2. (9) *Sap.* 11.
(10) 1. *p. q.* 19. *art.* 12. *ad* 2. (11) *Quæſt.* 1. *de Pot. art.* 6.
(12) *P. Luſſad. tract.* 2. *diſp.* 8. *cap.* 4. *num.* 23.

bonitatis genere, quo mereatur dici simpliciter bonus. *Contrà* 1. Licet materiale peccati sit inseparabiliter conjunctum cum formali malitia morali; ipsum ex se est simpliciter bonum in genere physico physica, & naturali bonitate: Ergò licet nequeat à Deo per se produci quatenùs conjunctum reduplicativè cum malitia morali, potest secundùm se produci.

10 *Contrà* 2. *Etsi in aliquo effectu plura conjuncta sint inseparabiliter, non oportet, quòd quidquid est causa ejus quantùm ad unum, sit etiam causa ejus quantùm ad alterum*, ut inquit D. Thomas: (13) Et, ne ad alienum sensum Sanctum Doctorem revoces, dixerat immediatè: *Deus hoc, quod est actionis, facit; & hoc, quod est deformitatis, non facit*: Ergò, quamvis materiale peccati sit cum formali malitia connexum, potest Deus per se producere entitatem peccati, quin ejus malitiam producat. *Adde*: In eodem objecto inseparabiliter conjungi, imò identificari, veritatem, & bonitatem; at nihilominùs, quatenùs bonum, illud à voluntate attingi, non quatenùs verùm; & è contrà ab intellectu: Sic etiam motum claudicationis ab anima effici; secùs claudicationis defectum: Ergò pariter.

11 *PROB* 3. Conclusio: Si Deus propria intentione non concurreret positivè ad materiale peccati, creaturam ad illud prædeterminando, maximè, quia Deus esset Author peccati; sed hoc est falsum: Ergò. Prob. min. Deus non esset Author peccati, quin esset causa formalis malitiæ peccati; sed licet Deus propria intentione positivè concurrat ad materiale peccati, non causat formalem malitiam: Ergò. Prob. min. Etsi Deus concurrat, per vos, ad materiale peccati, ut determinatus à creatura, non concurrit ad formalem malitiam: Ergò pariter.

12 *Dicunt*: (14) Deum eodem modò concurrere, physicè nimirùm, sed præter intentionem, ad entitatem, & malitiam

(13) *In* 2. *dist.* 37. *q.* 2. *art.* 2. (14) *P. Lossad. ubi sup. n.* 32.

malitiam ſpecificativè ſumptam, ſi malitia ſupponatur in poſitivo conſiſtens: nec tamen ideò poſſe Deo attribui malitiam; quia illam non producit ex propria intentione, & determinatione. *Sed contrà* 1. Quamvis Deus ad omne opus bonum concurrat, per vos, per Decretum indifferens à creatura determinandum, ipſeque Deus à creatura determinetur, verè cauſa eſt, & Author illius operis: Ergò, ſi modo dicto ad peccati malitiam concurreret, eſſet Author peccati.

113 *Urg.* Juxta vos, Deus indifferenter omninò paratum habet ſuum Decretum indifferens, ſuamque Omnipotentiam ad elargitionem eleemoſynæ, ſive detur à Petro ex motivo miſericordiæ, ſive turpitudinis; ſed Petrus determinans Decretum illud, Divinamque Omnipotentiam per rectam miſericordiæ intentionem, Deum determinat, veluti principalem miſerendi cauſam, ac præcipuum eleemoſynæ Authorem: Ergò pariter. Maj. patet ex frequenti Adverſariorum doctrina, aſſerentium, Deum creaturis ſuum offerre Decretum, ſuamque applicare Omnipotentiam ad quodcumque illæ ſe, Deumque determinaverint.

114 *Contrà* 2. Potiùs eſt nequitiæ Author, qui à Petro determinatus, concurrit ad uſurarium ex mutuo lucrum, ſciens pravam determinantis intentionem, quàm, qui Petrum determinat ad mutuum, & non ad lucrum, etſi certò ſciat, Petrum nullatenùs mutuaturum ſine lucro: Ergò potiùs eſſet Deus Author peccati, ſi determinatus à creatura concurreret ad malitiam, quàm determinans creaturam ad ſolam entitatem. Patet ant. Nam primus cooperatur uſuræ, etſi determinatus; ſecundus autem determinat ad actum ex ſe indifferentem: Ita Deus, concurrens ad malitiam, etſi determinatus, cooperari peccatum videretur; non autem determinans ad entitatem à malitia ex ſe præſcindentem.

SOLVUNTUR ARGUMENTA CONTRARIA.

15 ARGUES 1. Si Deus propria intentione, propriaque determinatione concurreret, creaturam prærnovendo, ad materiale peccati, Deus esset per se causa, & Author entitatis peccati; sed hoc repugnat: Ergò. Prob. min. Si Deus esset causa per se, & Author entitatis peccati, Deus simùl esset Author, & per se causa malitiæ peccati, sed hoc est hæreticum: Ergò. Prob. maj. 1. In sententia multorum Thomistarum malitia peccati consistit in positivo cum entitate realiter identificato; sed, qui est Author, & per se causa unius prædicati cum altero realiter identificato, alterius quoque verè Author est, & per se causa: Ergò. Patet min. Physica enim causalitas non est præcisiva, ut alterum, & non alterum prædicatum producat ex his, quæ realiter identificantur.

16 *Prob. 2. ipsa maj.* Quamvis malitia consistat in privativo, est cum positiva entitate metaphysicè connexa; sed, qui rem unam cum alia metaphysicè connexam per se causat, alteram quoque per se producit: Ergò. Min. fit evidens: nam, qui venenum alteri propinat, ejus quoque necem indè sequutam causat. *Prob. 3. eadem maj.* Qui per se intendit, & ponit actum cum prævisione malitiæ sequuturæ, est causa per se malitiæ; sed Deus per se intendit, & ponit entitatem cum prævisione malitiæ consequuturæ: Ergò. Maj. est certa: Quia privatio, in qua malitia consistit, non aliter causari potest, nisi, quatenùs ponitur actus, non posita debita rectitudine.

17 *Resp. ad arg.* neg. min. Ad prob. nego maj. *Ad 1. prob.* permissa maj. in gratiam plurimorum, tam ex Thomistis, quàm ex Jesuitis Authorum (quos non sequimur) dist. min. Est causa alterius, si alterum quoque in sphæra, & virtute talis causæ contineatur, concedo min. si secùs,

nego

nego min. Patet ſolutio exemplo generationis Verbi Divini, qua Filiatio, non Eſſentia, generatur, quamvis realiter identificentur. Item vitalitas claudicationis cum ipſa identificatur; illa tamen eſt ab anima, ſecùs iſta. Malitia autem peccati ſub explicito malitiæ conceptu non continetur ſub divina cauſalitate. Undè phyſica cauſalitas eſt quodammodò præciſiva, quum omnia prædicata ſub cauſæ virtute non continentur. *Vid. Gon. tract. de Peccat. diſp. 3. art. 1. §. 4.*

18 *Ad 2. ipſius maj. prob.* eodem modo diſt. min. Alteram quoque producit, ſi utraque res connexa ſub ejuſdem cauſæ virtute, ac ſphæra continetur, concedo min. ſi ſecùs, nego min. & conſeq. Cum autem entitas peccati, ens quippè reale, & poſitivum, ſub divinæ cauſalitatis ſphæra contineatur, minimè verò malitia; poteſt illa à Deo cauſari, quin efficiatur malitia, etſi metaphyſicè connectantur. Sicut Deus pœnitentiam amat, non peccatum, quamvis neceſſariò præſuppoſitum: Vult inſuper hominis generationem, ſecùs originale peccatum indè contractum, licet neceſſariò conſequatur contractio peccati hominis generationem.

19 *Vel aliter*: diſt. maj. Malitia eſt cum entitate metaphyſicè connexa connexione purè concomitanti, concedo maj. connexione cauſali, nego maj. Et è contrà diſt. min. nego conſeq. *Aut*: Eſt connexa reſpectu voluntatis deficientis, qualis eſt creata, concedo maj. reſpectu voluntatis Divinæ indefectivæ, ſubdiſtingo: per accidens, & purè permiſſivè, concedo; per ſe, & poſitivè, nego maj. *Atque hinc* patet ſolutio ad exemplum adductum ad minoris probationem: potio enim venenoſa ita eſt cum morte connexa, ut utraque ſit in ejuſdem cauſæ virtute contenta; ita inſuper, ut ſint cauſaliter connexæ, quatenùs veneni potio eſt cauſa mortis: Contrarium evenit in entitate peccati reſpectu malitiæ.

20 *Ad 3. illius maj. prob.* dist. maj. Qui per se intendit, & ponit actum intentione, & positione defectuosa; concedo maj. intentione, & positione purè effectiva titulo causæ primæ, nego maj. *Vel aliter*: Qui intendit, seu ponit actum, prout fundantem malitiam, concedo maj. actum secundùm se, & entitativè sumptum, nego maj. Et è contrà distincta min. nego conseq. Solùm itaque est per se malitiæ causa, qui ponit actum voluntate defectuosa, seu defectiva, id est directa per cognitionem extrà rectæ rationis, legisque limites voluntatem ipsam manuducentem; qualis est humana, non divina voluntas.

21 *Atque indè* actus, seu entitas peccati, ut producta à voluntate defectiva, malitiam connotat, eamdemque fundat; non autem producta à voluntate indefectiva. Igitur, qui materiale, seu actum peccati voluntate defectuosa causat, causat actum ipsum, ut fundantem malitiam, & consequenter ipsam malitiam: Cæterùm, qui ponit actum voluntate indefectiva, ponit actum entitativè solùm, & purè materialiter. Primum præstat humana voluntas: Deus autem solùm efficit actum peccati secundo modo; non primo, quo tantùmmodo est malitiæ proximum fundamentum.

22 *Dices* 1. (15) Ratio fundandi malitiam, quæ est in entitate peccati, vel est aliquid privativum, vel est aliquid positivum. *Primum* dici non potest; quia malitia peccati commissionis, vel consistit in positivo, vel in aliquo positivo fundatur. *Si secundum*: Ergò illa formalitas positiva, utpotè vera entitas, à Deo produci debet. *Secundò*: Formalitas fundamenti malitiæ, vel producitur physicè à creatura, vel non? *Si non*: Ergò realiter existit extrà Deum positiva formalitas à nullo producta. *Si producitur*: Ergò actio creaturæ physicè extenditur ad aliquid positivum, ad quod non extenditur actio primæ causæ.

Tertiò:

(15) *P. Lossad. hìc, disp. 8. cap. 3. num. 10. & 11.*

23 *Tertiò*: Fundamentum malitiæ est specifica actus differentia; sed Deus producit actum secundùm differentiam ejus specificam: Ergò. *Quartò*: Implicat, intelligi physicam, & individuam entitatem blasfemiæ cum libertate, & advertentia ad legem prohibentem, quin intelligatur, vel formalis malitia, vel saltem immediatum ejus fundamentum; sed Deus, posita creaturæ libertate, cum advertentia ad legem, producit physicam, & individuam entitatem blasfemiæ: Ergò.

24 *Ad 1. resp.* quòd ratio fundandi malitiam in entitate peccati est ejus effectio defectiva, ut talis, seu, ut proveniens à causa deficiente: licet autem Deus effectionem illam secundùm se producat, non tamen, quatenùs defectivam, quia non provenit à Deo, ut deficiente; in linea enim deficiendi creatura est prima causa. Sicut ratio vitalitatis cujusque actus creati est à Deo, non quatenùs vitalis reduplicativè, sed specificativè, & quatenùs ens. *Ad secundum* dicimus, formalitatem illam, ut talem, à creatura, quatenùs defectiva, produci; non ita à Deo: Ex quo solùm infertur, actionem creaturæ extendi defectivè, seu defectuosè, ad quod simili modo non extenditur actio Dei; quod verum est.

25 *Ad tertium* dicimus, fundamentum malitiæ non esse specificam actus differentiam in esse actus physici, & entitativi, quomodò differentia specifica est à Deo; sed tantùm in esse fundantis malitiam, seu in esse actus proximè malitiæ capacis, proximèque moraliter mali; quatenùs solùm producitur à causa proximè defectiva. *Ad quartum* resp. dist. maj. Implicat intelligi entitatem blasfemiæ, quatenùs provenientem defectuosè à voluntate defectiva, quin intelligatur formalis malitia, aut proximum ejus fundamentum, concedo maj. quatenùs purè effectivè productam à causa prima omninò indefectiva, nego maj. Solutio constat ex dictis.

Nostram

26 Nostram doctrinam tradit expressè Div. Thomas: (16) *Malum, quod in defectu actionis consistit, semper causatur ex defectu agentis; in Deo autem nullus defectus est, sed summa perfectio: Undè malum, quod in defectu actionis consistit, vel, quod ex defectu agentis causatur, non reducitur in Deum, sicut in causam.* Imò: *Effectus causæ secundæ deficientis reducitur in causam primam non deficientem, quantùm ad id, quod habet entitatis, & perfectionis; non autem quantùm ad id, quod habet de defectu: Sicut quidquid est motus in claudicatione, causatur à virtute motiva; sed, quod est obliquitatis in ea, non est ex virtute motiva, sed ex curvitate cruris. Et similiter, quidquid est entitatis, & actionis in actione mala, reducitur in Deum, sicut in causam; sed, quod est ibi defectus, non causatur à Deo, sed ex causa secunda deficiente.*

27 *ARGUES* 2. Implicat, Deum suadere, seu moraliter præmovere ad materiale peccati, quin malitiam quoque suadeat, sitque per se malitiæ causa, Authorque peccati: Ergò pariter, physicè præmovere ad materiale, quin præmoveat etiam ad formale. Tenet conseq. Quia, juxta Thomistas, entitas peccati non minùs est objectum divinæ Voluntatis, quàm Omnipotentiæ. *Conf.* Nequit Deus malum habitum homini infundere, quin esset causa actus mali: Ergò pariter.

28 *Ad arg* nego conseq. Disparitas est: Quia suasio, moralisque præmotio, seu influxus in rem aliquam, est rem ipsam voluntati defectivæ cum approbatione proponere, ut ab ipsa amplectatur; quod, si alioquin res illa mala sit, aut voluntati prohibita, est evidenter in malitiam influere, seu malitiosè operari: Cæterùm physicè præmovere ad rem aliquam, est voluntatem physicè applicare ad rem ipsam præcisim ab approbatione, seu reprobatione respectu voluntatis creatæ; quod est physicè influere in entitatem

(16) 1. *part. quæst.* 49. *art.* 2.

titatem peccati, nullatenùs in moralem malitiam. Ideò primum redderet Deum Authorem peccati; minimè tamen secundum.

29 *Vel aliter*: Quia moralitas effectus, sive sit bonitas, sive malitia, tribuitur causæ speciali titulo, & moraliter influenti; atque ideò, si Deus consuleret, præciperet, aut quoquo modo moraliter influeret in actum peccati, ipsi tribueretur moralis malitia: Cæterùm non tribuitur actus moralitas purè physicè efficienti, qualis est Deus physicè prædeterminans ad materiale peccati. *Ad Conf.* nego conseq. Quia habitus malus est hominis inclinativus, ejusque comprincipium, nedùm ad mali actus entitatem, verùm etiam ad ipsius malitiam: Ast physica Præmotio est solùm applicatio physica ad entitatem actus; non ad ipsius malitiam.

30 *Dices*: Nequit Deus physicè præmovere ad materiale peccati, quin moveat ad ipsum moraliter; sed hoc non potest, quin sit Author peccati: Ergò. Prob. maj. Movere voluntatem moraliter est ipsi proponere objectum, ut bonum, sic enim, & non aliter movetur moraliter voluntas à bonitate finis; sed nequit Deus voluntatem physicè præmovere ad materiale peccati, quin ipsum proponat voluntati, ut bonum, aut saltèm cum intellectu concurrat ad hujusmodi propositionem: Ergò. Patet min. Siquidem voluntas, cum sit potentia cæca, non movetur physicè ad amandum objectum, nisi proposita priùs objecti bonitate.

31 *Resp.* neg. maj. Ad prob. dist. maj. Movere moraliter voluntatem est objectum simpliciter proponere, ut bonum, nego maj. Est ipsum proponere, aliciendo, suadendo, invitando, consulendo, aut præcipiendo, concedo maj. Cæterùm non secundo, sed primo tantùm modo proponit Deus voluntati entitatem peccati, aut concurrit cum intellectu ad illiusmodi propositionem: movetur tamen moraliter

ráliter voluntas à bonitate falsò in objecto repreſentata ab intellectu creato.

32 *Inſtab.* Si Petrus Paulum applicaret, ſeu phyſicè præmoveret ad entitatem homicidii, nedùm phyſicè, ſed etiam moraliter influeret in homicidium, eſſetque malitiæ reus: Ergò pariter. *Sed*, neg. conſeq. Quia Petrus Paulum applicans ad homicidium, agit, ut cauſa particularis contrà expreſſum Dei præceptum: Cauſæ autem particularis non eſt cauſas alias applicare, ſeu determinare; atque ideò, & quia nedùm entitas, ſed malitia quoque formalis ſub ejus ſphæra defectuoſa continetur, applicans ad entitatem homicidii, eſt ejus malitiæ cauſa. Verùm Deus titulo cauſæ primæ utitur jure ſuo, creatam voluntatem applicans ad quamcumque entitatem, quin ejus influxus extendatur ad malitiam, quippè non contentam ſub ſphæra divinæ cauſalitatis.

33 *Replic.* (17) Licet Deus per phyſicam Præmotionem non cauſet malitiam peccati, facit hominem peccare; ſed hoc ipſo redditur Author peccati: Ergò. Prob. maj. Qui facit, alterum facere id, quod facere non poteſt, niſi peccando, facit alterum peccare; ſed Deus, voluntatem prædeterminans ad materiale peccati, facit, voluntatem facere id, quod facere non poteſt, niſi peccando, ſcilicet entitatem peccati: Ergò. *Conf.* Qui hominem ad peccandum, vel non peccandum ancipitem determinat ad peccandum, facit ipſum peccare; ſed hoc faceret Deus per phyſicam Præmotionem: Ergò.

34 *Ad replic.* nego maj. Ad prob. dist. maj. Qui id facit, ut cauſa particularis deficiens, concedo maj. Qui id facit, ut cauſa univerſalis purè efficiens, nego maj. Et, è contrà diſtincta min. nego conſeq. Sicut enim peccaret homo, ſponte ſua offerens concurſum alteri ad peccandum, quoties alter illum determinaret; Deus autem, ſuum offerens

(17) P. *Loſſad. ubi ſupr. num.* 9.

ferens concursum creaturæ, ut, quoties à creatura determinetur, ad peccatum, tam pro formali, quàm pro materiali concurrat, minimè peccat, nec est Author peccati, juxta Adversarios: (18) ita quælibet causa particularis, quæ faceret, aliquem facere, quod exequi non potest, nisi peccando, faceret ipsum peccare, quia nequit illum ad solum materiale applicare, ut constat; Deus autem, ut Author universalis, universalisque rerum Provisor ad quamcumque rem positivam creaturas præmovet sine ullo in malitiam influxu; ideòque facit illas operari, sed non peccare.

35 *Ad Conf.* insto arg. Qui hominem ad hoc, vel illud peccatum in individuo ancipitem ad unum in individuo peccatum determinat, facit ipsum peccare; sed hoc facit Deus, determinans creaturam ad effectum in individuo: Ergò? *Resp.* jam: data majori, nego min. Deus enim hominem ancipitem nusquàm ad peccatum, seu ad peccandum prædeterminat; sed tantùm ad materiale peccati, quod valdè diversum est: nam prædeterminare ad peccatum, est prædeterminare, tam ad formale, quàm ad materiale; Deus autem solùm ad materiale, minimè ad formale præmovet creaturam.

36 *Atque hinc*: Verum est, Deum prædeterminare ad entitatem peccati, ad materiale peccati, ad actum peccati, ad materiale actus mali, vel ad peccatum pro materiali, & in quantùm ens, seu Deum esse Authorem entitatis peccati, &c. Sed falsum est, Deum esse Authorem, vel causam peccati, seu actus mali, prædeterminare ad peccatum, præmovere ad malum; quia hæc nomina *peccatum, malum* principaliter significant formam, scilicet malitiam, ad quam Deus non concurrit. *Quare*: *Quodcumque nomen deformitatem simùl cum actu significet, sive in generali, sive in speciali, non potest dici, quòd à Deo sit simpliciter*: Un-

(18) *Vid. P. Lossad. hìc, cap. 4. num. 32.*

dè non poteſt dici, quòd peccatum ſit à Deo, ut homicidium, & aliquid hujuſmodi, niſi cum hac additione: in quantùm eſt actus, in quantùm eſt ens. (19)

37 *Inſiſtes* 1. Si peccatum pro materiali prædeterminatur à Deo, etiam formale; quod prob. hoc ſyllogiſmo: *Hic actus, homicidium v. g. eſt malus; ſed hic actus prædeterminatur à Deo: Ergò actus malus prædeterminatur à Deo. Secundò*: Concretum accidentale ſupponit pro ſubſtracto: Ergò, ſi Deus prædeterminat ad entitatem, quæ eſt ſubſtractum peccati, abſolutè prædeterminat ad peccatum. *Tertiò*: ſi Deus præmovet ad materiale peccati, præmovet ad ipſum modo quo exiſtere, exercerique valet à creatura; ſed nequit aliter, aut exiſtere, aut exerceri, niſi cum malitia: Ergò.

38 *Ad* 1. *reſp.* neg. aſſumptum. Ad ejus ſubjunctam prob. dicimus, illum ſyllogiſmum eſſe fallacem: quia, ly *actus* in majori appellat ſuprà formale, alioquin falſa eſſet propoſitio; & in minori appellat ſuprà materiale, cum ſolùm materiale, ſeu entitas illius actus à Deo prædeterminetur. *Ad ſecundum* dicimus, *peccatum* non eſſe concretum accidentale, ſed ſubſtantiale, quia in moralibus honeſtas, vel malitia eſt eſſentialis differentia. (20) *Vel melius reſp.* neg. conſeq. Quia, licet *peccatum* ſupponat pro entitate, appellat ex communi Patrum, & Theologorum ſenſu ſuprà formale; quod ſufficit, ut propoſitio hæc: *Deus prædeterminat ad peccatum*, falſa ſit: Sicut eſt vera hæc in Scriptura: *Odio eſt Deo impius*; (21) quin Deus ſubſtractum impietatis odiohabeat.

39 *Ad tertium*, diſt. maj. Modo effectivo, quo exiſtere, exercerique valet à creatura, concedo maj. Modo defectivo, nego maj. Et diſt. min. Nequit aliter, aut exiſtere, aut exerceri à creatura deficiente, concedo min. à Deo pure

(19) *Div. Thomas, in 2. diſt. 37. quæſt. 2. art. 5.*
(20) *V. Lang. hìc, num. 776.* (21) *Apud Lang. num. 777.*

purè efficiente juribus causæ primæ, nego min. & conseq. Materiale peccati nequit existere, aut exerceri à creatura sine malitia à Deo quidem permissa, non prædeterminata. Deus enim, ut sæpè docet D. Thomas, dicitur causa actionis peccati, in quantùm est actio, & non in quantùm est deformis; non ita, ut actionem faciat à deformitate separatam, sed quia in actione deformitati unita hoc, quod est actionis facit, & hoc, quod est deformitatis non facit. (22)

40 *ARGUES* 3. (23) Si Deus propria determinatione concurreret ad materiale peccati, ad ipsum creaturam prædeterminando, Deus esset causa per se entitatis peccati; sed hoc est falsum: Ergò. Prob. min. ex Trident. *Sess.* 6. *Can.* 6. sic definiente: *Si quis dixerit:: mala opera, ita, ut bona, Deum operari, non permissivè solùm, sed etiam propriè, & per se, adeò, ut sit proprium ejus opus, non minùs proditio Judæ, quàm vocatio Pauli, anathema sit.* Ergò Deus bona opera operatur *propriè*, & *per se*, mala autem *solùm permissivè*. Si dicamus, Concilium loqui de malis operibus pro formali.

41 *Instant* 1. Concilium loquitur de proditione Judæ, quatenùs Deus eam operatur aliquo modo; sed Deus nullo modo operatur eam pro formali: Ergò. *Secundò*: Cum Deus operatur aliquid approbativè, propriè, & per se, approbatio, proprietas, & perfectas referuntur ad id, ad quod refertur operatio: Ergò, si Deus operatur mala opera permissivè solùm, ut Tridentinum definit, permissio refertur ad id, quod in malo opere Deus operatur, scilicet materiale. *Tertiò*: Juxta Thomistas in malo opere nihil Deus operatur, quod non operetur propriè, & per se, cum solùm materiale operetur; sed Deus non operatur permissivè solùm concretum, in quo quidquid operatur, operatur

(22) *Vid. Div. Thom. ubi supr.*

(23) *P. Lossad. tract.* 2. *disp.* 8. *cap.* 3. *num.* 29. *& 30.*

tur propriè, & per se: Ergò Deus non operatur malum opus permissivè solùm, ut definit Tridentinum.

42 *Quartò*: Voluntas creata non operatur per se malitiam, sed eam respicit permissivè solùm; sed voluntas creata propriè, & per se operatur opus malum, quia per se operatur entitatem actus cum prævisione malitiæ: Ergò, si Deus actus entitatem per se operatur, operabitur quoque per se malitiam, quam non prævidere non potest. *Urg. Ipse actus non est volitus* (à creatura) *in quantùm est inordinatus, sed secundùm aliquid aliud, quod dum voluntas quærit, in prædictam inordinationem incurrit*: Ergò, licet Deus non velit peccati inordinationem, seu malitiam, si tamen vellet, & quæreret ejus entitatem, prædictam inordinationem incurreret.

43 *Ad arg.* resp. approbando solutionem positam *num.* 40. nimirùm, Concilium loqui de malis operibus, secundùm id, quod *malum opus* principaliter significat, scilicet malitiam: loquitur enim de malo opere, ut tali, & contradistincto à bono opere; constituitur autem in esse talis per malitiam, qua ab opere honesto differt. *Imò* expressè docet Concilium, Deum non operari opera mala *ita, ut bona*, quoad formale videlicet, & materiale: ex quo perperàm infers, mala opera à Deo non effici pro materiali.

44 *Ad 1. inst.* dist. maj. Loquitur de proditione Judæ, quatenùs Deus aliquo modo positivo eam operatur, nego maj. Quatenùs eam aliquo modo permissivo, seu negativo operatur, concedo maj. Et distincta min. nego conseq. *Ad 2.* nego conseq. Quia in his, quæ Deus approbativè, propriè, & per se operatur, nihil est à Deo positivè non productum, cum adæquatè contineantur intra sphæram divinæ causalitatis: Cæterùm in his, quæ à Deo permissivè solùm operari dicuntur, est entitas ab ipso positivè causata, & malitia tantùm permissa, quippè non contenta sub divina causalitate.

Ad

45 *Ad* 3. dist. maj. Nihil Deus operatur positivè, quod non operetur propriè, & per se, concedo maj. nihil operatur permissivè, nego maj. Solutio patet ex dictis. *Ad* 4. dist. maj. Non operatur per se malitiam effectivè, concedo maj. defectivè, nego maj. Et dist. min. Quia per se operatur effectivè entitatem cum prævisione malitiæ, nego min. quia operatur defectivè, concedo min. & nego conseq. Ideò voluntas creata est per se malitiæ causa, quia entitatem per se producit, nedùm cum prævisione malitiæ, verùm etiam voluntate, & intentione defectiva cum affectiva prævisione malitiæ, ut diximus à *num.* 20. Undè, creatura, per se causans defectivè entitatem sine rectitudine debita, per se negativè producit carentiam illius rectitudinis, in qua malitia consistit.

46 *Ad Urg.* dist. ant. Non est volitus explicitè, in quantùm est inordinatus, concedo ant. implicitè, nego ant. & conseq. Quamvis enim creatura, inordinatè agens, non quærat, & intendat explicitè actus inordinationem; explicitè vult actum inordinato modo exercendum; adeòque, saltem implicitè, vult actum quatenùs inordinatum: Dum ergò quærit id, quod explicitè vult, delectationem v. gr. prædictam incurrit inordinationem. *Atque hinc*: Nemo malum intendens explicitè, & ut tale, operatur; benè verò, intendens malum implicitè, quod sibi bonum apprehendit.

47 *Replic.* 1. Concilium damnat errorem Lutheri, & Calvini; sed Lutherus, & Calvinus, non formalis malitiæ, sed entitatis peccati Deum Authorem dicebant: Ergò. *Secundò*: Deum permittere malitiam peccati est, eam non impedire, cum possit; sed posita Præmotione ad entitatem peccati, Deus non potest impedire malitiam, cum hæc ab entitate sit inseparabilis: Ergò, vel non præmovet ad entitatem, vel non permittit malitiam. *Tertiò*: Ideò creatura per se ponit carentiam rectitudinis, in qua malitia

tia consistit, quia, potens actus rectitudinem ponere, ponit actum sine rectitudine; sed Deus ponit etiam actum sine rectitudine, potens rectitudinem ponere: Ergò.

48 *Ad* 1. *replic.* nego min. Lutherus enim expressè, & absolutè dixit: (24) *Quomodò potest se homo ad bonum præparare, cum neque in potestate ejus sit, vias suas malas facere; nam, & mala opera in impiis operatur Deus.* Cum igitur *mala opera* malitiam præcipuè significent, si mala opera in impiis operaretur Deus, ut voluit Lutherus, malitiam quoque produceret. Calvinus etiam impudenter asseruit: (25) *Deum esse Authorem criminis, se cencies confiteri.* Et alibi: (26) *Jam satis apertè ostendi, Deum vocari eorum omnium Authorem, quæ isti Censores* (sic appellat Theologos) *volunt otioso tantùm ejus permissu contingere.*

49 *Ad* 2. dist. min. Non potest impedire malitiam in sensu composito, concedo min. in sensu diviso, nego min. Et hoc sufficit, ut Deus dicatur permittere malitiam: sicut dicimus, animam permittere claudicationis defectum, etsi non possit illum in sensu composito motus tibiæ defectuosæ, seu curbæ impedire; quia potest ejusmodi defectum impedire in sensu diviso, motum scilicet suspendendo. *Ad* 3. dist. maj. causalem: Præcisè, quia potens ponere, non ponit rectitudinem, nego maj. quia potens, & debens ponere, eam non ponit, concedo maj. Cæterùm Deus, etsi possit eam ponere, ad id non tenetur; ideòque defectus rectitudinis ei non imputatur: Sicut non imputatur navis summersio, ei, qui absque ulla gubernandæ navis obligatione navis gubernationem omisit.

50 *ARGUES* 4. multipliciter: *Primò*: Si Deus physicè præmoveret ad entitatem peccati, licitum esset homini vellè talem entitatem. *Prob.* Licitum est homini velle, quod

(24) *In Assertion. assert.* 36. *apud Guerin. hìc*, §. 2.
(25) *Lib.* 3. *Instit. cap.* 33. *num.* 3. *apud eumd.*
(26) *Lib.* 1. *cap.* 18. *num.* 3. *apud eumd.*

quod Deus vult, eum velle; sed Deus, physicè præmovens hominem ad entitatem peccati, vult, hominem velle illam entitatem: Ergò. *Secundò*: Si Deus physicè præmovet ad entitatem peccati, homo præmotus, efficiendo illam entitatem, peccaret, ut est evidens; sed aliundè, eam non efficiendo, peccaret, quippè, qui non conformaretur Divinæ voluntati: Ergo. *Tertiò*: Si Deus confert homini auxilium efficax ad vitandam malitiam peccati, est per se causa evitationis peccati: Ergò, si Deus denegat homini tale auxilium, est per se causa malitiæ; quia, *Si affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis.*

51 *Quartò*: Qui per se causat unum, ex quo aliud necessariò resultat, utrumque per se producit: atqui formale peccati ex materiali necessariò resultat: Ergò. *Quintò*: Si Deus hominem ad actum homicidii præmoveret, illum æterno postea suplicio propter eum actum puniret, ad quem hominem præmovisset; sed hoc videtur Divinæ æquitati repugnans: Ergò. Min patet: Nam is, qui rem furto sublatam mitteret in peram alicujus, quem postea, ut de furto convictum, morte damnaret, injustus foret.

52 *Ad primum*, negatur assumptum. Ad prob. dist. maj. Licitum est homini velle, quod Deus voluntate præcepti, vel consilii vult, eum velle, concedo maj. quod Deus voluntate universalissimi provisoris, primæque causæ vult, eum velle, nego maj. Deus enim, licitè etiam Judex humanus, vult, Petrum homicidam morte puniri; id autem velle Paulo ejus filio illicitum est. *Ad secundum*, nego min. Nec obstat implicita probatio: quia non renemur conformari divinæ voluntati in volito materiali, id est velle rem ipsam, quam Deus vult, nisi divina voluntas per præceptum nobis innotescat, seu sciamus, Deum nobis præcipere, ut rem ipsam velimus, quod non verificatur de entitate peccati: quamvis teneamur illi conformari in volito formali. (27) *Ad*

(27) *Vid. Gon. tom. 3. tract. 2. disp. 6. art. 2.*

53 *Ad tertium*, nego conseq. Quia in moralibus ille est per se causa negationis, qui potens, & debens formam positivam ponere, eam non ponit: cum autem Deus non teneatur homini conferre auxilium efficax ad vitandam malitiam; non dicitur malitiæ causa, si prædictum auxilium non conferat. Undè proloquium illud, *Si affirmatio est causa, &c.* absolutè solum est verùm in genere physico, non autem in genere moris. *Ad quartum*, dist. maj. Utrumque per se producit, si sit causa particularis defectiva, concedo; si sit causa universalis purè effectiva, subdist. si id, quod resultat, sit aliquis effectus, concedo maj. si sit defectus aliquis, nego maj.

54 *Ad quintum*, dist. maj. Propter eum actum puniret, ad quem hominem præmovisset, ratione entitatis, ad quam præmovit, nego maj. ratione malitiæ, seu deformitatis, ad quam non præmovit, concedo maj. Neque exemplum subjunctum aliquid probat: quia, si aliquis, postquàm in alterius peram rem furto ablatam immisisset, eum puniret; plecteret innocentem, ut est evidens: At Deus punit peccatorem, non præcisè propter actum; sed propter actum malum, cujus fuit causa unica penes malitiam.

55 *INQUIRES*: In quo formaliter consistat physica Præmotio? Physica Præmotio sumi potest activè, ut se habēs ex parte Dei, & passivè, ut se habens ex parte creaturæ. Primo modo est actio Dei, qua creaturam applicat ad agendum. Secundo modo est aliquid media illa actione in creatura productum, ratione cujus intrinsecè applicatur, movetur, & determinatur ad agendum: Alii volunt, illud, quod Deus in creatura producit, ad præmovendum, esse qualitatem virtuosam transeunter communicatam; alii, impulsum aliquem applicativum; alii demùm, actionem ipsam creaturæ. Elige. (28) Physicam denique Præmotionem sic definies: *Physicus, & realis influxus à solo Deo procedens, causæ creatæ transeunter impressus, per quem efficaciter movetur, & applicatur ad operationem juxta indolem suæ naturæ eliciendam.*

(28) *V. Palanc. quæst.* 18.

LIBER

LIBER III.

DE PROPRIETATIBVS ENTIS NATURALIS.

QUÆSTIO I.

DE INTEGRALI COMPOSITIONE CORPORIS NATURALIS.

ARTICVLVS I.

Vtrum Corpus naturale ex ſolis indiviſibilibus integraliter componatur?

1 CUM in ſuperioribus libris de intrinſecis, extrinſeciſque principiis Entis naturalis egerimus; ejuſdem Entis proprietates in præſenti examinabimus. Quandoquidem verò integralia rerum principia, ſeu partes illæ, quibus integraliter phyſicum corpus conſtituitur, ad eſſentialem ipſius compoſitionem non pertinent; ſed potiùs, ut ipſius proprietates, quodammodò comparantur: de in-

tegrali corporis Compoſitione nunc primò loquimur; quamvis methodum Ariſtotelis, cujus ſex ultimos Phyſicorum libros hoc unico complectimur, aliquantulùm invertamus.

2 Nec eò tendimus, ut immediatam, ſeu ultimam rerum compoſitionem, quæ ſenſibus patet, explicemus; v. gr. hominem ex capite, brachiis, cruribus, aliiſque membris integrari; vel, lignum ex tot, tantiſque fragmentis, in quæ ſecuri facilè diſſecari valet: ſed primam, & radicalem earumdem rerum compoſitionem, ſeu, ex quibus tunc primò fuerint integraliter compoſitæ, in quæ ultimò tandem abire valeant, inveſtigamus. Et, quia integrales Corporis partes, quævis illæ ſint, corpus continuum efficiunt, quam earis, ſeu corporis naturalis compoſitionem nos diximus, appellant quamplurimi, atque nos ipſi *Continui Compoſitionem.*

3 Atque, ut ab ipſo nomine exordiamur, *Continuum* dicitur illud, quod reſultat ex partibus ita conjunctis, ut illarum extrema ſint unum, quæ proindè ad eamdem ſubſtantiam pertinent; v. gr. lignum, quod ex partibus ita conjunctis componitur, ut ultimum unius partis ſit alterius initium. *Contiguum* è converſo illud dicitur, cujus extremæ partes ſunt ſimùl; v. g. menſa ex multis ſe tangentibus tabulis compacta, aut duæ manus ſe mutuò tangentes. *Atque hinc* definiri ſolent Continua: *Quorum ultima ſunt unum*: Contigua verò: *Quorum ultima ſunt ſimùl.* Ea demùm, quorum ultima, nec unum ſunt, nec ſimùl, aut dicuntur *ſeparata*, ſi inter ea magnum, aut multa corpora interſint; aut appellantur *juxta poſita*, ſi parvum aliquod corpus mediet inter ea; ut, cum duo juncti conſident, aere interpoſito.

4 Duo inſuper notanda ſunt. *Primum* eſt: Quodlibet ens ſubſtantiale materiale præciſivè à quantitate eſſe integraliter compoſitum; at non eſſe continuum, niſi media

quan-

quantitate. Ratio est: quia partes substantiæ præcisivè à quantitate, seu pro priori ad ipsam, licet integralem efficiant compositionem substantialem, quatenùs uni, eidemque existentiæ unitæ, non sunt inter se immediatè conjunctæ, neque localiter extensæ, prout requiritur ad continuationem, ut diximus in Metaphysica: (1) Loquimur ergò de Continui compositione, sive accipias Continuum pro quantitate substantiæ continuativa, sive pro substantia, ut per quantitatem continuata. *Secundum* est: Continuum alterum esse permanens, cujus partes simùl existunt, ut lignum: alterum esse successivum, cujus partes non simùl existunt, sed una post aliam defluit; ut motus, & tempus.

5 Sunt igitur ex veteribus, recentioribusque Philosophis, qui physicum Corpus, seu Continuum ex solis indivisibilibus primò integraliter componi, arbitrantur. Zeno itaque Stoicorum Princeps, quem plures sequuntur Jesuitæ, aliàs Peripatetici, Continuum compositum esse, dixit, ex eis indivisibilibus, quibus partes negavit, concessit tamen aliquam, licet tenuissimam, extensionem. Epicurus autem, quem sequuntur communiter Gassendistæ, quos *Atomistas* vocant, cum extensionem sine partibus concipi non posse, intelligeret; indivisibilibus, quibus componi Continuum dixit, extensionem simùl, variasque partes concessit: sed, cum hujusmodi partes nulla vi physica divelli possent; id, quod ex prædictis partibus constat, appellavit *atomum*, seu *physicum indivisibile*.

6 *Atque hinc* triplicis generis assignari solet indivisibile, Mathematicum, Zenonicum, & Physicum. *Mathematicum* est illud, quod partibus omnibus, omnique extensione caret. *Zenonicum* est illud, quod extensionem quidem habet, sed caret partibus. *Physicum* est, quod extensionem simùl habet, & partes, sed prorsùs inseparabiles. Circa indivisi-

(1) *Lib. 2. quæst. 3. art. 1. num. 22. & 24.*

bile mathematicum, ſeu prorsùs inextenſum obſervari debet illud uſurpari poſſe mathematicè, & phyſicè. Uſurpatur mathematicè, cum ſola imaginatione concipitur: ſumitur phyſicè, quatenùs re ipſa exiſtit à parte rei. Sed, quia indiviſibile hoc à Phyſicis, veluti punctum omnis extenſionis, omniſque figuræ expers accipitur, Mathematicorum adinſtar; indiviſibile mathematicum à pleriſque dici, à nonnullis Zenoni attribui, & cum Zenonico confundi conſuevit.

Prima Concluſio.

7 *DICIMUS* 1. Corpus naturale, quatenùs Continuum, ſeu integraliter, non componitur ex indiviſibilibus mathematicis, ſeu omni prorsùs extenſione carentibus. Sic Div. Thomas: (2) *Ex indiviſibilibus non poteſt componi aliquid continuum. PROB.* 1. Concluſio ratione: Continuum ex his ſolùm componi poteſt, quæ invicem conjuncta, faciunt extenſionem, cum omne Continuum ſit eſſentialiter extenſum; ſed indiviſibilia mathematica, ſeu prorsùs inextenſa, adhuc invicem conjuncta, nequeunt extenſionem efficere: Ergò. Prob. min. Ea, quæ ſemel juncta, ſeſe mutuò penetrant, nequeunt extenſionem efficere, cum ſint in eodem loco; ſed indiviſibilia mathematica invicem adjuncta, ſe mutuò penetrant: Ergò. Prob. min. Ea, quæ invicem adjuncta ſecundùm ſe tota ſe tangunt, ſe mutuò penetrant; ſed indiviſibilia mathematica invicem adjuncta, ſecundùm ſe tota ſe tangunt: Ergò.

8 Prob. min. Unum indiviſibile, alteri adjunctum, tangit ipſum; ſed non ſecundùm aliquam partem, cum partes non habeat: Ergò tangit ſecundùm totum: Undè abiit in probervium: *Qui tangit indiviſibile, totum indiviſibile tangit. Conf.* Indiviſibilia mathematica non poſſunt lineam conſtituere: Ergò nullum valent continuum componere. Prob. ant. Si mathematica indiviſibilia poſſent lineam

(2) *Opuſc.* 44. *cap.* 1.

neam constituere, tria ex ipsis indivisibilia parvam lineam conficerent; sed hoc est falsum: Ergò. *Prob. min.* 1. Ut tria indivisibilia lineam conficiant, necessè est, ut primum indivisibile à tertio distet; sed nequit primum à tertio distare: Ergò.

9 Prob. min. Inter primum, & tertium indivisibile solùm mediat indivisibile; sed distantia ex suo conceptu formali est divisibilis; hæc enim est spatium interjectum, quod ex suo conceptu extensum est: Ergò. *Prob.* 2. *ipsa min.* Si tria illa indivisibilia lineam conficerent, hæc linea aliquam haberet longitudinem, longitudo enim est lineæ formale constitutivum; sed ex tribus indivisibilibus mathematicis immediatè coordinatis nulla, vel minima quidem, fieri potest longitudo: Ergò. Prob. min. Omnis longitudo, cum quantitas sit, divisibilis esse debet; sed ex tribus illis indivisibilibus resultare non potest divisibilis longitudo: Ergò. Prob. min. Lineæ longitudo tanta est, quanta sit extremorum distantia; sed lineæ trium indivisibilium extrema tantùm inter se distant unico indivisibili: Ergò.

10 *Urg.* & explicatur id ipsum: Sint tria puncta, seu indivisibilia immediata A, B, C lineam rectam constituentia: Jam verò punctum A tangens B, tangit necessariò C: Ergò penetrantur cum B, consequenter nullam extensionem, aut longitudinem faciunt. Prob. antec. Punctum A tangit punctum B secundùm omne id, quod importat, sive à dextris, sive à sinistris, versùs sursum, aut deorsum, cum in eo omnia sint idem indivisibiliter: Ergò tangit ipsum punctum B ex parte, qua idem B tangitur à puncto C: Ergò A tangit precisè punctum C: quemadmodùm, si corpus A tangit corpus B à dextris, quà tangitur etiam à corpore C; necesse est, ut A tangat C.

11 *Resp.* 1. Contrarii: (3) Duo indivisibilia mathematica, dum se tangunt, secundùm se tota se tangere; at non

(3) *P. Lossad. tract.* 3. *disp.* 4. *cap.* 3. *num.* 1. & 2.

non penetrari : quia penetratio , nedùm requirit totalem eorum , quæ penetrantur , contactum ; verùm etiam locorum identitatem , quæ non adeſt indiviſibilibus coordinatis, diverſa , immediata licet , loca indiviſibiliter occupantibus. *Quibus* addunt : punctum , etſi nullas habeat partes intrinſecas , habere tamen quaſi facies extrinſecas , quatenùs habet circumquaque diverſa loca realia , vel immaginaria, per quæ reſpicit diverſas mundi plagas versùs orientem, occidentem , &c. Atque hinc , licet punctum B tangatur ab A , & C penes totam intrinſecam entitatem ; ſufficit extrinſeca facierum diverſitas , ut interpoſitio puncti B impediat contactum , immediationemque inter A, & C.

12 *Contrà* 1. Implicat adæquatus unius rei cum alia contactus ſine ejuſdem loci occupatione : Ergò nulla eſt ſolutio. Prob. ant. *Tum* à paritate de corporibus ; quæ , ſi adæquatè ſeſe contingant , adæquatè penetrantur : *Tum* etiam ; quia , ſi punctum A adæquatè attingit punctum B, tangit adæquatè locum puncti B ; hoc ipſo occupat eumdem locum , ut eſt evidens : Ergò. Prob. maj. Qui adæquatè tangit punctum B, id omne tangit , quod tangit punctum B; ſed punctum B tangit adæquatè ſuum locum : Ergo. Patet maj. Nam , qui tangit adæquatè punctum B , ipſum ſecundùm omnes facies immaginarias attingit ; atque ideò ab alio attingi ex nullo latere poteſt , quin ab ipſo attingatur quoque id , quod attingit ipſum B.

13 *Contrà* 2. Punctum , vel habet locum indiviſibilem , vel extenſum , & diviſibilem ? *Secundum* dici non poteſt ; alioquin eſſet major locus , ut talis , quàm locatum. *Si primum* : Ergò punctum A , adæquatè contingens punctum B , eſt in eodem loco cum illo. Prob. hæc conſeq. Implicat, punctum A adæquatè contingere punctum B, quin eadem concava loci circumferentia , aut ſuperficie capiatur, aut contineatur ; ſed hoc ipſo eſt in eodem loco : Ergò. Prob. maj. Implicat , punctum A adæquatè contingere punctum

ctum B, quin utrumque habeat ſimùl eamdem convexam circumferentiam, eamdemque diſtantiam circumquaque à Mundi polis, & centro terræ, ut per ſe notum eſt; ſed eo ipſo eadem concava loci circumferentia comprehenduntur: Ergò.

114 *Contrà* 3. Hoc ipſo, quòd punctum indiviſibile non habeat diverſas partes intrinſecas, nequit diverſas, eaſdemque extrinſecas habere facies, atque diverſa loca circumquaque, niſi chymericè immaginata: Ergò. *Prob. ant.* 1. Diverſæ facies, diverſaque loca circumquaque nequeunt eidem rei ſecundùm idem latus intrinſecum, eamdemque partem intrinſecam convenire, ut clarum eſt: Ergò. *Prob.* 2. *idem ant.* Si punctum haberet penes diverſas facies extrinſecas diverſa loca, hæc quoque loca immediata eſſent ſex puncta antè, retrò, ſuprà, infrà, à dextris, & à ſiniſtris collocata, nam immediatum puncto ſemper eſt punctum, juxtà Adverſarios; ſed implicat, ſex puncta impenetrata, diviſionemque componentia punctum indiviſibile ſecundùm idem indiviſibiliter ſimùl contingere, ut facilè concipitur: Ergò.

115 *Reſp.* 1. ad principale argumentum: indiviſibile mathematicum, neque eſſe formaliter extenſum, neque habere partes formales; eſſe tamen extenſum virtualiter, parteſque virtuales habere. *Sed contrà*: Nam id, quod eſt virtualiter tale, ſolùm ex conjunctione cum alio, quod ſit tale formaliter, præſtat formalem denominationem: Undè, quia anima eſt virtualiter corporea, non ex conjunctione cum alia anima, utique corporea virtualiter, corpus formaliter conſtituit, ſed ex conjunctione cum materia formaliter corporea: Ergò pariter. *Adde* 1. Angelum poſſe dici virtualiter extenſum; non, quòd ſit capax extenſionem conſtituendi; ſed, quia ſua virtute operativa ad extenſum ſpatium diffundi poſſit: at indiviſibili nihil ſimile poteſt accidere. *Adde* 2. Partes totius homogenei debere eſſe ejuſ-

dem

dem denominationis, ut omnis pars aquæ debet eſſe aqua: Ergò omnis pars extenſi debet eſſe extenſa.

116 *Reſp.* 3. alii: Punctum inextenſum, & indiviſibile præcisè, ut tale, non poſſe Continuum componere, benè verò punctum inflatum. Sunt enim, qui puncta formaliter inextenſa volunt diviſibile, & extenſum ſpatium occupare vi ſuæ virtualis extenſionis; atque indiviſibilia ita occupantia *inflata puncta* denominant. *Sed* in primis, virtualem extenſionem eſſe prorsùs inſufficientem ad componendum Continuum, oſtenſum eſt ſuprà. *Deindè*: Si punctum formaliter inextenſum, & indiviſibile, quia virtualem habet extenſionem, qua ſpatium occupat diviſibile, vocas *punctum inflatum*; Angelum quoque, qui ſua virtuali extenſione extenſum ſpatium pertingit, *punctum inflatum* vocare poteris, eòque corporeum Continuum conſtituere: quo nihil abſurdius.

117 *Impug.* aliter præjacta ſolutio: Si punctum indiviſibile poſſet diviſibile ſpatium occupare, id fieri poſſet, aut replicando punctum, aut ponendo puncti ubicationem extrà punctum; ſed utrumque repugnat, ſaltem naturaliter: Ergò. Maj. patet: Quia, punctum coextendi ad locum diviſibilem, ſolùm poteſt contingere, aut ponendo punctum in indiviſibili loci, & iterùm ponendo punctum ipſum in alio loci indiviſibili, ut ita loci diviſibilitatem adæquet; vel extendendo ad totam loci extenſionem ubicationem puncti. *Prob. min.* quoad primam partem: Idem punctum ſimùl eſſe in diverſis locis, etiam contiguis, non poteſt naturaliter, ut omnes ſupponimus; ſed, ſi idem punctum replicaretur in diverſis punctis ejuſdem ſpatii, eſſet in diverſis locis contiguis, ut patet: Ergò.

118 *Prob. eadem min.* quoad ſecundam partem: Modus rei eſt inſeparabilis poſitivè à re, cujus eſt modus; atque ita nec ſeſsio extendi poteſt ad locum, ubi non eſt ſedens, nec curſus protendi poteſt ad longius iter, quàm currens pervenerit,

venerit, atqui ubicatio puncti est puncti modificatio: Ergò nequit illa, ultrà punctum loci, quod punctum locatum entitativè attingit, ad aliud quoque loci punctum extendi; repugnat enim alicubi esse ubicationem, ibique non esse ubicatum. *Atque* his addi potest, paradoxum esse, ut punctum, quod in se nullas habet partes, inflari possit; rei quippè alicujus inflatio aliter fieri non potest, nisi per ejusdem partium explicationem.

19 *PROB.* 2. Conclusio: Si spatium continuum solis indivisibilibus componeretur, non plus spatii percurreret æquali tempore aquila suo volatu continuo, etsi velocissimo, quàm suo motu continuo testudo; sed hoc est evidenter falsum: Ergò. Majoris sequela prob. Illa Continui compositione supposita, non potest aquila spatium ducentis punctis compositum percurrere, nisi per ducenta temporis instantia; atqui testudo suo motu continuo per ducenta temporis instantia non posset non agere ducenta puncta ejusdem itineris: Ergò. Patet maj. Siquidem aquila unico temporis instanti, unicum posset tantùm itineris punctum peragere, alio instanti punctum aliud, &c. Prob. min. Testudo suo motu continuo in quolibet temporis instanti aliquantulum itineris ageret, sed non minùs, quàm unicum punctum: Ergò.

20 *Resp.* 1. Contrarii: (4) Testudinis motum, morosum quippè, esse multis morulis interjectis affectum: quare, si aquila octo instantibus quatuor, aut sex spatii puncta percurrit, testudo unum, aut duo vix peragit. *Sed* quis non videat, hanc solutionem esse contra id, quod expressè supponit, testudinem scilicet continuò moveri? Motus enim morulis interruptus non est continuus, sed discretus. Deinde: Velocissimus Solis motus, quo multò velocior à Deo fieri potest, multis erit morulis interruptus, sed innumeris ferè minùs, quàm volatus aquilæ; hic quoque volatus

(4) *P. Lossad. ubi supr. à num.* 3.

minùs, quàm motus teſtudinis : Cum igitur velociſsimus ille motus à Deo producibilis non plus unico temporis inſtanti, quàm unicum ſpatii punctum continuò agere poſsit, ut per ſe patet ; motus Solis indigebit inſtantibus multis ad illud peragendum ; volatus aquilæ vix illud, ac ne vix quidem per multum tempus percurret : ſed quanto indigebit tempore ad tranſitum unius puncti teſtudo?

121 *Impugn.* 1. Solutio : Pila plumbea è bombarda explosa comparatur ſuo motu ad motum fixarum ſtellarum cum proportione unius ad centum millia: Si ergò hora dividatur in centum millia inſtantia, neceſse eſt, ut illud agat pila per horam, quod agit ſtella fixa in inſtanti ; ſed ſtella fixa in unico inſtanti ſolùm agere poteſt, ſaltem naturaliter, unicum itineris punctum : Ergò unicum tantùm itineris punctum agere pila poterit per integram horam ; aut, ſi unico inſtanti punctum peragit, eam in reliquis horæ inſtantibus quieſcere, neceſſe eſt : quorum utrumque eſt evidenter falſum. *His addi poteſt* : quòd, ſi pila è bombarda explosa variis morulis detineretur, numquàm poſſet ad ſcopum rectè collimare, nam in unaquaque morula, unicum ſaltem punctum deſcenſus ageret ratione gravitatis impulſui motivo prævalentis ; atque ita in fine motus plùs deſcendiſſet, quàm ut ſcopum attingeret.

122 *Impug.* 2. eadem ſolutio : Pone rotam conſtantem duobus circulis interno, & externo, è quorum uno ad alterum ſint radii ferrei: Dum rota volvitur, exterior circulus, qui major eſt, velociùs movetur, quàm interior, cum ille eodem tempore longiorem percurrat circumferentiam : Sed interior circulus nullis in ſuo motu morulis detinetur, alioquin, exteriori circulo currente, detento interiori, radii frangerentur, aut curvarentur, cujus oppoſitum experientia docet : Ergò in motu tardiori non ſunt morulæ interjiciendæ. *Nec* recurras ad inſenſibiles radiorum inflexiones: *Nam* mirum eſſet, contra rationem, & experientiam, præcipuè,

cipuè, ſi circuli valdè diſtent, quòd eſſent inflexiones hujuſmodi impercetibiles.

123 *Reſp.* 2. alii ad prob. noſtram, recurrendo ad motum factum per ſaltus; ita, ut mobile velox à primo ad quartum, vel quintum ſpatii punctum ſaltet, tardum verò à primo ad ſecundum tranſilliat. *Sed* hæc ſolutio tranſitum ſtatuit de extremo ad extremum, ſine tranſitu per medium, quem naturaliter impoſsibilem complures reputant. *Deinde*: quia, ſi in motu veloci eſſent illiuſmodi ſaltus, non repugnaret, aliquid vi naturali ad locum mille leucis diſtantem ſe in inſtanti conferre. *Tandem*: quia prædicta doctrina, ſaltem in deſcenſu corporis gravis locum habere non poteſt; in eo enim, ſicut nihil eſt, quod mobile per interjectas morulas detineat, ita nec aliquid eſſe poteſt, quod mobile ad ſaltus impellat.

124 Omittimus probationes alias ex Geometricis demonſtrationibus deſumptas. (5) Atque hìc ſolùm noſtræ opinionis radicem in eo eſſe poſitam, intendimus, ut concipi non poſsit, Continuum extendi, niſi quatenùs ei pars aliqua adjungitur, quæ penes extremitatem aliis unitur, & penes magnitudinem, & extenſionem extrà alias diffunditur: unde neceſsè eſt, in eo omni, quod auget, extenditque Continuum, præter extremitates, eſſe medium ab illis diſtinctum; quod indiviſibili prorsùs inextenſo convenire non poteſt.

Secunda, & tertia Concluſio.

125 *DICIMUS* 2. Corpus naturale, quatenùs Continuum, ſeu integraliter, non componitur ex indiviſibilibus ſine partibus extenſis, quæ à multis appellantur *Zenonica*. Hæc concluſio ex eo maximè ſuaderi poteſt, quòd repugnet extenſio omnis ſine partibus; extenſio enim in eo præcisè conſiſtit, quòd aliquid rei extenſæ ſit extra reliquum ejuſdem.

(5) *N. P. Corſinus, tract.* 3. *Phyſ. Gen. cap.* 2.

Vide quæ diximus, *lib.* 1. *quæſt.* 1. *art.* 3. *à num.* 9. *& ſeq.* Deinde *prob.* Concluſio: Si Continuum integraliter componeretur ex indiviſibilibus extenſis, componeretur ex indiviſibilibus jam continuis; omne enim extenſum eſt continuum, cum habeat præcisè extremitates aliquo interpoſito medio diſtantes: ſed omne Continuum, etiam minimum, partes habet, in quas, ſaltem divinitùs, eſt diviſibile: Ergò non ex indiviſibilibus, ſed ex partibus diviſibilibus componi debet.

26 *DICIMUS* 3. Corpus naturale, quatenùs Continuum, ſeu integraliter, non componitur ex indiviſibilibus phyſicis, quæ extenſionem habeant, & partes omninò inſeparabiles. *Ratio* concluſionis eſt: Quia, ſi Continuum componitur ex his, quæ phyſicas partes habent, ex jam phyſicè compoſitis, & continuis componitur: Ergò non ex phyſicis indiviſibilibus. Prob. ant. Partes phyſicæ in unum adunatæ, efficiunt phyſicam compoſitionem, ut per ſe notum eſt: Ergò, ſi Continuum ex his componitur, quæ phyſicas partes habent, &c. *Urg.* Quod habet partes phyſicas, non eſt phyſicè indiviſibile; ſed, per vos, ea, ex quibus Continuum componitur, phyſicas partes habent: Ergò. Prob. maj. Id, cujus partes phyſicè à Deo dividi poſſunt, non eſt phyſicè indiviſibile, ut patet; ſed partes phyſicæ cujuſcumque rei à Deo dividi poſſunt, cum nulla, in eo ſit repugnantia: Ergò.

SOLVUNTUR ARGUMENTA CONTRARIA.

27 *ARGUES* 1. contra 1. Concluſionem: Indiviſibile additum indiviſibili non penetratur cum illo: Ergò indiviſibilia ſola poſſunt extenſum, ſeu Continuum integraliter componere. Prob. ant. Indiviſibilia impediunt penetrationem; ideo enim duæ manus ſe mutuò tangentes non ſe penetrant, quia ſe tangunt ſecundùm ſuas extremitates indiviſibiles; atqui, ſi indiviſibilia ſe penetrarent, potiùs adjuvarent, quàm impedirent penetrationem: Ergò.

Ergò. *Reſp.* neg. ant. Ad prob. diſt. maj. Indiviſibilia immediatè unita, nego maj. indiviſibilia partibus interpoſita, concedo maj. Et diſt. min. Potiùs adjuvarent, quàm impedirent penetrationem ſui, concedo min. penetrationem partium, nego minor. & conſeq.

28 Indiviſibilia immediatè inter ſe unita, cum ſecundùm ſe tota ſe tangant, mutuò penetrantur: unde, cum duo quanta, v. gr. manus, ſe mutuò tangunt, indiviſibilia terminativa illorum mutuò penetrantur; atque ideo impediunt utriuſque Continui penetrationem: nam, poſito utroque indiviſibili in eodem loco; evenit, ut Continua, quorum extremitates ſunt puncta penetrata, ſolùm ſe contingant penes extremitates, in quo conſiſtit impenetratio. *Nec dicas*: punctum terminativum partis extenſæ, ſecundùm ſe totum tangere partem, quin penetretur cum illa: Ergò pariter. *Nam* punctum penes totum tangit partem; at non partem totam: cæterùm, ſi punctum additur puncto, ſecundùm ſe tota mutuò ſe tangunt; atque adeò penetrantur.

29 *Dices*: Licet puncta indiviſibilia non ſint extenſa, poſſunt immediatè unita non penetrari: Ergò. Prob. ant. Licet puncta indiviſibilia non ſint extenſa, poſſunt extenſum conſtituere: Ergò. *Prob. ant.* 1. Licet nulla pars hominis ſit homo, ejus tamen partes unitæ hominem componunt. 2. Licet nulla unitas ſit numerus, unitates unitæ conſtituunt numerum. 3. Licet corpora ſimplicia non ſint mixta, invicem addita, & unita faciunt mixtum: Ergò pariter. *Reſp.* neg. antec. Ad triplicem ejus prob. conceſsis antecedentibus, nego conſeq. Quia partibus convenire non debent, nec poſſunt illæ denominationes, & proprietates, quæ toti conveniunt, quatenùs compoſito, alioquin deberet omne compoſitum ex compoſitis coaleſcere: at vero habere debent illas denominationes, & proprietates, quas partes ſingulæ debent tribuere compoſito. Cum autem rationes hominis, numeri, & mixti ſuis reſpectivè compoſitis ſub ratione

ne

ne talium conveniant ratione compoſitionis ; ſecùs ratio extenſi : ideò extenſum ex non extenſis nequit componi; licet homo ex his , quæ non ſunt homines , numerus ex unitatibus , mixtum ex ſimplicibus componantur.

30 *Inſtab.* Inſtans temporis eſt indiviſibile ; ſed nihilominùs extendit tempus : Ergò punctum Continui , licet inextenſum, poteſt extenſum conſtituere. Patet min. Quia plus durat tempus , ſi duret uſque ad inſtans C, quàm ſi jam non duraret in eo inſtanti. *Reſp.* diſt. min. Inſtans adjunctum immediatè alteri inſtanti , nego min. adjunctum parti extenſæ, concedo min. & diſt. conſeq. eodem modo. Id enim, quod de Continuo permanenti dicimus , dicimus quoque de ſucceſsivo , quale eſt tempus : videlicet, cujuſque Continui indiviſibile eſſe formaliter *ut quod* inextenſum ; eſſe tamen *ut quo* extenſum; ſicut eſt anima rationalis *ut quo* corporea. Sed , quemadmodùm anima ex conjunctione cum materia, non ex adjunctione cum alia anima , corpus conſtituit : indiviſibile , non ex conjunctione cum alio , ſed cum parte diviſibili conſtituit extenſum.

31 *Replic.* Finitum additum finito poteſt facere infinitum : Ergò indiviſibile additum indiviſibili poteſt facere diviſibile , & extenſum. Ant. patet : Quia , juxtà Thomiſtas, exiſtentia creata cum eſſentia creaturæ identificata eſſet infinita , & complexum creatum æquivalens intellectui , & lumini gloriæ , finitis quidem , eſſet infinitum. *Reſp.* neg. ant. Ad ſubjunctam probationem quoad primam partem de eſſentia, & exiſtentia, conſtat ſolutio ex dictis in Metaphyſica. (6) Quoad ſecundam redditur diſparitas: Quia licet intellectus creatus , & lumen gloriæ ex ſe ſint res finitæ ; caſu , quo per identitatem conjungerentur (per inhæſſionem enim junguntur de facto , quin faciant infinitum) intellectus redderetur ordinis divini , cum ſibi identificaret ultimam diſpoſitionem ad unionem cum divina eſſentia : at

unum

(6) *Lib. 1. quæſt. 3. art. 5. num. 8,*

unum indivisibile ex conjunctione cum alio non extrahitur de sphœra indivisibilis.

32 *ARGUES* 2. Puncta indivisibilia sunt in Continuo immediatè unita : Ergò. Prob. ant. Corpus perfectè sphœricum non tangit planum, nisi in puncto indivisibili ; atqui, si talis globus suprà corpus perfectè planum rotaret, totam ejus extensionem continuò percurreret : Ergò in plano non sunt, nisi puncta indivisibilia seriatim succedentia. *Resp.* (7) aliqui, nec dari, nec esse naturaliter possibile physicè, & in rerum natura corpus perfectè sphœricum, aut perfectè planum ; sed solùm in mathematica imaginatione : *Nec enim* (teste Aristotele) *sensibiles lineæ tales sunt, quales Geometria dicit ; nihil enim sensibilium ita rectum, atque rotundum.* (8)

33 *Alii volunt*, (9) corpus sphœricum planum percurrere per saltus de puncto in punctum, partem mediam relinquens. *Sed* hæc solutio, ut gratuita, & penè ridicula despicitur à plerisque. *Communior est* solutio dicentium : (10) Corpus perfectè sphœricum tangere planum in indivisibili, quandiù suprà planum quiescit ; dum autem suprà planum rotat, ipsum attingere successivè suprà indivisibile, & suprà partem divisibilem ; non quidem adæquatè, sed inadæquatè sumptam. Quibus addunt, corpus sphœricum, & planum in contactu successivo fieri successivè proportionata, quamvis nequeant proportionari in contactu permanenti.

34 *Sed melius*, & clarius, ut judico, responderi potest, negando ant. Ad prob. dist. maj. Non tangit planum, nisi in puncto indivisibili, aut formali, aut æquivalenti, concedo maj. præcisè formali, nego maj. Et dist. min. Totam extensionem percurreret commensurativè, & extensè, nego

(7) *Apud P. Benedict.* 3. *Phys. quæst.* 6. *cap.* 5.
(8) 3. *Metaph. text.* 8. (9) *PP. Comp. d.* 25. *q.* 2. §. 4. *n.* 31.
(10) *Goud. disp.* 3. *quæst.* 5. *art.* 1. *Palanc. lib.* 6. *quæst.* 1. *num.* 75. *Colleg. Rip. ibi, num.* 17. *& alii.*

go min. inextensè, & incommenſurativè, concedo min. & nego conſeq. Ut enim extenſa corporis plani ſuperficies ex punctis, & partibus extenſis invicem interpoſitis componitur, ſic rotunda corporis ſphærici ſuperficies. Si igitur ſphæricum corpus penes punctum ſui apponatur ſuprà punctum plani, ipſum attingit in formali puncto indiviſibili: cæterùm, ſi apponatur ſuprà partem plani; cum eam non attingat adæquatè, ſed penes aliquid partis, ipſam attingit penes aliquid æquivalens indiviſibili in modo attingendi.

35 Cum igitur corpus ſphæricum ſuprà planum decurrit, ipſum planum attingit inextensè, & incommenſurativè, quamvis partes extenſas, & commenſurabiles attingat; quia earum quamlibet non attingit totam ſimùl, ſed priùs ſecundùm priùs, poſteà ſecundùm poſterius ejuſdem partis: deinde attingit penes punctum, poſteà penes partem eodem modo. Atque ita in toto ſphæræ curſu attingitur planum corpus, aut penes indiviſibile, aut penes aliquid æquivalens indiviſibili; non quidem æquivalens in carentia diviſibilitatis, aut extenſionis, quod enim attingitur de parte, diviſibile eſt, & extenſum; ſed in paſſivo attingendi modo, quatenùs modo indiviſibili, & inextenſo attingitur.

36 *Nec dicas* 1. Quòd, ſi id, quod corpus ſphæricum de parte plani attingit, eſſet extenſum, haberet latitudinem ſucceſſivè percurrendam, ut patet: Ergò nihil plani, quod diviſibile ſit, poteſt à ſphærico corpore attingi. *Nam* reſp. Illud, quod de parte plani attingitur, habere latitudinem, at percurrendam ſucceſſivè à puncto, aut parte minori; non tamen à parte æquali. Cum autem in ſphæra ſint puncta, & partes, ſicut in plano; partes plani attinguntur ſucceſſivè, priùs ſecundùm priùs, & per priùs partis ſphæricæ; poſteà ſecundùm poſteriùs, & per poſteriùs ejuſdem partis ſphæricæ: atque ideò latitudo ejus, quod attingitur de plano, licet aliundè ſucceſſivè percurrenda à parte minori, ab æquali parte de ſphærico ſimùl percurritur.

Nec

37 *Nec dicas* 2. Quòd corpus ſphœricum percurrit lineam penes longum extenſam de corpore plano: Ergò percurrit planum commenſurativè, & extensè. *Quia* illam lineam extenſam percurrit ſucceſsivè, numquàm attingens ſimùl aliquid illius extenſionis extenſo modo, ſeu adæquando ſimùl partem tangentem cum parte tacta; ſed ſolùm in extenſo modo, non ſimùl, ſed ſucceſsivè partem cum parte æquiparando. *Hìc nota*: quòd, ſi dimidium baculi intra aquam ſummergatur, ſuperficies aquæ, & aeris extrà aquam exiſtentis eidem indiviſibili baculi correſponderent; verùm inter ſe penetratæ, quippè quæ ſe tangerent immediatè ſecundùm ſe totas.

ARTICULUS II.

Utrum Corpus naturale, non ſolùm ex punctis, ſed ex partibus etiam ſemper diviſibilibus componatur?

1 *SUPPONIMUS*, puncta aliqua Continui compoſitionem ingredi: ea enim eſſe debent terminativa unius partis, eademque alterius initiativa, ut ſic idem ſit ultimum utriuſque, prout requiritur ad illarum continuationem; nam ſunt Continua, quorum ultima ſunt unum, ut dictum eſt. *Supponimus* inſuper, dari in Continuo partes aliquas realiter inter ſe diſtinctas: experimur enim in eodem Continuo partes diverſi coloris, ut in jaſpide; experimur etiam multorum Continuorum partitionem, atque eorum partium mutuam ſeparationem, quæ ſignum eſt plùs, quàm evidens, realis diſtinctionis.

2 Enim verò partes Continui aliæ ſunt æquales, aliæ proportionales. *Æquales* ſunt, quæ habent eamdem menſuram, ut palmus, & palmus reſpectu quanti bipalmaris. *Proportionales* ſunt, quæ habent eamdem proportionem; ut, ſi Continuum bipalmare dividatur primò in duos palmos,

postea in quatuor semipalmos, deinde in octo semipalmorum medietates, & insuper quælibet harum medietatum in alias duas medietates, atque harum quælibet in alias duas, &c. servando semper proportionem duplam in partium minoritate, & multiplicatione.

3 Atque hìc duo nota. *Primum est*: in proportionali Continui divisione multas dari proportionalium partium series, atque eò plures, quò major fiat divisio proportionalis. Sic in quanto bipalmari divisio in duos palmos est prima series, divisio in quatuor semipalmos est secunda, divisio in octo semipalmorum medietates est tertia series; & sic de aliis. *Secundum est*: non esse plures partes proportionales in Continuo maximo, v. gr. Cœlo, quàm in minimo, v. gr. arenæ granulo: nam Continuum, quamtumvis illud sit, non plures habet, quàm duas medietates, & harum quælibet duas alias, atque hæ aliæ alias duas, &c.

4 *Præterea* Continui partes aliæ sunt communicantes, aliæ non communicantes. *Primæ* sunt illæ, quæ, facta divisione, in aliquo communicant, quia una, aut aliquid ejus includitur in alia; ut, si Continuum A, B, C, D, dividatur in duas partes, quarum altera sit A, B, C, altera sit B, C, D. *Secundæ* sunt, quæ nihil habent commune, quia nec una in alia, neque aliquid ejus in illa, aut vice versà, includitur; ut, si prædictum Continuum in A, B, & C, D dividatur. *Atque hinc*: Si partes proportionales intrà eamdem seriem inter se comparentur, ut duo semipalmi, sunt non communicantes; si tamen comparentur ad partes superioris, aut inferioris seriei, sunt communicantes, ut semipalmus, & palmus, quarenùs partes ulnæ.

5 *Observa* tamen circa primam divisionem, partes æquales etiam vocari *aliquotas*, nam aliquoties repetitæ totum exauriunt divisum; ut palmus, qui quater ductus exaurit ulnam: non ita partes proportionales, quæ, quamvis magis, ac magis repetantur, non exauriunt divisum. Dicuntur

tur etiam *deſignabiles*, & *determinatæ*; quia facilè deſignari, & determinari valent; cum non ita poſsint proportionales, & communicantes, quæ idcircò *indeterminatæ*, & *indeſignabiles* dici ſolent: proportio enim multis modis fieri poteſt.

Noſtra Concluſio.

6 *DICIMUS*: Corpus naturale, quatenùs Continuum, ſeu integraliter, componitur ex partibus, licet non ab agente creato, abſolutè tamen diviſibilibus uſque in infinitum, punctis autem indiviſibilibus annexis. Dicimus, partes Continui eſſe punctis annexas ob rationem poſitam *num.* 1. Dicimus, partes Continui non eſſe ſemper uſque in infinitum ab agente creato diviſibiles: nam plurima Continui diviſione facta; perveniri tandem neceſsè eſt ad partes adeo parvulas, ut in eas cauſa naturalis agere non poſsit. *Sed* aliàs concluſio noſtra docetur expreſsè ab Ariſtotele, & D. Thoma aſſerentibus: (1) *Continuum eſt id, quod eſt diviſibile in ſemper diviſibilia.*

7 *PROB.* 1. Concluſio ratione: Continuum eſt eſſentialiter extenſum, cum extenſio ſit formale conſtitutivum quantitatis, quæ eſt forma corporis conſtitutiva; ſed omne extenſum componitur ex partibus extenſis, ut demonſtravimus art. præcedenti: Ergò partes, quibus componitur Continuum, ſunt formaliter extenſæ: Ergò, & hæ partes ex aliis minoribus, extenſis utique, componuntur; atque hæ, quippè extenſæ, ex aliis etiam extenſis; & ſic in infinitum: numquàm enim perveniri poteſt ad partes minimæ extenſionis, quæ, aut non componantur, aut ex inextenſis fiant, cum implicet extenſum ſine partibus, ac partes, quæ ſine ſui extenſione faciant extenſum, ut ſatis conſtat ex dictis articulo antecedenti.

8 *Atquì* omne extenſum eſt ex ſe, & abſolutè diviſibile, ſaltem de potentia Dei abſoluta; nulla enim eſt repugnantia in eo, quòd Deus ſeparet aliquid rei extenſæ à re-

liquo ejusdem, cum illud extra hoc sit, ut faciant extensionem: Ergò omne Continuum fit ex partibus divisibilibus in alias divisibiles, atque hæ ex aliis pariter divisibilibus, &c. *Urg.* Baculum quantùmcumque minimum, in duas medietates dividi potest; sed non est, cur etiam illæ duæ medietates, in duas alias, atque hæ in alias dividi non possint, cum una sit omnium ratio; sicque in infinitum: Ergò.

9 *PROB.* 2. Conclusio ab experientia, tùm naturali, tùm artificiali. *Primò*: Observatum est albissimum animalculum, (2) quod, licet perspicacissimis oculis invisibile, microscopio tamen, viginti septem milionibus vicium objectum augente, grano tritici videbatur æquale: pedes illius tenuissimis serici filis pares apparebant: Quænam igitur esset in ejusmodi animalculo pedum, quæ occulorum, quæ pupillæ, quæ nervorum, quæ demùm sanguinis, spirituumque vitalium mira subtilitas? Si igitur Deus naturæ Author sub adeo minima quantitate integra corpora naturalia fecit: quousque tandem Author ipse ea dividere poterit, si sua potentia absoluta, atque infinita vi uti voluerit?

10 *Secundò*: Unica auri cubica in tenuissima folia quadrata plusquàm quingenties centena millia à bactrearoribus contunditur: at, si unum ex his foliis argenteo cylindro circumvolvatur, deinde cylindrus ejusmodi per plura foramina sensim, ac successivè angustiora trajiciatur, donec ad tenuissimi fili crassitiem redigatur; longissima illa fili superficies utique deaurata persistet: quod certè fieri non posset, nisi granum auri ad quinque milliarium longitudinem extendatur, ejusque crassities septingenties millies subtilior evadat; ut à peritis observatum est. (3)

11 *At verò*: Si humani artifices rudibus adeò instrumentis

(1) 6. *Physic. cap.* 1. *lect.* 1. *&* 2.
(2) *V. Corsin. N. tract.* 3. *Phys. Gen. cap.* 2. *num. IV.*
(3) *Nost. Corsin. ibid.*

uis ad innumeras ferè particulas, quarum tenuitas omnem imaginationis vim ſuperat, corpora valent redigere: quid non poterit Divinus ille Artifex ſua infinita virtute? Aut quonam limite adſtringi decet potentiam illam, quæ ſine limite valet quidquid ex terminis non repugnat? Innumeras ferè ſuppetunt Geometricæ demonſtrationes, quibus id ipſum, quod ratio, & experientia docent, manifeſtiſsimè oſtendi poterat. Sed eas omittimus; quia haud facilè iis uti poſſumus ſine graphyca figurarum expreſsione (4)

12 *Ex quibus* intelliges, omne Continuum, ſive permanens, ſive ſucceſsivum ex partibus, & indiviſibilibus interpoſitis integrari: adeò, ut initiativum ſit punctum, deinde ſubſequatur pars diviſibilis, deinde punctum continuativum illius partis cum alia ſubſequenti, quam cum prima nectit; inſuper punctum aliud, quo adjungitur cum ſecunda tertia pars, poſteà punctum, poſtea pars, &c. *Adverte* tamen, in Continuo permanenti indiviſibilia vocari *puncta*: in ſucceſsivo autem, quale eſt tempus, dicuntur *inſtantia*, ſeu *momenta*; in motu verò appellari ſolent *mutata eſſe*, ſeu *puncta motus*.

SOLVUNTUR ARGUMENTA CONTRARIA.

13 *ARGUES* 1. Si Continuum componeretur ex partibus ſemper, & uſque in infinitum diviſibilibus, darentur in Continuo plures, & plures partes, etſi minores, & minores, uſque in infinitum; ſed hoc repugnat: Ergò. *Prob. min.* Si ejuſmodi plures, & plures partes uſque in infinitum darentur, omne Continuum eſſet infinitè extenſum; ſed hoc eſt evidenter falſum: Ergò. *Prob. maj.* Omnis pars aliis addita auget extenſionem; ſed poſitis quibuſcumque Continui partibus, reſtant aliæ, & aliæ ſine fine: Ergò.

Prob.

(4) *V. P. Corſin. ubi ſupr. num. III. & 4.*

14 *Prob. 2 eadem min.* Si darentur in Continuo plures, & plures partes usque in infinitum, daretur in Continuo, etiam minimo, numerus partium actualiter infinitus; sed hoc implicat, cum repugnet, juxta Thomistas, infinitum in actu secundùm numerum: Ergò. Prob. maj. Partes illæ, in quas est Continuum divisibile, actu sunt in Continuo, unumquodque enim est proximè divisibile in ea, ex quibus actu componitur; sed est divisibile in plures, & plures sine fine: Ergò sunt plures, & plures usque ad multitudinem actu infinitam.

15 *Ad arg.* concessa maj. nego min. *Ad 1. ejus prob.* nego maj. Ad prob. dist maj. Omnis pars æqualis, aliquota, & determinata, seu non communicans, concedo maj. omnis pars proportionalis, indeterminata, & communicans, nego maj. & distincta min. nego consequentiam. Illa pars alteri addita extensionem auget, quæ sic additur, ut in illa non includatur: v. gr. palmus palmo additus efficit extensionem bipalmarem: & hujusmodi sunt partes aliquotæ, & non communicantes. Cæterùm, si pars una, utpotè minor, sub alia majori includatur; addita majori, non auget extensionem: v. gr. in quantitate bipalmari, quatuor semipalmi inclusi in duobus palmis non augent palmorum extensionem: & hujusmodi sunt partes proportionales.

16 Quamvis igitur Continuum habeat plures, & plures partes minores, & minores sine fine; cum minores sint inclusæ in majoribus, minores non augent majorum extensionem, sed eamdem, quam majores habent continuatam, explicant minores discontinuatam. Ideò, quamvis Continuum plures, & plures habeat partes proportionales sine fine, non habet infinitam extensionem. *Atque hinc* prima, seu primordialis Continui compositio est ex pluribus, aut paucioribus partibus determinatis, & aliquotis, juxta ejus magnitudinem: sed ita minimis, ut sint indivisibiles in alias partes determinatas, & quoad nos assignabiles; di-

visibiles

viſibiles tamen uſque in infinitum in partes proportionales.

17 *Dices* : Duæ medietates ſemipalmi ſunt partes proportionales palmi ; ſed una ex his medietatibus alteri addita hujus extenſionem auget : Ergò. *Reſp.* medietates ſemipalmi , ſi comparentur inter ſe , ut compartes ſemipalmi, non eſſe partes proportionales , & communicantes , ſed æquales , & non communicantes : atque ita una alteri addita facit extenſionem , at non aliam , quàm extenſionem ipſam ſemipalmi : Cæterùm illæ medietates dicuntur partes proportionales , & communicantes comparativè ad compoſitionem palmi , quatenùs ipſæ cum ſemipalmo à ſe compoſito proportionaliter componunt palmum : ſed neutra medietas addita ſemipalmo auget extenſionem.

18 *Replic.* (5) Licet ſecunda ſeries partium proportionalium non augeat extenſionem primæ , v. gr. duo ſemipalmi extenſionem palmi , neque tertia ſeries extenſionem ſecundæ , ſcilicet quatuor medietates ſemipalmorum extenſionem duorum ſemipalmorum; ſi tamen ſeries ipſæ multiplicari poſſunt uſque in infinitum, eo ipſo in Continuo primò diviſo eſt infinita magnitudo : Ergò. *Prob.* ant. Finita magnitudo nequit ſub ſe infinitas minores magnitudines continere, ut patet; ſed hæ requiruntur, ut illæ ſeries in infinitum valeant multiplicari : Ergò.

19 *Urg.* Supponamus , Deum à palea palmari ſeparare ſecundum ſemipalmum , priori relicto , & à ſecundo ſemipalmo alteram ex medietatibus , quam jungat priori ſemipalmo : in quo caſu medietas ſecundi ſemipalmi adjuncta priori ſemipalmo hujus extenſionem auget abs dubio : tum, ſi reſiduam medietatem ſecundi ſemipalmi dividat in duas minores medietates *A*, & *B*; medietas *A* addita priori ſemipalmo jam aucto , novum addit extenſionis augmentum: Idem continget , ſi medietas *B* reſidua dividatur in duas minores

(5) *P. Loſſad. tract. 3. diſp. 4. cap. 1. num. 5.*

minores medietates *C*,& *D*,quarum *D* adjungatur etiam priori ſemipalmo ; atque idem , ſi *C* remanens dividatur : & ſic deinceps ſine fine ; ſemper enim manebit reſiduum paleæ diviſibile in duas medietates , quarum altera addi poſsit priori ſemipalmo : Dantur ergo in Continuo infinitæ medietates , quarum aliæ aliis additæ infinitam faciunt extenſionem.

20 *Ad replic.* nego antec. Ad prob. diſting. maj. Finita magnitudo nequit ſub ſe continere minores magnitudines, actu infinitas , & adæquatè diſtinctas , concedo maj. infinitas in potentia , & in adæquatè diſtinctas , nego maj. & ſic diſt. min. nego conſeq. Continuum itaque non eſt ſimùl, & ſemel diviſibile in infinitas partes , quæ ſimùl omnes diviſæ perſeverent ; ſed eſt diviſibile ſucceſsivè in plures , & plures minores ſine fine : aſt ita , ut in quacumque diviſione non perſiſtat pars diviſa , ſed hujus medietates ; & in diviſione harum medietatum hæ non perſiſtant , ſed medietates minores , in quas dividuntur. Ideò finita magnitudo continet plures , & plures inferiores magnitudines ſine fine, abſque infinito magnitudinis augmento.

21 *Ad urg.* conceſſo toto antec. nego conſeq. Si enim palmari paleæ ſemipalmus auferatur , & poſtea medietas unius ſemipalmi alteri ſemipalmo addatur,hic augetur penes dimidium ſemipalmum : ſi poſtea medietas alterius medietatis addatur , augetur ille penes medietatem medietatis; & ſic deinceps. Quare , ſi Deus per totam æternitatem adderet priori ſemipalmo minores , & minores medietates ſecundi , augeretur quidem , ſed minùs , & minùs ſine fine: unde numquam ad majorem magnitudinem , quàm palmarem devenerit ; cum omne augmentum ſemipalmi eſſet de altero ſemipalmo.

22 *Reſp.* jam ad ſecundam primæ minoris prob. poſitam *num.* 14. nego major. Licet enim Continuum habeat plures , & plures partes ſine fine , non tamen habet partes actu infini-

infinitas ; quia quò plures , & plures in eo aſſignantur partes minores , eò plures pereunt , & deficiunt de majoribus: v. gr. ſi ulna dividatur in duas medietates , & duæ iſtæ in quatuor minores ; per hanc ſecundam diviſionem duæ priores in quatuor poſteriores reſolvuntur ; atque adeò non ponunt in numero , neque augent numerum. Idem intellige, ſi quatuor poſteriores medietates in octo minores ſubdividantur ; quia quatuor illæ , utpote in octo reſolutæ , non augent earum numerum , & ſic deinceps uſque in infinitum.

23 *Unde* : Si diviſio fieret uſque in æternum , augeretur quidem partium minorum numerus uſque in æternum; at non ſine aliqua majorum partium diminutione uſque in æternum duratura : atque ideò ſunt in Continuo plures , & plures minores partes proportionales ſine fine , non tamen actu infinitæ. Ad negatæ maj. prob. diſt. maj. Partes illæ actu ſunt in Continuo adæquatè diſtinctæ , & mutuò excluſæ , ut ſingulæ faciant numerum , nego maj. actu ſunt in Continuo inadæquatè diſtinctæ , & mutuò incluſæ , adeò , ut numerum ſingulæ non conſtituant , concedo maj.

24 Cum enim partes minores, & includantur , & identificentur cum majoribus ; iſtæ non faciunt ab illis diſtinctum numerum ; ſed, ut pars major faciat duo per ſui diviſionem , perit ipſa quoad numerum , & quantitas , quæ indiviſa erat una , fit duplex , quin poſſit illa numerari , ut ſit triplex quantitas. Accipe exemplum : Divide numerum octo hominum in duas medietates , & manent duo quaternarii : divide has medietates in alias duas, & erunt octo binarii : divide ampliùs , & extant ſexdecim unitates: in quo caſu , niſi minores in majoribus medietatibus includas , aut majores deſtruas , dum numeras minores , ut debes ; erunt homines quadraginta , cum re vera ſint tantùm octo. Ita ſimiliter.

25 *Instab.* (6) In festuca datur multitudo partium, quæ nulla numeratione, aut ablatione successiva exhauriri potest; sed talis multitudo est actu infinita, ut patet: Ergò. *Urg.* 1. Deus intuetur omnes festucæ partes existentes, & actu distinctas ante divisionem: vel ergò videt infinitas; & sic sunt actu, & cathegorematicè infinitæ: vel finitas; & sic finiri tandem poterit Continui divisio. *Urg.* Partes actu positæ, quæ, licet tota extrahantur æternitate, finiri nequeunt, sunt actu, seu cathegorematicè infinitæ; sed tales sunt partes proportionales Continui: Ergò.

26 *Ab inst.* dist. maj. In festuca datur multitudo partium adæquatè distinctarum, & non communicantium, quas vocant *aliquotas*, quæ exhauriri non potest, nego major. multitudo partium inadæquatè distinctarum, velut includens, & inclusum, ac se communicantium, concedo maj. Sed hinc non infertur multitudo actu infinita, cum in ipsa extractione plurium, & plurium partium aliæ, & aliæ plures resolvantur, & quò plus augetur numerus versùs deorsum, seu penes minores partes, eò plus minuitur versùs sursum penes partes subdivisas; licet plures fiant partes dividentes, quàm divisæ deficiant.

27 *Ad* 1. *urg.* dicimus, Deum intueri finitas partes determinatas, seu aliquotas, & non communicantes, in infinitum tamen divisibiles in partès proportionales actu finitas, & syncathegorematicè, seu in potentia infinitas: finitas quidem actu; nam, si illæ absque ulla Continui divisione inspiciantur, sub finitudine partium aliquotarum, seu determinatarum continentur: infinitas autem in potentia; non, quòd devenire tandem possint ad esse actu infinitas; sed, quia per partium aliquotarum resolutionem in suas medietates, per istarum resolutionem in alias, possunt crescere numero sine fine. *Sed* numquid (dices) omnes illæ partes, in quas valet numerus crescere sine fine, non sunt actu in Continuo? *Utique:*

(6) *P. Lossada, ubi supr. à num.* 7.

28 *Utique* : ſunt actu omnes ; ſed non actu diſtinctæ, non enim diſtinguuntur minores medietates à majoribus, quas illæ dividunt : & , dum uniuſcujuſque partis minores partes extrahis , ut cum majore numerum augeas ; majorem , ut talem deſtruis , ac non ponit in numero , niſi velis , ulnam , ejuſque duas ſemiulnas eſſe tria. *Ad 2. urg.* diſt. maj. Partes actu poſitæ , actuque adæquatè diſtinctæ, concedo maj. Partes actu poſitæ , ſed mutuò incluſæ, ſolùmque inadæquatè diſtinctæ, neg. maj. Et hujuſmodi ſunt partes proportionales , ſeu communicantes.

29 *Inſiſtes adhuc* : Licet medietates medietatum ſint communicantes cum ſuis ſuperioribus , quas dividunt , medietates tamen unius ſuperioris medietatis non communicant cum medietatibus alterius ſuperioris medietatis ; ſed hæ medietates non communicantes ſunt adæquatè diſtinctæ, extrahique poſſunt in infinitum : Ergò. *Urg.* Poteſt Deus ex folio papyraceo, quà profundum eſt, plura, & plura, licet tenuiora folia deducere in æternum ; ſed hæc folia eſſent adæquatè diſtincta , & non communicantia : Ergò.

30 *Ad inſt.* conceſſa maj. diſt. min. extrahi poſſunt uſque in infinitum ſyncathegorematicè , & ſucceſſivè , concedo min. ſimùl , & cathegorematicè , nego min. Sed inde numquam pervenit multitudo uſque ad actualem infinitudinem , ſed ſemper creſcit in majorem , & majorem numerum finitum ſine fine ; repugnat enim numerus finitus omnium poſsibilium maximus , ſicut creatura omnium perfectiſſima , ut ſuo loco videbimus. *Ad urg.* conceſsis præmiſsis, nego conſeq. Licet enim Deus uſque in infinitum deduceret tenuiora folia , numquam deduceret in actu infinita ; ſed plura , & plura finita ſine fine : ſicut producens creaturam perfectiorem , & perfectiorem in æternum , numquam produceret infinitè perfectam.

31 *ARGUES* 2. multipliciter. *Primò* : Si Continuum componeretur ex partibus in infinitum diviſibilibus , daren-

tur in Continuo infinita puncta indiviſibilia : tot enim ſunt puncta, quot ſunt poſsibiles diviſiones, cum partes dividantur penes puncta, quibus continuantur. *Secundò* : Si ſpatium continuum plures, & plures partes haberet, numquam pertranſiri poſſet ; hoc eſt falſum : Ergò. *Tertiò* : Si in motu eſſent plures, & plures partes, numquam finiri poſſet, quia numquam poſſet deveniri ad ultimam ejus partem. *Quartò*: Ex noſtra ſententia ſequeretur, aquilam numquam poſſe teſtudinem præeuntem aſſequi ; quia, dum aquila decurrit multum ſpatii, aliquid pertranſiret teſtudo, atque ideò ſemper anteiret.

32 *Quintò* : Si partes Continui eſſent modo dicto diviſibiles, quælibet pars temporis conſtaret pluribus, & pluribus ſine fine ; ſed ita numquam poſſet ea pars eſſe præſens, alioquin eſſent plures partes ſimùl præſentes, quod eſt contra rationem entis ſucceſsivi : Ergò. *Sextò*: Deus poteſt in quolibet horæ inſtanti, aut in quavis ejus parte creare Angelum ; ſed in hora ſunt infinita inſtantia, & infinitæ partes: Ergò per ſpatium horæ poſſet in actu ponere infinitos Angelos. *Septimò* : Si in grano tritici eſſent plures, & plures partes ſine fine, tot, & non plures eſſent in terræ globo; ſed hoc ipſo granum illud eſſet æquale globo terræ, quod eſt evidenter falſum : Ergò. Patet min. ea enim æqualia ſunt, quæ totidem partes habent.

33 *Ad primum* dicimus, in Continuo dari puncta aliquota, quibus partes determinatæ copulantur, & quæ non plura ſunt, quàm partes copulatæ ; & dari etiam puncta medietatum, quæ ſunt illarum continuativæ : at quemadmodùm ex poſsibili diviſione in infinitum, minimè infertur actualis medietatum infinitas, ita neque punctorum. *Atque hinc* : Sicut inter partem, & partem aliquotam mediat punctum ejuſdem rationis, ſic inter medietates ejuſdem partis determinatæ. (7) *Ad* 2. nego maj. Quia cum motus, quo fit

(7) *V. Coll. Rip. 6. Phyſ. dub. 6. num. 22. Irib. hìc.*

ſit per ſpatium tranſitus, habeat etiam partes determinatas, ſub ſe plures minores continentes; pars determinata motus ſimul adæquat ſpatii partem, omneſque minores ſub illa contentas. *Adde*: tranſitum non fieri per ſingulas partes proportionales diviſivè; ſed per plures ſimùl incluſas in ſingulis determinatis, per quas tranſitus immediatè dirigitur.

34 *Ad* 3. negatur aſſumptum: quia, etſi dentur plures, & plures partes proportionales; motus non exercetur, aut comenſuratur penes iſtas partes, cum non præbeant motui ſpecialem extenſionem, ut conſtat ex *num.* 15. & 16. comenſuratur autem per partes determinatas, quarum ultima facilè invenitur. *Ad* 4. negatur aſſumptum: cum enim motus immediatè comenſuretur ſpatio ſecundùm partes determinatas, & aquila citiùs eliciat multas partes determinatas ſui motus, quàm paucas ſui motus teſtudo; ſtatim aquila teſtitudinem aſſequeretur, ſtatimque præiret.

35 *Ad* 5. dicimus, eſſe contra rationem entis ſucceſſivi habere plures partes aliquotas, ſeu determinatas ſimùl præſentes, ſeu, ut aliis placet, habere illas præſentes ratione ſui; ſecùs autem habere plures præſentes proportionales, aut ratione inſtantis. Sed de hoc infra, cum de Tempore diſputemus. *Ad* 6. diſt. maj in quolibet inſtanti determinato, & diviſim ſumpto, concedo maj. in quolibet inſtanti indeterminato, aut in omnibus collectivè acceptis, nego maj. (8) Cum enim partes temporis ſucceſſivè fluant, atque indeterminata inſtantia ſub partibus determinatis includantur; ſolùm in quocumque inſtanti, aut parte determinata poteſt Deus Angelum creare.

36 *Ad* 7. reſp. conceſſa maj ſi de partibus proportionalibus loquatur (aliquotæ enim eò plures ſunt, quò majus fuerit Continuum) nego min. Etenim, proportione ſervata, in utriuſque diviſione ſemper ſunt minores medietates grani tritici,

(8) *Vide Palanc. hìc, num.* 70.

tritici, quàm globi terrei, etſi utrumque ſit in plures, & plures diviſibile: Ea enim æqualia ſunt, quæ totidem partes habent, ſi partes ſint æquales; ſecùs, ſi ſecùs. Aut (9) dici poteſt, in terræ globo non eſſe formaliter plures partes proportionales, quàm in grano tritici, quia in utroque eſt interminabilis diviſio: eſſe tamen plures materialiter; quia, plures habet partes determinatas, quarum quælibet eſt ſemper diviſibilis in partes proportionales.

37 In fine *adverte* 1. Deum omnes, & ſingulas Continui diviſiones cognoſcere; ut poſsibiles tamen ſucceſsivè, non autem ut collectivè poſsibiles, ſeu ſimùl ponibiles, quia id repugnat. *Adverte* 2. ejuſmodi diviſionem Continui uſque in infinitum non poſſe illi convenire phyſicè, id eſt ſecundùm ſubſtantiam ſub continua quantitate contentam; ſubſtantia enim eò uſque in ſua diviſione perſiſtit, ut valeat ſub tam minimis partibus conſervari; & non ampliùs: illi autem convenire valet divinitùs, ſecundùm quantitatem, vel mathematicè, ut alii loquuntur: poteſt enim ad tam exiguas partes reduci quantitas, ut ſub illis nulla ſubſtantia valeat conſervari. (10) *Tandem*: Nequit Deus omnia Continui indiviſibilia deſtruere, quin pareant illius partes.

(9) *Vide Div. Thom. 3. part. quæſt. 10. art. 3. ad 3.*
(10) *Vide Div. Thom. 1. Phyſic. lect. 9.*



QUÆS-

QUÆSTIO II.

DE MUTATIONE ENTIS NATURALIS.

ARTICVLVS I.

Quid sit Motus, & quotuplex? Ubi *de Actione, & Passione.*

1 MOtus tripliciter usurpari potest. *Primò* latissimè pro omni cujusvis generis operatione, etiam immanenti: sic *vivere*, *intelligere*, & *velle* motus appellantur. Atque hoc sensu *spiritus creator movet se*, *nec per locum*, *nec per tempus*, ut docet Augustinus. (1) *Secundò* sumitur paulò strictiùs pro omni mutatione, sive spirituali, sive corporali: atque hoc sensu Deus dicitur immobilis; omnes verò creaturæ mobiles appellantur. *Tertiò* sumitur propriè pro speciali quadam mutatione, seu viali tendentia de uno in aliud; ut de privatione ad formam, aut è contra, de frigido in calidum, de loco in locum, &c.

2 Itaque Motum hoc ultimo modo acceptum ita definivit Aristoteles: *Actus entis in potentia*, *prout in potentia*. Et quamvis ille à plerisque recentioribus Philosophis maximè reprehendi soleat, quasi Motus essentiam obscura potiùs verborum ambage occuluerit, quàm nitida definitione illustraverit: aliam fortasse clariorem, quæ singula Motuum genera ab Aristotele invecta nitidiùs explicet, aut dare, aut invenire non poterunt. *Ut* pateat igitur definitionis

(1) *Ap. Div. Thom. 1. part. quæst. 9. art. 1.*

nis bonitas, notari plurimùm debet, ſubjectum mobile duplicem habere potentiam, alteram ad Motum, alteram ad terminum, ſeu formam, per motum adquirendam.

3 Sic lignum, & eſt in potentia ad calefactionem, & ad *calidum eſſe*, ſeu ad calorem: homo etiam Cæſar-Auguſtæ exiſtens, & eſt in potentia ad tranſitum Romam versùs, & ad conſequutionem Romæ. Cum igitur lignum actualiter calefit, jam primam potentiam explet; ſed retinet adhuc ſecundam potentiam ad *calidum eſſe*, ſeu ad completum caloris gradum, quem media calefactione intendit. Undè motus ille calefactionis optimè dici poteſt perfectio, vel actus ſubjecti, in potentia adhuc remanentis ad ulteriorem actum, ſeu perfectionem, quam intendit; ſeu *actus entis in potentia*.

4 Additur: *prout in potentia*; quia Motus in eo præcisè conſiſtit, ut ſubjectum mobile, nedum actuet, perficiatque, ſed illud quoque ad ulteriorem, perfectioremque actum dirigat, & deducat. *Atque hinc* Motus dici ſolet actus imperfectus; quia, licet actuet, & quodammodò perficiat ſubjectum, id autem præſtat ex intentione perfectioris termini adquirendi. Si clariorem optas Motus definitionem, hæc nobis in promptu eſt: *Actualis tendentia mobilis de uno in alium terminum.* Habet quippè Motus duos terminos, *à quo*, & *ad quem*: Terminus *à quo* eſt ille, quem mobile per motum relinquit: Terminus *ad quem* eſt ille, quem mobile per motum adquirit.

5 Motus multiplex diſtingui ſolet. *Primò* dividitur in ſucceſsivum, & inſtantaneum. Motus *ſucceſsivus* eſt, qui non totus ſimùl, ſed paulatim, & ſucceſsivè exercetur: cujuſmodi eſt motus augmentationis, intenſionis, motuſque localis. *Inſtantaneus* eſt, qui totus ſimùl exercetur, eodemque inſtanti relinquitur terminus *à quo*, & terminus *ad quem* adquiritur: ejuſmodi eſt aeris illuminatio, ſubſtantialis generatio, &c. Sed plurimùm notari debet, motum

ſucceſ-

ſucceſsivum eſſe propriè motum; ſecùs inſtantaneum, qui *Mutatio* potiùs quàm *Motus* ſolet appellari. Motus inſtantaneus alter eſt phyſicus, alter intentionalis. Phyſicus eſt, qui rem phyſicè de uno in alium ſtatum immutat, ut generatio ſubſtantialis, rem transferens de *non eſſe* ad *eſſe*, & ſubſtantialis corruptio rem de *eſſe* ad *non eſſe* traducens. Intentionalis eſt, qui rem immutat intentionaliter, ut intellectio, & volitio.

6 Motus ſucceſsivus in triplici genere diſtingui debet: eſt enim alter ad quantitatem terminatus, qui *Motus quantitativus* appellari poſſet, ſub quo continentur augmentatio, & diminutio; alter terminatus ad qualitatem, qui dicitur *alteratio*, ſub quo ſunt *intenſio*, & *remiſsio*; alter demùm terminatus ad ubi, ſive ad locum, qui dicitur *Latio*, *ſeu localis motus*, quorum omnium naturam ſuis reſpectivè locis explicabimus. Id autem unum nunc ommitti, aut aliò differri non poteſt, Motum ſcilicet Actionem, & Paſsionem, aut ſibi annexas, aut ſecum quodammodò identificatas importare: actionem, inquam, formaliter tranſeuntem; immanens enim, nec paſsionem infert, neque Motum propriè dictum comitatur. Actionis, & Paſsionis naturas explicuimus in Metaphyſica. (2)

7 Quandoquidem verò plurima occurrunt, quæ à Philoſophis in dubium revocari ſolent, quorum aliqua brevi expoſitione faciliùs intelligi valent, quàm ut fuſa egeant diſputatione, ut dirimantur. Notandum eſt *primò*, Ariſtotelicam Motus definitionem, nedùm ſucceſsivo Motui, ut eſt certum, ſed etiam inſtantaneo phyſico accommodari: Licet enim in eodem inſtanti reali ſint in mobili, & Motus, & ejus terminus, neque detur in re medium viale inter terminum *à quo*, & *ad quem*, ut mobile ſit realiter in potentia ad terminum; ſunt duo inſtantia naturæ, ſeu rationis, in quorum primo concipitur mobile, quaſi in via, &

(2) *Lib. 2. quæſt. 5. art. 4. num. 1. & 2.*

potentia ad terminum: atque indè solùm inferri potest, eam definitionem, non toto rigore, ut successivo, sed latè, vel ut aliis placet, ex modo significandi motui instantaneo physico convenire.

18 Cæterùm motibus intentionalibus nullatenùs valet prædicta definitio adaptari: ut enim egregiè monuit Doctor Angelicus, (3) Motus prædicta definitione expositus est actus imperfectus subjectum relinquens in potentia ad ulteriorem, & perfectiorem actum: At Motus intentionalis est ultimus, perfectusque actus ad ulteriorem inordinatus; intellectio enim non relinquit intellectum in via, seu potentia ad actum ullum per intellectionem acquirendum, neque volitio voluntatem, neque visio potentiam visivam, &c. Quia tamen inter Motus intentionales sunt nonnulli, qui terminum efficiunt, qualis est intellectio producens verbum; dici potest, iis motibus, ut talibus, posse quodammodò prædictam definitionem accommodari.

19 *Secundò* notandum est, Motum esse realiter distinctum, & à subjecto mobili, & à termino per motum acquisito. *Ratio primi est*: Quia Motus est modus physicus, & realis, imò est accidens postprædicamentale; sed modus omnis physicus, & realis à re, cujus est modus, realiter distinguitur: Ergò. *Adde*: rem mobilem esse à motu plerùmque separabilem, quo nullum est realis distinctionis signum evidentius. *Ratio secundi est*: Quia, motu cessante, permanet terminus *ad quem*; cessante enim calefactione, solo calore durante, permanet calidum. Quoniam verò Motus est modus rei mobilis, præfata distinctio dicitur modalis.

110 *Tertiò* notandum est: Motum suam desumere unitatem numericam à subjecto, connotata sui continuatione; specificam verò à termino *ad quem*, quatenùs medium transitus continuò connotante. *Ratio primi est*: Quia Motus, cum sit accidens, sequitur indolem accidentium, qui

(3) 3. *de Anim. text.* 28. *lect.* 12.

qui numericam à subjecto desumunt unitatem : cum sit continuum successivum, ut sit unus numero, interrumpi non debet ; alioquin, quamvis subjectum sit unum, motu cessante, atque iterùm adveniente, non eodem numero, sed numero diversis motibus agitatur. Atque ideò unitas numerica Motus non à subjecto utcumque sumpto, sed ab illo, quatenùs ejusdem Motus continuationem connotante, est desumenda.

¶ 11 *Ratio secundi est* : Quia res omnis respectiva, & quæ non est propter se primò instituta, sed propter aliud, ab eo suam capit unitatem specificam, ad quod per se primò ordinatur, ut patet in potentiis omnibus, in singulis actibus, & habitibus ; sed hujusmodi est Motus, qui non propter se, sed propter terminum ad quem adquirendum est institutus, atque ad illum per se primò ordinatur : Ergò. Quandoquidem verò idem potest esse terminus *ad quem* diversorum Motuum : v. gr. ascensus, & descensus ; seu Motus etiam circularis, & recti, si mediis diversis acquiratur : idcircò specifica Motus unitas, non ab eo materialiter sumpto, sed ab ipso formaliter accepto, seu quatenùs medium, terminumque *à quo* connotante, desumenda est.

¶ 12 *Atque hinc* Motuum quoque contrarietas à terminorum contrarietate accipi debet : Ut, quia augmentatio est Motus à minori ad majorem quantitatem, diminutio verò è contrà à majori ad minorem ; Motus ipsi contrarii sunt. Idem intellige de ascensu, & descensu, de intensione, & remissione, &c. Cæterùm unitas generica Motus desumitur à termino *ad quem* secundùm se sumptum ; adeòque tot sunt Motuum genera, quot termini per se Motus terminantes. *Ratio est* : Quia genus in rebus respectivis sumitur à termino respecto secundùm quandam rationem generalem ejusdem termini : Undè motus terminatus ad quantitatem genere differt à motu per se terminato ad qualitatem.

Præcipuæ Quæstiones.

113 *INQUIRES* 1. Utrum Actio, Passio, & Motus realiter distinguantur? Resp. Actionem, Passionem, & Motum in recto, & quoad entitatem realiter identificari; distingui tamen realiter connotativè, quatenùs idem realiter modus, prout egrediens ab Agente, dicitur *Actio*; prout transiens per medium, dicitur *Motus*; & quatenùs in passo receptus, dicitur *Passio*. Sic D. Thomas: (4) *Actio, & Passio conveniunt in substantia Motus, & differunt solùm secundùm diversas habitudines*. Ratio est: quia, cum una sufficit, frustrà multiplicantur entitates; sed eadem modalis entitas sufficit, ut ab agente egrediatur, per medium transeat, & in passo recipiatur: Ergò. Hinc *Actio*, *Motus*, & *Passio* sunt termini connotativi, quorum primus connotat agens, ut principium *à quo*; *Motus* connotat transitum, ut medium *per quod*; & Passio passum, ut subjectum *in quo*.

114 *Oppones* contra hanc resolutionem: Actio, & Passio constituunt diversa Prædicamenta; Motus autem ad nullum pertinet Prædicamentum: Ergò. *Conf.* 1. Implicat, duplicem formalem effectum utrumque primarium, & omninò diversum ab eadem forma provenire; sed *agere*, & *pati* sunt effectus formales primarii omninò diversi; alioquin sicut agens agit, ita pateretur, & passum ageret etiam, dum patitur: Ergò. *Confirmatur* 2. Cessante actione, v. gr. lapidis projectione, perseverat ejus Motus; & cessante motu calefactivo, perseverat Passio, seu receptio caloris in passo: Ergò realiter distinguuntur. *Adde*: Ens incompletum, qualis est Motus ab entibus completis, quales sunt Actio, & Passio, utpotè prædicamenta, realiter distingui.

115 *Ad arg.* concesso ant. nego conseq. Quamvis enim ea, quæ diversa constituunt prædicamenta absolutè, & per ordinem

(4) 1. *part. quæst.* 45. *art.* 2.

ordinem ad aliquid intrinsecum, realiter differant, ut substantia, quantitas, relatio, &c. secùs ea, quæ constituunt diversa prædicamenta connotativa, & per ordinem ad aliquid extrinsecum denominata, quales sunt *Actio*, & *Passio*, quarum prima constituitur per vialem entitatem, quatenùs agens connotantem; secunda per eamdem entitatem, prout connotantem passum: ad quod sufficit, Actionem, & Passionem esse realiter connotativè distinctas. Motus autem, quippè significans tendentiam, quasi in abstracto, significat entitatem vialem modo incompleto; ideò ad nullum pertinet prædicamentum, sed est unum de postprædicamentis.

16 Igitur (5) *licet Motus sit unus, tamen prædicamenta, quæ sumuntur secundùm motum, sunt duo, secundùm quod à diversis rebus exterioribus fiunt prædicamentales denominationes. Ad* 1. *Conf.* dist. maj. Ab eadem forma permanenti absolutè, & formaliter sumpta, concedo maj. Ab eadem forma successiva, & connotativè accepta, nego maj. Forma enim successiva, si priùs connotat unum, sortitur unam; si postea aliud, aliam sortitur denominationem; Tempus enim nunc est matutinum, postea meridianum, tandem vespertinum: Ita similiter Actionis, & Passionis entitas, ut diximus *num.* 13. *Ad* 2. *Conf.* dicimus: Actionem durare formaliter, quandiu motus durat, licet incohativè, seu ejus incohatio cessaverit. *Ad addit.* constat ex dictis solutio: nam Actio, & Passio significant suam entitatem modo completo, prout in agente, & patiente: Motus verò eam explicat modo incompleto: Undè solùm differunt connotativè.

17 *INQUIRES* 2. Utrum Actio formaliter transiens recipiatur in agente, an in passo? *Resp.* Eam ab agente egredi; in passo tamen recipi inhæsivè. Sic Aristoteles: (6) *Agentis, moventisque operatio in ipso patiente suscipitur, atque*

inest

(5) *Div. Thom.* 3. *Physic. lect.* 5. (6) 3. *de Anima, text.* 138.

ineſt : Sic etiam D. Thomas. (7) *Ipſa actio eſt in facto, ut ædificatio in eo, quod ædificatur.* Ratio eſt : quia actio formaliter tranſiens, cum ſit quodammodò oppoſita formaliter immanenti, oppoſito quoque modo conſtitui, oppoſitumque ſubjectum habere debet ; ſed actio formaliter immanens conſtituitur talis per formalem permanentiam in agente, in quo proindè recipiatur : Ergò pariter actio formaliter tranſiens, conſtitui debet, non per hoc præcisè, quòd in paſſo aliquid efficiat, ut nonnulli volunt, quia id efficit actio ſolùm virtualiter tranſiens, qualis eſt actio Dei, & Angeli ; ſed per hoc, quòd formaliter tranſeat ad paſſum, in quo proindè formaliter ſubjectetur.

18 *Oppones* : Actio formaliter tranſiens in eo recipitur, quod formaliter denominat, & cui ſuum formalem effectum tribuit ; ſed non paſſum, ſed agens denominat actio formaliter tranſiens, huic, & non illi ſuam formalem communicat denominationem, alioquin paſſum denominaret *agens* : Ergò. *Reſp.* diſt. maj. In eo recipitur, quod formaliter denominat ſub conceptu *in*, ſeu *inhæſionis*, & cui tribuit ſuum formalem effectum inhæſivè, concedo maj. In eo, quod formaliter denominat ſub conceptu *ab*, ſeu *egreſſionis*, & cui ſuum effectum formalem tribuit egreſsivè, nego maj. Et è contrà diſt. min. nego conſeq.

19 Actio itaque formaliter tranſiens, cum ab agente egrediatur, & formaliter tranſeat ad paſſum, ex duplici conceptu conſtituitur : alter eſt conceptus *ab*, ſeu egreſsionis, qui ſpecificus eſt, actioniſque diſtinctivus ab aliis accidentibus : alter eſt conceptus *in*, ſeu *inhæſionis* genericus, omnique accidenti communis. Primaria actionis denominatio ſub priori conceptu eſt denominatio agentis, quæ non communicatur ab actione per inhærentiam, ſed per egreſsionem à ſuo principio : primaria verò denominatio ſub conceptu *in*, eſt denominatio *acti*, ſeu *effecti*, quæ non communicatur

(7) 9. *Met. lect.* 8. *& ſæpè aliàs.*

municatur per egressionem, sed per inhærentiam: Undè actio denominat agens egrediendo ab agente, non ipsi inhærendo; passum denominat non inhærendo, sed egrediendo.

20 *Dices* 1. Non potest alicui communicari specificus formæ conceptus, quin eidem genericus communicetur; sed conceptus *ab* est actioni specificus, & conceptus *in* est genericus: Ergò, si actio denominat agens sub conceptu *ab*, ipsum quoque denominat sub conceptu *in*. *Secundò*: Relatio formaliter denominat relatum subjectum, non terminum: Ergò actio denominat formaliter inhæsivè agens, non passum: habet enim relatio conceptus *in*, & *ad*; sicut actio conceptus *ab*, & *in*. *Tertiò*: Nihil intrinsecè immutatur, nisi per intrinsecam formæ immutantis receptionem; sed agens per actionem immutatur intrinsecè: Ergò.

21 *Ad* 1. dist. maj. Nequit communicari conceptus specificus, quin genericus communicetur, si forma, cujus sunt conceptus, sit absoluta, concedo maj. Si forma sit successivè connotativa, subdist. Nequit communicari entitativè, concedo; denominativè, nego maj. Actio secundùm conceptus *in*, & *ab*, idem est in re: Cum ergò egreditur actio entitativè ab agente, entitas utriusque conceptus egreditur; sed ita non explicatur conceptus *in*, sed *ab*; sicque hic, & non ille suam præbet *agentis* denominationem: Et cum recipitur in passo, utriusque conceptus entitas recipitur; sed ita non conceptus *ab*, sed *in* recipitur, denominatque. *Atque hinc* uterque conceptus entitativè communicatur agenti, egrediendo; uterque passo, inhærendo: connotativè autem conceptus *ab* solùm agenti, conceptus *in* passo tantummodò communicatur.

22 *Ad secundum* concesso ant. nego conseq. Relatio enim penes conceptum *in* respicit subjectum, cui proindè inhæret; non terminum, nisi per conceptum *ad*: Actio autem è contrà. *Adde*: quòd relatio est accidens respiciens terminum,

terminum, ut aliquid extrinsecum; actio autem est forma vialis, nedum respiciens, sed formaliter tendens ad terminum intrinsecè perficiendum. *Ad tertium* nego maj. Sufficit enim intrinseca, & immediata egressio formæ ad intrinsecam immutationem per modum principii, quamvis non per modum subjecti. *Nec dicas*: Creaturam egredi à Deo sine hujus mutatione: *Quia* egreditur extrinsecè, ut effectus productus, non ut actio, & intrinsecè.

23 *Atque* ut alia plurima solvas, *nota* 1. Totam actionis entitatem egredi ab agente, transire ad passum, atque in eo recipi: Est igitur primò in agente egressivè, atque ita ipsum denominat *agens*, ipsaque denominatur *Actio*: est insuper in medio transeunter, sicque illa denominatur *Motus*: demùm recipitur in passo, quod proindè denominat *actum*, seu *passum*, ipsaque dicitur *Passio*. *Nota* 2. D. Thom. multoties satis expressè asserere, actionem esse perfectionem agentis, ei inesse, in ipso recipi, aliaque hujusmodi: Sed loquitur de actione immanenti: aut vult solùm, actionem esse perfectionem agentis, aut in eo esse egressivè, quoniam ab eo egreditur.

24 *INQUIRES* 3. Ad quæ prædicamenta proprius detur per se Motus? Datur Motus per se, & per accidens. Primus est, qui per se est in mobili, & non ratione alterius; ut quando homo deambulat; & qui per se ad terminum terminatur. Secundus est, qui ratione alterius Motus est in mobili, & quem terminus ratione alterius terminat, ut cum homo movetur motu navis. *Insuper* Motus proprius est successivus, de cujus ratione est 1. ut sit inter terminos positivos: 2. ut termini sint aliqualiter oppositi: 3. ut inter ipsos sit latitudo successivè percurrenda, qualis est inter quantitatem palmarem, & bipalmarem, inter qualitatem intensam ut duo, & intensam ut quatuor.

25 *Resp.* Ad *qualitatem* tantùm, *quantitatem*, & *ubi* proprius datur per se Motus; secùs ad alia prædicamenta.

Ratio

Ratio primi est: Quia Motus intensionis, augmentationis, & Motus localis sunt propriè Motus, habentque conditiones suprà requisitas, ut meditanti patebit; sed primus ad qualitatem, secundus ad quantitatem, tertius ad ubi per se terminatur: Ergò. *Ratio secundi est*: Quia substantia fit in instanti, solùmque terminat substantialem generationem, aut aggenerationem; de quibus non verificantur prædictæ conditiones: Actio, & Passio sunt cum Motu identificatæ, ad quas proindè nequit Motus terminari, nisi detur actio actionis, & motus ad motum. Reliqua Prædicamenta fiunt per resultantiam, non per se; neque fiunt ex termino positivo contrario, ut patet.

26 *Oppones*: Nutritio, seu aggeneratio est motus successivus, cum paulatim fiat; sed terminatur ad partem substantiæ: Ergò. *Conf.* Ad relationem non datur per se motus, quia fit per resultantiam ex positione fundamenti; sed quantitas fit etiam ex positione substantiæ materialis, ut proprietas illius: Ergò. *Ad arg.* resp. nutritionem esse successivam, non per se, & ratione partis substantiæ productæ, sed ratione augmentationis quantitatis, cum qua associatur; nisi enim hæc foret, nutritio partium substantiæ fieret in singulis instantibus interruptis, seu mediatis. *Ad Conf.* resp. quantitatem totalem in prima sui productione fieri per resultantiam: at ejus augmentum fit per se, & successivè motu continuo.

27 *INQUIRES* 4. Utrum idem mobile motibus contrariis moveri valeat? *Resp.* 1. Idem mobile secundùm se totum, aut penes eamdem partem nequit per se moveri motibus oppositis. *Ratio est*: Quia idem lignum nequit simùl calefieri, & frigefieri, secundùm idem; aliàs simùl accederet, & recederet à calore, simùl recederet, & accederet ad frigus: nequit idem homo ascendere, & descendere, aut pergere antrorsum, & retrorsum, propter eamdem rationem. *Resp.* 2. idem mobile posse moveri contra-

riis motibus ſecundùm diverſas partes. *Ratio eſt*: Quia poteſt ſecundùm unam calefieri, penes aliam frigefieri; ſecundùm hanc creſcere, & minui ſecundùm illam.

128 *Reſp.* 3. Idem mobile moveri poſſe ſecundùm ſe totum motibus contrariis, ſi unus ei per ſe conveniat, alter per accidens, aut per accidens uterque. *Primum* patet in eo, qui motu proprio movetur ſuper currum, vel navim versùs orientem, ſimùlque per motum navis, aut currus agitatur versùs occidentem, licet primus motus illi per ſe conveniat, ſecundus per accidens. *Secundum* conſtat in eodem Chriſti corpore, quod per accidens ad ſpecierum conſecratarum motus ſimùl ſurſum, & deorſum movetur in diverſis altaribus.

129 *Oppones*: Calor, & frigus in remiſſo poſſunt ſimùl eſſe in eadem parte ſubjecti: Ergò, & motus frigefactionis, & calefactionis; præcipuè, cum motus iſti à ſuis terminis, habeant contrarietatem. *Conf.* Si eidem parti ſubjecti agens frigidum, & calidum applicentur, ſimùl calefiet, & frigefiet: Ergò. *Ad arg.* nego conſeq. Quia calor, & frigus in remiſſo non opponuntur in facto eſſe; opponuntur autem in fieri ob repugnantiam acceſſus, & receſſus ejuſdem omninò ſubjecti reſpectu ejuſdem termini: atque ab iis in fieri ſumitur illorum motuum contrarietas. *Ad Conf.* dicimus: Illa duo agentia fore ſe ſe mutuò impeditura propter notam ſuarum actionum repugnantiam.

ARTICULUS II.

De Mutatione generativa, ſive de ſubſtantiali rerum Generatione.

130 VEram dari creatæ ſubſtantiæ Generationem, ab antiquiſſimis uſque temporibus adeò certum omnibus viſum eſt, ut ocularis experientia in frequen-

ti

ti rerum ortu, atque principio illius existentiam reddiderit evidentem. At, ubi ad explicandam, definiendamque Generationis naturam pervenerunt, in varias opiniones abierunt veteres, recentioresque Philosophi. Hi enim, qui rerum omnium naturam, non ex materia, & forma peripateticis; sed ex diversis atomis, aut particulis, cujuscumque indolis illæ sint, compositam esse arbitrabantur, veram substantialis generationis naturam in eo esse positam existimarunt, ut absque novæ prorsùs, atque à veteri simpliciter, & absolutè distinctæ substantiæ productione, vetus substantia sic alteretur, ut ejus particulæ novo quodam ordine permisceantur, perturbentur, & disponantur.

12 Quemadmodùm itaque rei cujuscumque natura non ex aliis componitur, juxta hos Philosophos, quàm variis, varièque figuratis atomis, seu diversis particulis sic, vel aliter adunatis: ita, dum res ipsa eò usque alteratur, ut ejus partes novo quodam ordine, & textura disponantur, ut exindè novarum proprietatum, accidentium, vel sensibilium affectionum nova congeries oriri videatur; veterem illam substantiam corrumpi, atque novam hanc denuò generari, ipsi opinati sunt. Atque ita, cum ex ligni combustione generatur ignis, ligni entitas nulla perit simpliciter: sed, quoniam ejus atomi, seu corpuscula sic alterantur, & permiscentur actione ignis comburentis, ut non jam ligni accidentia, sed ignis affectiones appareant; ligni quoque atomi novo, qui ignis naturæ proprius est, ordine combinantur.

13 *Cæterùm* hanc antiquorum Philosophorum opinionem ab Aristotele olim (1) omninò sepultam, & à Recentioribus multis denuò excitatam fusè rejecimus *lib. 1. quæst. 3. art. 1. à num. 24. & seq.* Atque ideò brevitati consulentes, hìc alia multa, quibus Recentiores Peripathetici eam impugnare solent, omittimus. Hoc tamen unum adverte:

(1) 1. *Physic. ferè per totum, & lib. de Gen. ac D. Thom. ibid.*

à nonnullis Atomistis ita generationem exponi, ut non præcedentium atomorum nova sit combinatio, & dispositio, sed potiùs veterum expulsio, seu dissipatio, & novarum introductio: ut, cum ex ligno generatur ignis; è ligno excludantur ligneæ atomi, & igneæ ibi aggregentur ab igne comburente.

4 Aristoteles autem, cum supradictam antiquorum Philosophorum doctrinam, veluti rudem, & imperfectam funditùs evertisset; aliam longè meliorem explicandæ Generationis viam deprehendisse, judicavit. Undè ad substantialem rerum Generationem, non modò novam partium, seu atomorum, & sensibilium proprietatum congeriem in re genita de novo fieri putavit; verùm etiam novum esse ab esse veteri simpliciter diversum: ut proindè, cum ignis ex ligno gignitur; nihil de ligni forma, ne tenuissima quidem particula, in igne supersit; ac nihil de forma ignis de novo geniti in ligno præextiterit: sola namque materia prima transit de una in aliam formam.

5 Atque hujusmodi dari substantialem Generationem duplici ratione probari potest. *Primò* à priori: (2) Nam Mundi perfectio exigit, ut in eo sint omnia substantiarum genera; atqui est substantia prorsùs ab intrinsecò entitativè ingenerabilis, & incorruptibilis, qualis est substantia spiritualis: Ergò dari debet substantia ab intrinsecò entitativè corruptibilis, & generabilis: Ergò admittenda est actio, quæ non modò sit antiquarum partium dispositiva, sed novæ quoque entitatis productiva.

6 *Secundò* à posteriori suaderi potest: Substantia est veluti basis, origo, & radix omnium, quæ in re sunt, proprietatum, & accidentium; sed ex repentina totius ædificii ruina colligimus, fuisse diruta ejus fundamenta; ex rivuli turbatione originis, seu fontis vitium deprehendimus; ex ramorum ariditate novimus radicis corruptionem: Ergò ex

(2) *Div. Thom. opusc. 2. cap. 74.*

ex repentina, & irreparabili omnium rei naturalis proprietatum, & accidentium ruina, quam sæpè ad oculum cernimus in morte animalis, in ligni combustione, &c. entitativa præcedentis substantiæ corruptio, atque novæ simpliciter diversæ generatio inferri debet.

7 Generatio itaque communiter sumpta, quatenùs præscindens à substantiali, & accidentali, est: *Productio rei ex subjecto præsupposito.* Ac proindè Generatio substantialis, quæ propriè talis est, cum ea fiat ens simpliciter, definiri solet: *Productio substantiæ ex præsupposito subjecto.* Aut etiam, sumpta pro substantiali materiæ mutatione: *Transitus de non esse substantiali ad esse substantiale.* Generatio autem accidentalis, qua non fit res simpliciter, sed de non tali fit talis, ut calida ex non calida, est: *Productio accidentis ex subjecto præsupposito.* Vel etiam: *Transitus de non esse accidentali ad esse accidentale.*

8 Atque hìc iterùm reponi poterat, substantiam fieri posse per creationem, per conversionem, per mutationem, ac per simplicem Generationem, ut diximus *lib. 1. quæst. 1. art. 5. num. 9.* Vide ibi. Quandoquidem verò inter omnes rerum Generationes potissima est viventium Generatio; hæc quoque juxtà dicta definiri poterat: *Productio substantiæ viventis ex præsupposito subjecto*: atque ita comprehenditur viventis Generatio ex putri, quam plures admittunt. *Sed* longè meliùs perfectorum saltem viventium Generatio exponitur ex D. Thoma: (3) *Orìgo viventis à vivente, à principio vitæ conjuncto, in similitudinem naturæ vi formalis processionis.*

9 Ubi *Orìgo viventis à vivente* significat vitalem influxum, sive sit causalis, aut solùm originis, ut ita comprehendat Verbi Divini generationem. Hic autem influxus, & debet terminari ad vivens, & à vivente, quatenùs tali, seu vitaliter operante, oriri. Undè, cum vermes, aliaque

(3) 1. *part. quæst.* 27. *art.* 2. *& alibi sæpè.*

aliaque animalia imperfecta ex putri generantur; aut hujusmodi generatio non est propria, aut per hanc definitionem non exprimitur, sed per priorem, quam suprà dedimus. Neque productio Evæ ex Adæ costa fuit vitalis generatio, neque illa fuit Adæ filia: quia, licet illa fuerit à vivente materialiter; non verò formaliter, ut tali, seu vitaliter operanti: ideò propriùs fuit ex vivente, quàm à vivente producta.

10 Additur in definitione: *A principio vitæ conjuncto*; atque his verbis significatur, Generationem viventium oriri, nedùm à vivente, sed à principio materiali ipsi viventi intrinsecè conjuncto; quod principium, etsi fuerit generantis proprium, in ipso generationis momento proli intimè conjungitur, ipsique appropriatur. Sic in Filio Divino est eadem natura Patris; & in creatis materia seminis utriusque parentis, quæ prolis *materia primigenia* dici solet. *Hinc* aves, quæ aliena ova forinsecùs excubantes, pullos educunt, non sunt pullorum parentes; sed aves illæ, quæ ova pepererunt. *Hinc* etiam, si ex dœmone incubo, & fœmina nasceretur animal; dœmon non esset illius pater, sed illud animal, cujus deciſſum semen dœmon excepisset.

11 Additur insuper: *In similitudinem naturæ*: quo significatur, ex vi originis, & ex innata generantis intentione debere in prolem per se refundi specificam naturæ convenientiam cum suo principio. Cum hoc tamen stare potest per accidens, ex diversorum seminum comixtione, & præter innatam generantium intentionem, ut proles in tertia quadam specie sit, nec parentibus per omnia similis; ut, cum mulus ab equo, & asina, aut ab asino, & equa gignitur. Ea itaque convenientia maxima esse debet, quæ dari potest inter distincta suppositа: Cum autem in divinis sit per identitatem; pater, & filius conveniunt in eadem natura identicè: at cum in creatis solùm per similitudinem esse possit; ita, & non aliter, conveniunt pater, & filius in creatis.

Tandem

12 Tandem in definitione Generationis viventium additur: *Vi formalis processionis*, ut significetur, formalem illam naturæ similitudinem proli convenire, non alio titulo, sed præcisè vi formalis originis à generante; ita, ut actio, qua illa producitur, sit ex se assimilativa termini producti cum principio producente, & generantis intentio sit terminum productum sibi assimilare. *Atque hinc* in divinis processio Verbi est generatio; secùs processio Spiritus Sancti: nam Filius procedit per intellectionem, quæ est actio ex se assimilativa, dicitur enim res intellecta, quatenùs est in intellectu secundùm suam similitudinem; at Spiritus Sanctus procedit per volitionem, quæ est actio impulsiva, non verò assimilativa. (4)

Nonnullæ Quæstiones.

13 *INQUIRES* 1. Utrum Generatio, & formæ substantialis eductio sint actiones realiter distinctæ? *Resp.* negativè. *Ratio est.* Quia formam educi, est formam in ipsa materia fieri, & dependenter ab illa, tamquàm à causa recipiente formam, & passivam productionem formæ, ut alibi (5) dicebamus: at formam fieri in materia ipsa eam recipiente, est formam uniri materiæ; atque adeò eadem actione, qua educitur, materiæ unitur. *Nec dicas*, actionem unitivam supponere extrema unibilia. *Nam* supponit utique extrema unibilia, non præcisè existentia, nisi sint per accidens unibilia, ut lapides; sed ut proximè capacia ad existendum.

14 *INQUIRES* 2. Quisnam sit terminus substantialis Generationis? *Resp.* 1. Terminus *qui* substantialis Generationis est suppositum. *Ratio est*: Quia terminus *qui* Generationis est ille, qui Generationem terminat, tamquàm id, quod est, seu habet esse *ut quod*, cum fieri, & esse ejusdem rei sibi correspondeant; sed solùm suppositum, seu concretum

(4) *V. D. Thom.* 1. *part. quæst.* 27. *art.* 4.
(5) *Lib.* 1. *quæst.* 3. *art.* 2. *num.* 5.

concretum ex natura, & ſubſiſtentia terminat generationem, tamquàm id, quod eſt, ſeu habet eſſe *ut quod*: Ergò. *Adde*: Suppoſitum eſt principium *quod* generationis: Ergò eſt terminus *qui* generationis, cum non minùs paſsiones, quàm actiones ſint ſuppoſitorum.

15 *Si opponas*: Terminum generationis Beatæ Mariæ Virginis non fuiſſe Divinum Chriſti ſuppoſitum, ſed naturam humanam. *Reſp.* non fuiſſe Divinum ſuppoſitum ſecundùm ſe; benè verò prout ſubſiſtens reduplicativè in natura humana. *Dicendum eſt ergò, quòd Beata Virgo dicitur Mater Dei, non quia ſit Mater Divinitatis; ſed quia perſonæ habentis Divinitatem, & humanitatem, eſt mater ſecundùm humanitatem.* (6) Pro aliis diſſolvendis, adverte, Generationem ſubſtantialem per ſe tendere ad ponendam rem ſub exiſtentia ſubſtantiali ſuppoſitum præſupponente.

16 *Reſp.* 2. Terminus *quo* partialis in ſubſtantiali Generatione eſt forma ſubſtantialis: terminus autem *quo* totalis eſt natura (ut humanitas reſpectu hominis) qua ſuppoſitum conſtituitur. *Ratio eſt*: Quia terminus *quo* ſubſtantialis Generationis eſt illud, quo terminus *qui*, ſuppoſitum nempè, conſtituitur; ſed ſuppoſitum conſtituitur per formam ſubſtantialem, veluti per formam partialem, & per naturam, tamquàm per formam totalem: Ergò. *Nec dicas*: Animam rationalem non generari, ac proindè non eſſe Generationis terminum. *Quia* non eſt terminus, quoad entitatem, & eſſe, ſed quoad adeſſe; ſufficit enim, eam eſſe terminum formaliter unitum, ut ſit Generationis terminus.

17 *INQUIRES* 3. Quodnam ſit inhæſionis ſubjectum Generationis ſubſtantialis? Non loquitur de ſubjecto denominationis, quod abs dubio eſt ſuppoſitum genitum, utpotè *generatum*: Non de ſubjecto tranſmutationis, quod facilè eſt

(6) *D. Thom. 3. part. quæſt. 35. art. 4. ad 2. Vid. Guerin. 3. part. Phyſic. quæſt. 1. art. 2.*

est materia prima, quippè transmutata de non esse ad esse. *Resp.* Subjectum inhæsionis esse suppositum genitum. *Ratio est*: Quia Generatio, saltem diffusivè accepta, est actio transiens, de cujus ratione est, in passo recipi, ut satis ostendimus suprà. *Adde*, actionem generativam, utpotè accidens, materiæ primæ nudè sumptæ, quatenùs incapaci formæ secundæ, & accidentalis sine prima, & substantiali, ut per se patet, inesse non posse.

18 *INQUIRES* 4. An ultima dispositio ad formam substantialem à forma ipsa effectivè procedat? Alia est dispositio prævia, quales sunt illæ omnes, quibus compositum per alterationem disponitur ad novam formam; ut cum lignum per calorem præparatur ad formam ignis: alia est ultima, seu concomitans, qua ultimò tandem disponitur materia ad receptionem formæ, quam illa dispositio comitatur: ejusmodi est calor summus, quem appellant *calorem ut acto*, ad formam ignis. *Resp.* jam ad quæsitum affirmativè cum D. Thoma (7) asserente: *Calor, qui fuit dispositio ad formam ignis, est effectus profluens à forma ignis jam præexistentis.*

19 *Ratio est*: Quia ultima ad formam substantialem dispositio ea est, quæ ultimò quoquo modo materiam ad illius formæ receptionem disponit; sed hujusmodi dispositio ab ipsa forma effectivè procedit: Ergò. Prob. min. Ea ultima dispositio formam ita comitatur, ut sit cum illa innatè connexa, & ab ipsa naturaliter exacta, ut patet in calore summo respectu ignis; sed omnis dispositio à forma naturaliter exacta, & cum ipsa naturaliter connexa, ab illa effectivè procedit, velut physica ejusdem proprietas, per simplicem emanationem: Ergò. Vide, quæ diximus de proprietatum emanatione, *lib. 2. quæst. 2. art. 1. à num. 73.*

20 *Deindè*: Non repugnat, imò connaturale plurimum est, ultimam accidentalem dispositionem ad formam

(7) *3. part. quæst. 7. art. 13. ad 2.*

ab ipsa forma in genere causæ efficientis procedere, ac simùl ad formam in genere causæ materialis disponere: *Tum*, quia causæ diversi generis sunt sibi invicem causæ, ut alibi (8) diximus ex Aristotele. *Tum* etiam: quia materiæ organizatio causatur ab anima; est tamen ad ipsam dispositio: tenebrarum expulsio est quodammodò dispositio ad cubiculi illuminationem, à qua illa effectivè procedit: demùm appertio fenestræ ab aeris ingressu, ad quem est dispositio, multoties efficitur.

21 *Atque hinc* plurimùm observa: Eodem reali temporis momento, quo forma ponitur in materia, ultimam quoque dispositionem à forma dimanare, eamdemque recipi non in materia nudè sumpta, sed in toto composito; sed ultimò adaptando materiam, ut formam, quàm simùl habet, habeat quasi digniùs, & connaturaliùs. *Undè* forma, illaque dispositio sunt simùl tempore: ast forma est prior prioritate naturæ, tum in genere causæ efficientis, tum in genere causæ materialis receptivæ, quippè quæ dispositionem toti composito inhærentem recipit: sed dispositio illa est prior, quàm forma eadem naturæ prioritate in genere causæ materialis dispositivæ. (9) Atque his adversa argumenta facilè solvuntur.

ARTICULUS III.

De Mutatione Corruptiva, sive de Substantiali rerum Corruptione.

1 EX ils, quæ de generationis existentia, & natura superiori articulo diximus, Corruptionis quoque natura, & existentia facilè intelligi, deprehendique

(8) *Lib. 2. quæst. 1. artic.*

(9) *V. Div. Thom. in 1. dist. 17. quæst. 1. art. 4. apud Pal. quæst. 5. de Gen.*

que possunt. Antiquiores enim, recentioresque Philosophi, qui substantialem rerum generationem sic explicant, ut eam absque ullius novæ substantiæ à veteri entitativè diversæ productione, sed per novam tantummodò antiquarum atomorum, partiumvè turbationem, ordinem, dispositionemque contingere opinentur, Corruptionem quoque non alio modo evenire putant, quàm ut, cum rei cujuscumque atomi, seu particulæ eò usque perturbantur, & commoventur, ut non jam affectiones antiquæ, ac vetera accidentia in re illa nostris sensibus obversentur, rem ipsam destrui, & absque ulla suæ entitatis jactura substantialiter corrumpi, arbitrentur.

2 *Cæterùm* omnes Peripatetici, ut veram substantiæ generationem non aliter evenire posse existimant, quàm ut novum esse ab esse veteri simpliciter, & absolutè distinctum producatur; sic veram substantiæ Corruptionem appellant actionem illam, qua non modò substantiæ particulæ commoventur quousque vetera accidentia, seu affectiones dispareant, verùm etiam antiquum esse, quod substantialem formam appellant, pereat omninò. Atque ideò, cum lignum vi caloris corrumpitur, nedùm ligni accidentia, sed ejus quoque substantialis forma destruitur, ut in eamdem materiam substantialis forma ignis introducatur.

3 Hanc Aristotelis opinionem eadem rationum vi, & efficacia probari potest, quibus convincitur, dari Aristotelicam substantiæ generationem, ut superiori articulo dictum est. Igitur, juxta Aristotelem, definienda est Corruptio substantialis: *Actio, qua substantialis forma de sua materia expellitur.* Aut etiam, quatenùs mutatio quædam materiæ: *Transitus de esse substantiali ad non esse.* Atque hinc, si forma substantialis materialis est, statim ac de materia excluditur, jam non est; cum naturaliter esse nequeat sine materia: at forma spiritualis, qualis est rationalis anima, etiam à materia excluſa persistit separata.

Præcipua Quæstio.

4 *INQUIRES* 1. Utrum in substantiali rerum Corruptione usque ad materiam primam fiat resolutio? *Ideſt*: An pereant cum forma substantiali omnia rei corruptæ accidentia? *Resp.* affirmativè cum D. Thoma (1) asserente: *Dicendum ergò, quòd non manet idem numero accidens in corrupto, & in genito; sed id, quod priùs erat, corrumpitur per accidens corruptione subjecti, recedente forma: : : & advenit simile accidens consequens formam de novo advenientem.* Id ipsum confirmat Aristoteles, cum generationem definit: (2) *Mutatio totius in totum, nullo sensibili manente.*

5 Ratio nostræ resolutionis est: Quia accidentia sine suo connaturali subjecto nequeunt naturaliter existere: illo igitur pereunte, ea quoque deficere, necesse est. Atqui connaturale subjectum accidentium non est materia prima in corruptione persistens, ea enim sine actu primo substantiali nequit secundum actum accidentalem recipere, alioquin actus accidentalis redderetur primus, & substantialis: Ergò connaturale subjectum accidentium est compositum; quod enim sustentat accidentia, debet in se subsistere, aliàs deberet ab alio sustentari, atque hoc ab alio, sicque in infinitum. Destructo igitur substantiali composito, ut re ipsa destruitur in Corruptione substantiali; omnia quoque accidentia destruuntur.

6 *Deindè*: Si materia prima cum antiquis accidentibus compositi corrupti transiret ad recipiendam novam formam, *sequeretur* 1. materiam inveniendam fore ab illa forma nova informatam jam accidentibus antiqui compositi: Sed hinc *sequeretur*, novam formam non fore primum actum materiæ primæ; non secùs, ac si illam inveniret corporeitatis forma, aut alia substantiali informatam: Ergò,

Sequeretur

(1) 1. *de Ortu, cap.* 4. *tit.* 23. *lect.* 10.

(2) *Lib.* 1. *de Gen. cap.* 4. *text.* 23.

Sequeretur 2. accidentia illa, cum nequeant ab alio, quàm à ſuſtantiali compoſito, individuari, ut ex nuper dictis deprehendi poteſt, fore eadem numero, ut ab Adverſariis prætenditur: & non fore eadem numero, ſed diverſa; variato quippè individuationis principio, individuatum etiam numero variari debet: Ergò.

7 *Argues* contra noſtram reſolutionem: (3) Occulari experientia percipimus, paſsim in cadavere manere quantitatem, figuram, organizationem, cicatricem, pluraque alia accidentia carnis, & oſsis, quæ fuerunt in homine vivo: paſsim etiam in carbone ignito permanet gravitas à forma ignis aliena: in aceto plures vini qualitates ſuperſunt: in igne ex materia ſulphuris accenſo remanent color, odor, aliaque accidentia magis ſulphuris, quàm ignis propria: Falſum eſt igitur, quòd in inſtanti corruptionis compoſiti omnia illius accidentia ſubitò evaneſcant.

8 *Si dicamus*: Senſus noſtros circa individuationem ejuſmodi accidentium in his, & ſimilibus experimentis abs dubio falli; ac proindè corrigendos eſſe ratione naturali oppoſitum ſuadenti. *Inſtant*: Senſus corrigere tenetur nemo, niſi in obſequium Fidei, quæ circa rem præſentem nihil decernit, aut in gratiam manifeſtæ rationis: Atqui ratio in præſenti ſenſibus manifeſtè ſuffragatur: Ergò. Prob. min. Si contingat Æthiopem ſubita molle nivis oppreſſum mori, poſt ejus mortem ſunt in ejus cadavere calor aliquis, nigror intenſus, & organizatio; ſed hæc accidentia à nulla cauſa denuò produci, manifeſta ratio ſuadet: Ergò.

9 Prob. min. Ea accidentia non producuntur à materia prima, ut eſt certum: non ab accidentibus prioris compoſiti, quæ jam non exiſtunt: non à cauſis circunſtantibus, quia nix non eſt productiva nigredinis, nec caloris, neque organizationis humanæ: non à forma cadaverica, cui calor contrarius eſt, & nigredo non magis utilis, quàm albedo:

(3) *P. Loſſad. tract. de Gen. diſp. 2. cap. 4.*

bedo : non denique à causa universali, quia hæc nihil in materia operatur, nisi ad exigentiam causæ particularis; & hujusmodi in casu proposito non apparet exigentia: Ergò.

10 *Conf.* 1. Calor, quo materia ligni disponitur tempore præcedenti ad formam ignis, non perit in instanti generationis ignis : Ergò. Prob. ant. Calor ille prævius exigit adventum formæ ignis, ad quem disponit : non ergò perit, ignis forma adveniente ; alioquin exigeret sui destructionem, quæ necessariò resultaret ex adventu illius formæ. *Vel aliter* : Si calor perire debet, pereunte subjecto; cum propriam exigat conservationem, exiget pariter conservationem ligni ; sed aliundè exigit adventum formæ ignis, cum ad illam disponat : Ergò exigit duas simùl formas incomposibiles.

11 *Conf.* 2. Calor ille prævius non perit in primis ex impugnatione contrarii ; non enim contrariatur illi nova forma ignis cum suis accidentibus : non deindè ex defectu causæ efficientis, cum adsit ignis lignum comburens : non denique ex defectu subjecti, seu causæ materialis, cum adsit materia prima : Ergò. *Urg.* Quamvis compositum sit subjectum connaturale accidentium, hæc deficere non debent ex defectu subjecti, dummodò aliud substituatur eodem loco, & tempore ad illorum sustentationem : Ergò. Patet ant. multipliciter. *Primò* : Anima equi, materialis quippè, pendet à materia, quam nihilominùs deperdit, dum novam per nutritionem acquirit.

12 *Secundò* : Magis à forma dependet materia, quàm accidens à subjecto ; at pereunte una forma, dummodò alia subrogetur, eadem materia perseverat. *Tertiò* : Compositum non recipit accidentia, nisi prout subsistens ; & tamen, mutata subsistentia (v. gr. si, destructa humana, succederet subsistentia Divina) non ideò accidentia omnia variari deberent. *Quartò* : Calor ab una causa productus, ab

alia

alia conſervatur: ut accidit in calore aquæ ab uno igne producto, & ab alio conſervato. *Adde*: quòd, ſi prævia diſpoſitiones materiæ pereunt in inſtanti generationis; materia in eo inſtanti non habebit undè determinetur, ad unam potiùs, quàm ad aliam formam.

13 *Ad arg.* reſp. approbando ſolutionem poſitam *n.* 8. Nam numerica rerum unitas, aut diverſitas non eſt ſenſibus committenda: *Tum*, quia non pertinet ad eorum objecta, ſed ad ſphœram intellectus: *Tum* etiam, quia alioquin, cum ſimillimos homines, aut pecudes pro eodem homine, eademve pecude ſumunt interdùm ſenſus noſtri; ita, ratione inconſulta, foret intelligendum. Ratio igitur conſulenda eſt circa numericam rerum unitatem, vel diverſitatem; ut ſenſus noſtri, cum unitatem, aut diverſitatem his rebus affingunt, quibus ratio denegat, corrigantur. Cum itaque manifeſta ratio ſuadeat, peritura fore accidentia, quoties pereat eorum ſubjectum, ut evenit in Corruptione ſubſtantiali; tunc quoque accidentia omnia deficere, contra ſenſuum opinionem demonſtrat.

14 *Atque hinc* in cadavere manet eadem ſpecie quantitas, eadem figura, eadem organizatio, eademque cicatrix; ſed numero diverſæ: in carbone etiam totaliter ignito (plerùmque enim non eſt forma ligni totaliter conſumpta, quæ proindè ſolet gravitare) manet diverſa numero, ſpecie eadem gravitas eàdem infrà exponenda ratione, qua remanet calor in cadavere: eodem modò, atque æquo jure ſunt in aceto, quæ videntur accidentia vini; & in igne ſulphureo ſulphuris accidentia.

15 *Ad inſtantiam* poſitam *num.* 8. reſp. ea nova accidentia ab ea cauſa produci, à qua tu ipſe velis antiqua conſervari: non enim conſervari poſſunt à materia prima: non ab accidentibus prioris compoſiti, quippè ſunt ea ipſa: non à cauſis circunſtantibus, quia nix non eſt conſervativa nigredinis, caloris, neque organizationis humanæ: non à

forma

forma cadaverica, cui calor contrarius est: non denique à causa universali, quæ nihil in materia conservat, nisi ad exigentiam causæ particularis. Quam igitur veterum accidentium conservationis causam assignaveris, hanc ipsam nos ad novorum productionem inducimus. *Aut* assignabimus causam producentem formam cadavericam, quam novam admittunt Contrarii.

16 *Sed*, ut novorum accidentium causam inveniamus, facilis est recursus ad causam, sive universalem, sive particularem, quæ pro priori ad novam generationem similia accidentia produxit, & conservavit. *Tum*: quia causa, quæ pro illo priori materiam ad certam formam futuram destinavit, ad determinata quoque accidentia sibi similia (cum omne agens intendat sibi simile) disposuit; etsi aliàs ejusmodi accidentia, quia accidentibus formæ sequentis opposita, aut illis non cohærentia, in novo composito parùm durent, ab his quippè accidentibus destructa, quæ nova forma radicat.

17 *Tum* etiam: Quia, cum res omnis in rerum natura existens suam exigat conservationem, saltem quoad speciem, si nequeat quoad individuum conservari; in instanti Corruptionis, in quo pereant pristina accidentia necesse est, exigunt illa ulteriorem suæ speciei conservationem; cui exigentiæ ut consulant causæ naturales, ac præcipuè naturæ Author, similia in genito producunt accidentia eò usque duratura, ut ab accidentibus oppositis non permittantur. *Atque hinc* vides jam, calorem cadaveris non à gladio, aut nive produci, nisi instrumentaliter remotè, aut potiùs occasionaliter; sed à causa naturali, sive particulari, sive universali, quæ hominis corruptionem, & cadaveris generationem induxit; & instrumentaliter proximè à præcedentium qualitatum temperamento.

18 *Vides* iterùm, carbonis igniti gravitatem, aut radicari à forma ligni nondùm omninò corruptam, aut eodem

dem modò produci de novo, illa destructa, quousque ab igne sua levitate expellatur. *Vides* insuper, plura accidentia aceti esse illius propria, quamvis videantur vini qualitates, ob utriusque plurimam similitudinem: &, si vini sint propria, parùm durant; deque his idem est dicendum, ac de calore cadaveris. *Vides* demùm, sulphuream flammam, aut prunam plurimas secum admixtas habere posse sulphureæ materiæ particulas, quibus nutriatur, atque hinc procedere diuturniores illos sulphureos calorem, & odorem. *At*, si supponas totaliter sulphuris formam destructam; idem dicimus, quod suprà.

19 *Ad* 1. *Conf.* nego ant. Ad prob. concesso antecedenti, nego conseq. Licet enim ex adventu sequentis formæ sequatur destructio caloris præcedentis, non sequitur per se, & ex directa intentione generantis formam, aut disponentis materiam; sed per accidens, & præter illius intentionem, præcisè ex defectu subjecti: Unde, etsi calor præcedens exigat formam ignis, ex qua sequitur sui destructio, non exigit sui destructionem. *Ad alteram* formam ejusdem Confirmationis dicimus, calorem ligni primariò ex suo specifico conceptu exigere suam specificam conservationem, mediante forma ignis; & ex suo conceptu individuali suam exigere individualem conservationem, mediante suo subjecto. Cæterùm exigit novam formam, non quidem habendam simul cum forma ligni, sed pro casu destructionis formæ ligni; ut, si nequeat se in individuo conservare, specificam assequatur conservationem. Id parificari potest exemplo materiæ primæ simul gaudentis de forma possessa, & formam futuram appetentis. (4)

20 *Ad* 2. *Conf.* nego ant. quoad ultimam partem; cujus falsitas constat ex dictis *num.* 5. *& 6. Ad urg.* nego antec. *Ad* 1. *prob.* dicimus, animam equi pendere à materia quatenùs sufficienti ad suam conservationem: per nutritio-

(4) *Vide lib.* 1. *quæst.* 2. *art.* 5.

nem autem adquirit novam partem materiæ, reliquis materiæ antiquæ partibus, quæ ad illius conservationem sufficiunt, perseverantibus. Sed *verò* in Corruptione substantiali perit absolutè compositum, à quo, in quantùm tali, accidens individuatur. *Ad 2. prob.* dicimus, materiam dependere à forma in esse specifico positivo, quod variatur, variata forma: Cæterùm accidens pendet à composito in esse individuali.

21 *Ad 3. prob.* dicimus, compositum recipere accidentia, prout subsistens, si ly *prout* reduplicet conditionem ultimò disponentem compositum ad illorum receptionem; secùs, si reduplicet rationem formalem, quæ non est subsistentia, sed compositio substantialis: undè, variata subsistentia, si persistat idem compositum, possunt persistere eadem numero accidentia; secùs, si secùs. *Ad 4. prob.* nego conseq. Quia conservatio, de qua loquitur argumentum, est negativa, ut removens prohibens; quæ, cum extrinseca sit, etsi varietur, non sequitur intrinseca accidentis variatio: enim verò subjectum est causa intrinseca individuativa accidentis, ac proindè ex illius variatione sequitur intrinseca individualis variatio accidentis.

22 *Ad addit.* negatur assumptum: quia, sicut in primo non esse formæ præteritæ jam est forma subsequuta, quin pro aliquo instanti sit materia sine forma; ita in primo non esse præviæ dispositionis jam est dispositio concomitans formam sequentem, qua remanet materia disposita. Pro aliis solvendis *nota*, Aristotelem, & D. Thomam non semèl asserere, easdem manere in genito dispositiones, quæ erant in corrupto: Sed eos intellige de identitate specifica; non de numerica. *Nota 2.* In mixtis manere easdem specie qualitates, aut similes illis, quæ fuerunt in simplicibus; easdem quoque in specie, aut similes in alito iis, quæ fuerunt in alimento: si igitur simplicium, aut alimenti qualitates salutiferæ sint, sunt etiam salutiferæ mixti, aut aliti qualitates.

Aliæ

non *Aliæ Quæstiones.* datur

23 *INQUIRES* 2. Utrum Generatio, & Corruptio sint eadem actio, eademque mutatio? *Resp.* 1. Generatio, & Corruptio sunt realiter eadem actio, quæ per se, & primariò est Generatio, & per accidens Corruptio. *Ratio est:* Quia nemo, malum per se primò intendens, operatur: Ergò agens per actionem corruptivam non intendit per se primò destructionem formæ corrumpendæ, sed novi compositi effectionem, quam cum assequi non possit, nisi per illius formæ corruptionem, per accidens, & secundariò hanc corruptionem intendit. Atqui sufficit una actio ad duplicem terminum, alterum per se, & primarium, alterum secundarium, & per accidens: Ergò.

24 *Resp.* 2. cum D. Thoma: (5) *Generatio, & Corruptio sunt duæ mutationes.* Ratio est: Quia mutationum diversitas sumitur à diversitate terminorum *à quo*, & *ad quem*; sed Generatio habet pro termino *à quo* privationem, pro termino *ad quem* formam; Corruptio verò è contrà: Ergò. *Nec* obstat, quòd sint eadem actio: quia non inconvenit, per eamdem actionem diversimodè mutari materiam successivè; primò per transitum de esse ad non esse, deindè per transitum de non esse ad esse: atque ita eadem actio pro priori dicitur Corruptio, & pro posteriori Generatio.

25 *INQUIRES* 3. Quo sensu verùm sit: *Generatio unius est corruptio alterius.* Resp. id verùm esse in sensu identico, si sumatur Generatio in esse actionis, ut constat ex nuper dictis: at, si sumatur in esse mutationis, solùm est verum in sensu illativo, connexivo, & *per concomitantiam, quia de necessitate sunt simùl*, ut ait D. Thomas. (6) Ex

(5) 5. *Physic. text.* 7.

(6) *Quæst.* 28. *de Verit. art.* 6.

dictis inferes: In ordine executionis priorem eſſe Corruptionem Generatione; è contrà in ordine intentionis; imò Corruptio non eſt per ſe intenta ab agente naturali.

26 *INQUIRES* 4. Utrum res ſemèl deſtructa poſsit eadem numero reparari? *Reſp.* 1. Id nullatenùs fieri poſſe viribus agentis naturalis. Sic D. Thomas: (7) *Operatione naturæ, quod corruptum eſt, idem numero reparari non poteſt.* Ratio eſt: Quia numerica effectus unitas ab unitate actionis, qua producitur, maximè dependet: illa autem actio, qua effectus reparatur, nequit eſſe una numero cum ea, qua fuit ipſe productus, cum non ſit illa continua, ſed interrupta. *Adde*: Mortui reſurrectionem eſſe opus valdè miraculoſum: non ergò poteſt naturali virtute contingere: Ergò neque aliorum effectuum reproductio.

27 *Reſp.* 2. Res permanens jam deſtructa poteſt divinitùs reproduci; non autem ſucceſsiva. *Ratio primi eſt*: Quia, cum Deus non operetur actione tranſeunti, & ſucceſsiva, ac dependenti à conditionibus materialibus, ſed per actionem immanentem, & permanentem cum ſubſtantia identificatam; poteſt eàdem, qua primò effectum produxit, iterùm reproducere. *Quamvis igitur operatione naturæ hoc fieri non poſsit, ut corpus corruptum reparetur ad vitam; tamen virtute divina id fieri poteſt.* (8)

28 *Ratio ſecundi eſt*: Quia unitas rei ſucceſsivæ ex ſua ratione formali dicit, ſeu importat continuationem: Ergò implicat eam interrumpi, & ſimul eamdem eſſe numero: Atqui ad rei ſucceſsivæ reproductionem requiritur interruptio; non enim poteſt reproduci, quin priùs deſinat eſſe, ac denuò incipiat: Ergò implicat, eamdem numero rem ſucceſsivam reproduci.

(7) 4. *Contr. cap.* 81.
(8) *Div. Thom. ubi ſuprà.*

ARTI-

ARTICULUS IV.

De Motu Alterationis : Ubi *de Rarefactione, & Condensatione.*

1 ALteratio, juxta nominis ethymologiam, sumitur pro quocumque Motu, quo subjectum fit alterum : Sic Porphyrius (1) distinguit inter *facere aliud*, & *facere alterum*, ita ut primum sit proprium substantialis differentiæ ; secundùm verò accidentalis : quo pacto oculus etiam dùm videt, & aer cum illuminatur, alterari dicuntur. Strictè sumitur Alteratio pro mutatione in qualitatibus contrarium habentibus, qualis est calefactio, & frigefactio, seu Motus de calido in frigidum, de frigido in calidum, aut etiam de minùs calido ad magis calidum, & è contrà.

2 Atque hoc sensu definiri potest: *Motus substantiæ completæ ad passionem, seu passibilem qualitatem latitudinem habentem, & contrarietatem. Motus* sumitur pro mutatione, vel transitu subjecti de privatione qualitatis ad qualitatem, vel de una ad aliam, aut de una secundùm aliquem intensionis gradum ad ipsam secundùm alium gradum. *Undè* productio qualitatis in primo instanti existentiæ subjecti non est Alteratio, sed simplex generatio, seu eductio accidentalis. Additur, *substantiæ completæ* : hæc enim est transmutationis accidentalis subjectum ; sicut materia prima est subjectum substantialis mutationis. Additur insuper, *ad passionem, seu passibilem qualitatem* ; ut intelligatur ad hanc solam qualitatis speciem dari propriam, & rigorosam Alterationem.

3 Additur demùm, *latitudinem habentem, & contrarietatem*, ad significandum, non in his omnibus qualitatibus, quæ sunt tertiæ speciei evenire posse rigidam Alterationem,

(1) *Cap. de Different.*

tionem, ut patet in luce, & aliis; sed in illis tantùm, quæ latitudinem habent successivè percurrendam, idest plures, & minores suæ perfectionis gradus, simulque contrarietatem; ut sint calor, & frigus, albedo, & nigredo, &c. Triplex distingui solet Alterationis species, quarum prima dicitur *Simplex Alteratio*, secunda dicitur *Intensio*, sub qua comprehenditur etiam *Remissio*, tertia appellatur *Extensio*.

4 Simplex Alteratio contingit, cum subjectum qualitate aliqua privatum eamdem qualitatem de novo acquirit; ideò definitur: *Motus de non qualitate ad qualitatem in subjecto præexistenti.* Intensio tunc evenit, cum qualitas præexistens perficitur in eadem parte subjecti; ut, cum res alba redditur magis alba secundùm eamdem partem: quocircà definitur: *Motus de imperfecta ad perfectam qualitatis participationem.* Ubi nota, ly *imperfecta* non sumi absolutè; sed comparativè ad perfectiorem gradum per intensionem acquiribilem.

5 Remissio è contrà contingit, quando qualitas præexistens minuitur, redditurque imperfectior in eadem parte subjecti; ut, si res calida reddatur minùs calida: itaque definitur: *Motus à perfecta ad imperfectam qualitatis participationem.* Extensio denique in qualitatibus fit, cum qualitas in aliqua subjecti parte præexistens, ad alias ejusdem subjecti partes propagatur: ac definiri potest: *Motus qualitatis præexistentis ad novas partes ejusdem subjecti.* Sicut intensioni suum correspondet decrementum, Remissio scilicet; ita suum quoque respondet extensioni, quod dicitur *Contractio*, qua qualitas à pluribus ad pauciores subjecti partes contrahitur.

6 Qualitatis extensionem fieri per additionem novarum qualitatis partium, seu per additionem gradus ad gradum, omnes fatemur Peripatetici. Cæterùm circa qualitatis intensionem est inter eos plurimum dissidium expositum jam,

quantùm

quantùm par fuerat, in Metaphysica. (2) Id unum restat, Alterationem propriè dictam motum esse continuum, modò agens alterans passum, huic sit sine interrumptione applicatum: quia, si agens est continuò passo applicatum, cum aliunde forma, ad quam ejus actio terminatur, sit continuò, & successivè comparabilis; continuò, & successivè contingit Alterationis motus, ut patet in calefactione.

De Rarefactione, & Condensatione.

7 *Rarum est* (inquit Aristoteles) *quod sub magnis dimensionibus parum habet materiæ*: Densum verò, *quod sub parvis dimensionibus multum habet materiæ*. (3) Quod non est ita intelligendum, ut cum res aliqua rarefit, ejus materia minuatur, aut quantitas augeatur entitativè; sed quia quantitas diffusa eam materiam habet, quam sub ejusdem quantitatis compressione continere posset: Neque ita, ut cum condensatur res ipsa, ejus materia augeatur, aut minuatur entitativè quantitas; sed quoniam quantitas compressa eam materiam extendit, quam valet magis extendere per sui diffusionem.

8 Atque hujusmodi Rarefactionem, & Condensationem evenire posse, ac de facto sæpè contingere, docet experientia: etenim, dum aqua incalescit, abullitque; verè, & propriè rarefit; quandoquidem eamdem retinens individualem entitatem, dilatatur, majoremque locum occupat: quando autem aqua ipsa jam abulliens frigescit; verè, & propriè condensatur, cum minorem occupet locum per suarum ipsius partium compressionem. Similiter lac, oleum, aliique multi liquores calore rarescunt, frigore condensantur. At verò, quo pacto Condensatio, & Rarefactio fiant, aut undè procedant corporum Raritas, & Densitas, in quo demùm ipsæ consistant, multipliciter exponi solet.

Lucipus

(2) *Lib. 2. quæst. 5. art. 2.* (3) *4. Physic. cap. 9. tit. 48.*

9 Lucippus, Democritus, & Epicurus, aliique multi ex Recentioribus, cum interpoſita corporibus omnibus ſpatiola vacua ſupponant, per illorum ampliationem corpora rarefieri, & per eorumdem ſpatiorum conſtrictionem condenſari, arbitrantur. Id autem clariſsimo ſpongiæ, aut lanæ exemplo ſe nitidè explicare putant: Si enim ſpongia manu comprimatur, ad minorem extenſionem illa redigetur, ac veluti condenſabitur; ſin verò deſinat manus compreſsio, priſtinam extenſionem acquiret, dilatabitur, ac veluti rarefiet. Atque hinc cavitates, foraminula, ſeu pori, qui inter ſolidas corporum partes reperiuntur, anguſtiores fiunt in Condenſatione, plures, & ampliores in Rarefactione.

10 Sed his tantùm plurimi non acquieſcunt: quin potiùs non per ſolam pororum dilatationem, ac per eorumdem compreſsionem tantùm Rarefactionem, & Condenſationem fieri docent; ſed per aliorum etiam corporum admixtionem. Plerùmque enim partibus corporis dilatati plurimæ, ſive aeris, ſive ethereæ ſubſtantiæ, aliuſvè tenuiſsimæ entitatis atomi, ſeu particulæ permiſcentur. Itaque, cum aqua vi caloris calefit, & abullit, ad amplius ſpatium diffunditur, & explicatur, quòd in illa plurimæ ignis particulæ recipiantur; quæ, ubi paulatim à particulis aquæ ſejunctæ fuerint, aqua rursùs frigefit, & condenſatur.

11 *Sed* in his, etſi non rarò contingant, ac ſæpè etiam quando corpora rarefiunt, & condenſantur, non conſiſtunt, præcisè Rarefactio, & Condenſatio. Itaque ex mente Ariſtotelis, & Div. Thomæ tenendum nobis eſt, Rarefactionem, & Condenſationem activè ſumptas eſſe motus per ſe primò in intentione terminatos ad Raritatem, & Denſitatem qualitates utique per ſe productas mediis partium dilatatione, & compreſsione; & per ſe ſecundò, etſi priùs in executione, terminatos ad partium dilatationem, ſivè hæc eveniat per pororum ampliationem, dummodò non vacui,

ſed

ſed aeris, aut alterius ſubtilioris corporis pleni illi perſiſtant, ſivè aliàs quomodolibet; & ad earum compreſionem oppoſito modo factam. At paſsivè ſumpta Rarefactio conſiſtit de formali in Raritate ipſa, & de materiali in partium dilatatione: è contrà Condenſatio.

12 Hanc eſſe genuinam Ariſtotelis, & D. Thomæ opinionem, multis oſtendi poterat. In primis Ariſtoteles ait: (4) *Denſum enim dicitur, quia partes ſibi invicèm propinquæ ſunt; Rarum autem, quia diſtant à ſe invicèm.* En ubi Rari, & Denſi cauſam materialem aſsignans, ad partium ſeparationem, & approximationem confugit. Quibus addi poſſunt definitiones poſitæ *num.* 7. Sed alibi, agens de qualitatibus ſenſibilibus, inter eas connumerat Raritatem, & Denſitatem: (5) *Senſibilia verò ſunt ea, quibus inter ſe corpora differunt, ut gravitas, levitas, humiditas, ſiccitas, raritas, denſitas, &c.* Atque indè formalis cauſa, ſeu forma Rari, & Denſi ſunt Raritas, & Denſitas, quamvis de materiali importent partium dilatationem, aut compreſionem.

13 Utrumque confirmat Ang. Doctor. Nam primò aſſerit: (6) *Rarum autem, & Denſum, ut 4. Phyſicor. dicitur, non ſunt qualitates phyſicæ, ſed poſitio partium materiæ ſecundùm propinquum in denſo, & ſecundùm remotum in raro.* Secundò aſſerit: (7) *Rarum, & Denſum ſunt quædam qualitates conſequentes corpora, ex hoc, quòd habent multum, vel parvum de materia ſub dimenſionibus: ſicut etiam omnia alia accidentia conſequuntur ex principiis ſubſtantiæ.* Quæ duo haud facilè componi poſſent, niſi primo loco ageret D. Thomas de Raro, & Denſo pro materiali; & de his pro formali ſecundo loco.

14 Ex quibus habes jam, in quo Raritas, & Denſitas conſiſtant. Eſt itaque Raritas: *Qualitas conſequens corpus,*

(4) *Cap. de Qualit.* (5) 7. *Phyſic. cap.* 2. *text.* 11.
(6) 2. *de Gen. lect.* 3. (7) 3. *part. quæſt.* 77. *art.* 2. *ad* 3.

ex eo, quòd parum habeat de materia sub dimensionibus: Densitas verò: *Qualitas consequens corpus, ex eo, quòd multum habeat de materia sub dimensionibus.* Quemadmodùm enim ex certa corporis terminatione resultat figura: sic etiam ex eo, quòd corpus habeat multum, vel parvum de materia sub dimensionibus; ex eo, inquam, quòd materiæ partes compressæ sint, aut dilatatæ, resultat Raritas, aut Densitas, ut suprà docet D. Thomas.

15 *Hinc* facilè concludi potest, Rarefactionem non consistere in acquisitione majoris ubicationis, & in acquisitione minoris Condensationem; cum potiùs hujusmodi acquisitiones sint Rarefactionis, & Condensationis effectus, easdemque præsupponant. *Iterùm* concludi potest, Rarefactionem non consistere in acquisitione novæ quantitatis; nec totalis, quia sic esset destructio præcedentis, non illius Rarefactio; neque partialis, nam ita non foret Rarefactio, sed augmentatio. Similiter Condensatio, si in deperditione totius quantitatis, & acquisitione minoris consisteret, esset corruptio, non Condensatio præcedentis quantitatis: Si staret in deperditione partialis quantitatis, esset diminutio.

ARTICULUS V.

De Motu Nutritionis, & Augmentationis.

1 NUtritionis, Augmentationisque Motum negare is certè non poterit, qui se puerum cum vidisset, in virum crevisse perfectum, expertus est. Atque ideò earum existentia suppositâ, ipsarum naturam in genere breviter explicabimus. Est itaque Nutritio: *Conversio substantiæ alimenti in substantiam aliti.* Omnia enim viventia aliquod sibi alimentum absumunt, quod per varias, easque mirabiles mutationes in suam tandem substantiam convertunt. *Hinc* plantæ radicibus humorem atrahunt,

quem

quem in fibris percolatum, perfectumque, in ramos omnes distribuunt: animalia quoque cibum ore receptum, & in ventriculo digestum ad singulas corporis partes diffundunt. Id verò quomodò peragatur, *tomo* 4. (Deo dante) exponemus.

2 Augmentatio verò est: *Motus à minori ad majorem quantitatem.* Cum enim Nutritio viventium eo eventu fiat, ut in rei viventis principio plus de nova substantia aggeneretur per Nutritionem, quàm ut per calorem naturalem, aut aliàs quomodolibet deperdatur: substantiæ partes crescere, necessè est; quas, ut quantitas valeat extendere, hujus quoque partes augeri debent: atque hic Motus dicitur Augmentatio. *Sed*, quia Nutritio ita quoque evenire potest, ut non tantum substantiæ producat, quantum aliàs vivens perdiderit, adeòque substantia ipsa decrescat, & supprimatur, ut in senibus patet; quantitatem etiam hoc in eventu minui, docet experientia. Est itaque Diminutio: *Motus à majori ad minorem quantitatem.*

Quæstiones aliquæ.

3 *INQUIRES* 1. Utrum Nutritio, & Augmentatio specificè distinguantur? *Resp.* affirmativè. *Ratio est*: Quia specifica distinctio motus sumitur à diversitate termini *ad quem* per se primò intenti, & acquisiti; atqui terminus *ad quem* Nutritionis est partialis substantia, terminus autem Augmentationis, specie quidem ab illo distinctus in esse termini, est quantitas ut major: Ergò. *Dices*: Eadem actio, quæ est substantiæ totalis generativa, producit totalem quantitatem, ut terminum secundarium: Ergò pariter. *Nego conseq.* Quia actio generativa per se intendit totalem substantiam cum suis proprietatibus, quarum una est totalis quantitas: Cæterùm actio nutritiva intendit solùm partialem substantiæ reparationem, quæ stare potest sine

nova quantitate ; ut evenit tempore ſenectutis, in quo nutritur homo, ſed non augetur.

4 *INQUIRES* 2. Utrum Nutritio, & Augmentatio ſint Motus continui, & ſucceſsivi ? *Reſp.* Augmentationem per ſe, & ratione ſui termini primarii eſſe motum continuum, & ſucceſsivum : Nutritionem autem eſſe continuam, & ſucceſsivam per accidens, & ratione quantitatis annexæ per Augmentationem acquiſitæ. *Ratio primi eſt* : Quia terminus Augmentationis, quantitas nempè partialis, ſuam habet latitudinem, quæ paulatim, & ſucceſſivè acquiratur. *Ratio ſecundi eſt* : Quia ſubſtantia partialis, quæ eſt per ſe Nutritionis terminus nullam ex ſe habet latitudinem ſucceſsivè in ſui acquiſitione percurrendam ; ſed ſolùm ratione quantitatis annexæ.

5 *Hinc* duo nota : *Primum eſt* : Nutritionem ex ſuo conceptu formali exigere, ut in inſtanti fiat reſpectu uniuſcujuſque ſubſtantiæ partis ; ita, ut in uno inſtanti unius partis acquiſitio, & in alio inſtanti acquiſitio alterius contingat : Cæterùm, quia nova ſubſtantiæ pars ſuam ſecum affert partem quantitatis, quandiù durat Augmentatio, & poſteà ſuccedit loco deperditæ ſubſtantiæ ſub eadem quantitatis parte ; non fit illa inſtantaneè, ſed ſucceſsivè, & continuò. *Secundum eſt* : Nutritionem viventium durare toto vitæ tempore, ut oſtendit continua alimenti exigentia, & neceſsitas : ſecùs autem Augmentationem ; videmus enim, viventia ſingula ad certam quantitatis magnitudinem pertingere ultrà quam minimè augentur.

6 *INQUIRES* 3. An, & quænam res habeant ſuæ Augmentationis terminum, quem appellant *Maximum*, *quod ſic*, ac ſuum etiam Diminutionis terminum, quem *Minimum quod ſic* appellare ſolent ? *Reſp.* 1. Viventia omnia juxtà ſuam naturam habent ſuæ Augmentationis, ſuæque Diminutionis terminum. Videmus quippè hominis magnitudinem numquàm excedere magnitudinem bobis, num-

quam

quam æquare formicæ parvitatem. Atque idem patet in cæteris animalibus. *Resp.* 2. Non viventia, attenta eorum natura, non habent determinatum suæ Augmentationis, suæque Diminutionis terminum: quia augentur per juxtapositionem, quæ non est ab eorum natura taxata, suntque in plures, & plures partes divisibilia. *Sed* Deus sua absoluta potentia potest suprà rerum, sive viventium, sive non viventium naturas operari.

7 *INQUIRES* 4. Utrum Augmentatio, & Diminutio specie differant? *Resp.* Affirmativè. Differunt enim motus penes diversitatem termini *ad quem*: est autem terminus *ad quem* Augmentationis quantitas, ut major, & terminus *ad quem* Diminutionis quantitas, ut minor: quæ, licet non differant in esse rei, seu in esse quantitatis, quatenùs solùm differunt penes magis, & minus; differunt tamen formaliter in esse termini sub reduplicatione majoris, & minoris.

8 *INQUIRES* 5. Utrum vivens per plurium, & plurium novarum partium acquisitionem, & perditionem antiquarum ita varietur entitativè, ut non maneat idem toto vitæ tempore? *Resp.* negativè. *Ratio est*: Quia ea partium variatio est purè materialis respectu identitatis totalis; cum novæ partes antiquis succedant sub eadem forma, sub eadem quantitate totali, quæ est individuationis connotatum, sub eadem organizatione, & ordine, manentque formaliter ipsæ. Cum enim unitas viventis corporis non sit ita perfecta, ut unitas rei incorruptibilis; ad eam sufficit easdem manere partes formaliter sumptas, ut subsunt eidem continuationi, quæ consistit in uniformi successione unius partis post aliam, & loco alterius. (1)

(1) *V. Irrib. tom.* 4. *tract.* 1. *quæst.* 4. *art.* 3.

ARTI-

ARTICULUS VI.

De Agentium Actione, Reactione, Reſiſtentia, Reflexione, & Antipariſtaſi.

1 His Mutationibus jam expoſitis, quæ regulariter contingunt, excepto locali motu, de quo quæſtione ſequenti agemus; eos nunc motus, aut mutationes illas, quæ rarò, vel non ita frequenter, aut non eo regulari modo, in quo cæteræ omnes conveniunt, exerceri, exponique ſolent, breviter explicabimus. Hujuſmodi ſunt *Actio* ſecundùm ſpeciales quaſdam terminationes, *Reactio*, *Reſiſtentia*, *Reflexio*, & *Antipariſtaſis*: quarum naturis priùs expoſitis, ea dubia, quæ communiter exagitari ſolent, dirimemus.

2 Atque in primis Actionis naturam jam ſatis expoſitam non hìc ſumimus ſecundùm ſe ipſam, ſed penès quaſdam ſpeciales terminationes, aut ſingulares, quibus exerceri poteſt, tendendi modos; ut ſecundùm tendentiam agentis in ſibi ſimile, aut in ſe ipſum. *Reactio* nihil eſt aliud, quàm activa paſſi influentia, ſeu influxus, quo ſuum contrarium agens, & oppugnans invicèm expugnat, in eo aliquid ſuarum virium imprimendo, quo illius vim, & activitatem minuit. Sic ferrum candens calefacit aquam, & ab ea infrigidatur: glacies infrigidat manum, & hujus calore reſolvitur: ubi infrigidatio ferri, & glaciei reſolutio Reactiones dicuntur.

3 Hinc abiit in proverbium: *Agens agendo repatitur*; quod, ut generatim teneat multis indiget conditionibus: 1. quòd agens, & paſſum ſint ejuſdem ordinis; non enim Deus repatitur à creatura: 2. quòd agens ſit intra ſphœram activitatis paſſi; non enim repatitur Sol à terra, nec ignis à manu remiſsè calida, & aliquantulùm diſtante:

3.

3. quòd agens, & passum ejusdem indolis materiam habeant: 4. quòd agens contrariam passi qualitati qualitatem tentet inducere; undè objectum excitans speciem in oculo, & lucerna lucem in cubiculo, non repatiuntur: 5. quòd passum non sit adeò debile, ut in primo congressu penitùs evincatur.

4 RESISTENTIA est: *Connatus ad impediendam actionem oppugnantis.* Et cum certum sit adeò, plurima agentia esse mutuò contraria, & invicèm juncta pugnare, ut hujusmodi pugnam sensibus experiamur; omninò evidens est, in rebus naturalibus dari quoque sæpènumerò Resistentiam: non enim pugna exerceri valet sine resistentia. Hæc duplex est, altera activa, formalis altera. *Activa* Resistentia est, quæ fundatur in activa virtute, quatenùs tali; quæ tunc evenit, cùm unum contrariorum alterius actionem impedire connatur, producendo, seu conservando vires ipsi contrarias; v. gr. cum calidum impedit actionem frigidi, in se conservando calorem, aut illum in frigido producendo.

5 *Formalis* Resistentia est, quæ fundatur in virtute informativa, ut tali, seu in tenacitate formæ renuentis amittere possessionem subjecti, ut sibi contraria introducatur; ut, cum qualitas in præsentia agentis contrarii, oppositam formam introducere volentis in subjectum illius, suam connatur in eo retinere existentiam, & inhæsionem, atque ita alterius productionem impedire. Hìc duo nota. *Primum* est, inter Reactionem, & Resistentiam activam hoc esse discrimen, quòd Resistentia est connatus Reagendi, & Reactio est exercitium activè resistendi. *Secundum* est, Resistentiam activam esse quasi offensivam, formalem verò quasi defensivam; ut ex utriusque expositione colligitur.

6 REFLEXIO est: *Retrocessio actionis, & termini versùs agens principale.* Tunc datur, cum actio, quæ longiùs per lineam rectam continuanda erat, incidit in corpus obsistens,

à quo veluti repercussa, regreditur, seu retrocedit. Retrocessionem hanc experimur, non solùm in motu locali, ut cum è pariete resilit pila lusoria, sed in variis insuper qualitatibus, præcipuè verò in luce, & specie intentionali; quæ, dum incidunt in obsistens idoneum, v. gr. speculum, retrocedunt quodammodò versùs agens. Quod non ita intelligendum est, ut eadem numero qualitas eat, redeatque, instar pilæ lusoriæ; aliàs migraret de subjecto in subjectum; quod esse non potest: sed quia propagatio qualitatis, quæ futura erat ultrà obsistens, ab eodem agente media obsistentia passi ad anterius spatium refunditur.

7 *Undè* actio tendens ab agente ad passum obsistens, dicitur *actio directa*; quæ verò tendit ab obsistente ad agens, dicitur *actio reflexa*: linea actionis directæ vocatur linea *incidentiæ*; linea verò actionis reflexæ appellatur linea *reflexionis*. Præterea, cum actio directa, v. gr. illuminatio, perpendiculariter incidit in passum ritè dispositum; eadem est linea incidentiæ, & reflexionis: sed quandò incidit obliquè, tunc linea reflexionis est opposita lineæ incidentiæ; ita, ut si altera dexteram, altera sinistram teneat; & angulus reflexionis angulo incidentiæ sit æqualis.

8 Hanc doctrinam percipies facilè exemplo pilæ lusoriæ, quæ si directè, & perpendiculariter incidat in parietem politum, & tersum; eadem via, qua incidit, reflectitur: si autem incidat indirectè, & à parte dextra, resilit indirectè versùs sinistram partem. *Item* exemplo radii Solaris incidentis in speculum; ubi, si perpendicularis sit incidentia directa, perpendicularis etiam erit reflexio: Sin autem, reflexio erit obliqua versùs partem oppositam parti, à qua venit incidentia.

9 Reflexioni non dissimilis est *Refractio*, quæ cum Reflexione confundi non debet. Refractio quippè non est retrocessio, sed ulterior actionis, seu motus progressio cum aliqua inflexione: V. gr. cum radius luminis transit ab uno

diaphano

diaphano ad aliud diversæ densitatis obliquè incidens in communem utriusque superficiem ; ultrà quidem progreditur, sed in ea superficie frangitur, seu inflectitur, ita ut rectam, qua venerat, lineam non progrediatur, sed aliam arripiat magis, aut minùs à perpendiculari distantem juxta medii diversitatem : nam, si transeat à medio rariori ad densius, ut ab aere ad aquam, linea refractionis magis accedit ad perpendicularem ; minùs autem, si à medio densiori transeat ad rariùs, ut ab aqua ad aerem.

10 ANTIPARISTASIS, latinè *Circumobsistentia* dicta, est: *Obsessio debilioris contrarii ab alio fortiori.* Tunc evenit, cum unum contrarium ab alio obsessum, occasione contrarii circumstantis intenditur, ac roboratur. Sic manus in attractione nivis incalescunt, quoniam calor naturalis ex frigoris obsidione intenditur : Sic stomachus hyemali frigore circuitus, calidior est per hyemem, quàm per æstatem : Sic etiam natantes ex caloris digerentis intensione famem sentiunt, & regionum frigidiorum incolæ majori cibo indigent : Sic demùm loca subterranea, & putealis aquæ frigescunt magis æstate, quàm hyeme. Hæc autem omnia media Antiparistasi, seu contrarii obsidione evenire, communi ferè antiquorum Philosophorum opinione receptum est.

11 Cæterùm recentiores Philosophi, cum ejusmodi Antiparistasim non admittant, in his, & similibus casibus dari majorem qualitatis intensionem, negant ; ac nos consueta audacia stolidæ simplicitatis accusant. Quòd enim, inquiunt, æstate frigidior videatur, calidior hyeme putealis aqua, aut locus subterraneus, id unicè provenit ex sensorii nostri mutatione : quia nimirùm guttur nostrum, quo eam bibimus, & manus, qua ipsam tangimus, calida sunt in æstate, frigidam experimur aquam : &, quia illa sunt frigida in hyeme, hanc calidam experimur. Hoc autem evidenti sibi thermometri experientia demonstrari, dicunt : positum enim Parisiis in specu subterranea satis pro-

funda ; eamdem liquioris altitudinem per totum annum retinuit.

12 *Sed* in primis falsum est, guttur, stomachum, aliasque internas nostri corporis partes, quibus putealem aquam æstate frigidam, hyeme calidam percipimus, æstate calidiores esse, quam hyeme : imò oppositum constat ex meliori ciborum coctione. *Deindè* : Expertum est omnibus, hyemali tempore, etiam manu calida putealem aquam temperatam valdè percipi ; æstivo autem etiam manu frigida, frigidam aquam hauriri. *Insuper* : Quid evidentius, quàm inter puteales aquas alias aliis æstivo tempore frigidiores eadem manu, eodem gutture, & stomacho quemlibet experiri ? Numquid parùm calida est manus, dum tangit unam, quàm minùs frigidam invenit aquam ; ac statim redditur calidior, ut alteram aquam sentiat frigidiorem?

13 *Et* quid refert, si thermometro Parisiensi id expertum sit, quod Adversarius testatur ; cum oppositum eodem thermometri instrumento multi alii sexcenties experti fuerint, teste P. Benedictis ? (1) Præcipuè cum fieri potuerit, ut Parisiis specus illa ex peculiari loci dispositione non facilem egressum, aut ingressum præberet halitibus ; ideòque eamdem temperiem toto anni tempore retineret. Perperàm igitur pro cæteris specubus generalis regula inducitur ex singulari experimento fortasse fallaci : quamvis enim thermometrum non fallat in indicando frigoris, aut caloris gradum ; ex specialibus loci circunstantiis specialem caloris gradum indicare valet, ut nuper dictum est.

Aliqua Dubia.

14 *INQUIRES* 1. Utrum agens possit in passum agere sibi simile ? Quatuor modis contingere potest, quoad præsens, agentium similitudo. *Primò* in qualitate, & non in gradu intensionis ; ut, si agens sit calidum ut octo, passum

(1) *Lib. 4. Physic. quæst. 3. cap. 2.*

sum ut quatuor. *Secundò* in gradu, & non in qualitate; ut, si agens sit calidum ut octo, & passum frigidum ut octo. *Tertiò* in qualitate, & gradu, non tamen in raritate, & densitate, aliisque ad agendum dispositionibus, ut ignis ex ligno, & ignis ex stupa. *Quartò* in qualitate, gradu, cæterisque omnibus; ut duo ignes. *Supponimus*, ut certum, agens posse agere in passum in qualitate simile, sed non in gradu; ut calidum ut octo in calidum ut duo; nam potest hoc reddere magis calidum: item in passum simile in gradu, & non in qualitate; ut patet.

15 *Resp.* 1. Agens nequit agere in passum sibi omninò simile. *Ratio est*: Quia agens, quatenùs tale, debet esse in actu perfectionis passio per actionem communicandæ; passum autem debet esse in potentia ad ipsum, ut reddatur in actu per actionem agentis; sed passum omninò simile agenti, est in actu omnis perfectionis agentis, alioquin non esset omninò simile. Ergò. *Explicatur*: Ut calidum ut octo ageret in calidum ut octo, deberet huic illud tribuere aliquem caloris gradum, quem hoc non habeat, sitque ad illum gradum in potentia; sed secundum calidum totidem habet caloris gradus, quot primum: Ergò.

16 *Resp.* 2. Agens nequit agere in passum sibi simile in qualitate, & gradu intensionis, quamvis dissimilia sint in densitate, aut raritate materiæ. *Ratio est*: Quia agens, & passum debent esse in actu, & potentia, non utcumque, aut in his, quæ non attinent ad vires agentis, seu respectu termini virtutis activæ, v. gr. caloris, frigiditatis, &c. Atqui ea, quæ in qualitate activa, & gradu intensionis omninò similia sunt, non sunt in actu, & potentia respectu termini virtutis activæ, ut patet ex ratione primæ responsionis: Ergò. *At*, licet densitas juvet ad agendum velociùs, aut constantiùs; non tamen ad agendum intensiùs: est itaque densitas materialis conditio ad validiùs agendum; non autem ratio formalis.

17 *Oppones* 1. Si duas manus æquè calidas conjungamus, eas calidiores sentimus: 2. Vinum in occluso vase contentum, & puteo immersum magis frigescit in æstate, quàm aqua putealis: 3. Aer in hyeme congelat aquam, cum ille non sit gelidus. *Ad* 1. *resp.* Per conjunctionem manuum excludi aerem intermedium: quo excluso, vel occurrunt illuc interni spiritus, qui calorem augent, vel sentimus vividiùs calorem, etsi non auctum. *Ad* 2. *resp.* Vinum, vel non esset tunc aqua frigidius, licet ob densitatem magis sensum afficiat; vel redditur frigidius, non ab aqua; sed à vaporibus potiùs vino, quàm aquæ adhærentibus: Undè magis frigescit vinum, si prope aquam vas pendeat, quàm si sub aqua summergatur. *Ad* 3. dicimus, aquam aere congelatam, non esse aere frigidiorem; etsi aer non congeletur ob summam raritatem.

18 *INQUIRES* 2. Utrum activitas agentis debeat esse major, quàm formalis resistentia passi, ad agendum? *Respond.* affirmativè. *Ratio est*: quia, ut agens in passum agat, debet quodammodò passum vincere, in illo terminum suæ activitatis producendo, & oppositam, qua passum resistit, formam expellendo: ad hanc autem agentis victoriam requiritur excessus virtutis activæ respectu formalis resistentiæ. *Hinc*, ut agens in passum activè resistens agat, debet esse major agentis activitas, quàm activa resistentia passi; non absolutè loquendo, sed respectu illius actionis agentis. *Patet*: Nam activitas aquæ ad infrigidandum non est major, quàm ignis activitas ad calefaciendum; at nihilominùs aqua ignem extinguit, non sola frigiditate, sed humiditate etiam, densitate, & aliis, quibus aqua ignem superat, & evincit.

19 *INQUIRES* 3. An, & quatenùs verum sit in agentibus: *Virtus unita fortior*? *Resp.* Id verum esse quoties virtutes unitæ adæquatè, seu totaliter exerceantur: Secùs autem, si mutuò impediantur ad agendum. *Ratio* prioris

partis

partis est : quia una virtus alteri adjuncta , etsi non intendatur positivè , & intrinsecè , roboratur tamen , & ab extrinsecis sæpè liberatur impedimentis. *Ratio* posterioris partis est : quia , si virtutes unitæ adæquatè non agunt, uniuscujusque exercitium minuitur , atque ideò omnium virtus unita non erit fortior. *Atque hinc* respondetur facilè ad ea , quibus Recentiores prædictum proloquium falsitatis accusant : Ut , quòd plus ponderis sustinent divisa fila , quibus funis efficitur , quàm tota funis. *Nam* id verùm erit; quia fila in funem dispositа non simùl , & adæquatè ponderi resistunt ; sed alia plùs , alia minùs sustinent : Undè cum funis frangitur , non fila omnia simùl , sed alia post alia rumpuntur.

20 *INQUIRES* 4. Qua ratione intendatur qualitas , v. gr. lux , per reflexionem in obsistente , v. gr. speculo, aut pariete albo ? Hujusmodi intensionem evenire constat experientia : nam lumen solare clarius apparet prope speculum , aut parietem album , quàm procùl in aere , qui minùs à Sole distat. *Ratio* dubitandi est : quia , si talis intensio provenit à Sole : quare plùs non intenditur potiùs in aere minùs à Sole distante ? Si autem provenit ab obsistente, speculo scilicèt , aut pariete : sequitur quòd lux intensior à remissiore producatur , nam sæpè minor est lux in obsistente, quàm in aere propinquiore , ubi est intensior.

21 *Resp.* ad quæsitum : quòd agens principale qualis est Sol , aut ignis , actione directa producit intensiorem lucem in obsistente , à quo fit reflexio , quàm in aere intermedio propter aptiores obsistentis dispositiones , densitatem scilicet , opacitatem , & alias : illa autem intensior lux sua reflexione causat deinde in aere proximiori splendorem eo intensiorem, quem directa Solis illuminatio produxit. Quòd autem agens possit in passo distanti perfectiorem effectum producere , quàm in intermedio, si illud aptius sit , et eo patet , quòd superficies Lunæ intensiùs illuminatur à Sole,

quàm

quàm vicinus æther ; & funda motu circulari à manu agitata , majorem impulsum accipit secundùm extremitatem distantem , quàm penes manui proximam.

22 Ex quibus patet solutio ad rationem dubitandi. *Nam* in primis à Sole non producitur intensior lux in aere , quàm in obsistente , sed è contrà ; quia hoc est aptius illo ad lucis intensionem. *Deindè* non sequitur , quòd lux intensior à remissiore producatur : siquidem lux obsistentis non à luce sola aeris , sed à Sole juxta passi dispositionem lucem communicante , producitur : lux autem reflexa producitur à luce speculi ; quæ non est remissior , sicuti nec lux cujusvis per reflexionem obsistentis. Atque ideò tantò major est reflexio lucis , quantò intensiùs illuminatur obsistens.

23 *INQUIRES* 5. Quænam sit vera causa intensionis qualitatis occasione Antipariſtasis intensæ ? *Aliqui* volunt, ejusmodi intensionis causam esse rem ipsam obsessam , quæ ad præsentiam validioris contrarii suam ad se virtutem activam convertit , ut se defendat : suam itaque qualitatem colligit , roborat , ac intendit. *Alii* volunt , eam causam esse repercussionem specierum tangibilium factam à contrario circumstante ; quia scilicèt species qualitatis à re obsessa immissæ in rem adversam incidentes , ad suum originem regrediuntur , eique de novo adhærentes, ulteriorem intensionem efficiunt : Sic , v. gr. species frigoris ab aqua putealı difusæ , in aerem calidum incidentes , ad aquam regrediuntur , reddunteque ipsam frigidiorem.

24 *Sed* his , aliisque opinionibus validior ea est , quæ asserit , illius intensionis causam esse plurimum spirituum vaporem , vel halituum effluvium , seu occursum. Cum enim (ut putealis aquæ utar exemplo) æstivo calore frigidi vapores , tum aeris , tum terræ compellantur , ut ad ima loca descendant , aut etiam, qui inibi sunt, egredi non possint ; ibidem propterea majorem qualitatis intensionem efficiunt.

ficiant. Sed è contrà hyemali frigore calidi subterranei halitus oppressi, in imis se continent, & fugam à contrario meditantes, in cryptas subterraneas congregantur; atque ita eorum calor redditur intensior.

25 Sic etiam hyeme stomachus vehementiùs incalescit, quia externo frigore externæ corporis partes constringuntur, & vitales spiritus, calidique halitus, cum poros oppressos permeare nequeant, coercentur, & in stomachum, aliasque internas corporis partes redire coguntur, ibique naturalem calorem intendunt: cujus oppositum oppositа de causa in æstate contingit. *Hinc* expertum est, (2) ut, cum integra vini dolia glaciarentur, in ejus glaciei centro purissimus vini spiritus, qui frigoris per circum opprimentis vim fugiens, eò se contraxerat, clarè, distinctèque observaretur.

QUÆSTIO III.
DE MOTV LOCALI.

ARTICVLVS I.

De Natura, Divisionibus, Origine, & Proprietatibus Motus Localis.

1 MOtus Localis cæteris omnibus motuum generibus longè clarior, sic definiri solet: *Transitus corporis de uno in alium locum.* Tunc enim corpus aliquod localiter movetur, cum ex uno loco transit in alium. Sed, quia etiam contin-

(2) *Apud Dan. Bartol. tract. 1. de Glacie Exper. 19.*

contingere poteſt Localis Motus, quamvis ex uno loco adæquato in alium adæquatum corpus non tranſeat, ut cum rota circa proprium axem revolvitur; clariùs adhuc exponi poteſt Localis Motus: *Mutatio ſecundùm locum*; ſive ſit ex toto, ut cum de uno ad alium adæquatum corpus migrat; aut ex parte, ut cum partes mutant locum circulariter, etſi corpus totum toti, eidemque loco reſpondeat.

2 *Undè* Motus Localis eſt modus quidem phyſicus, & realis à corpore mobili realiter diſtinctus, vi cujus denominatur formaliter mutans locum, ſive adæquatum, ſive inadæquatum, juxta ea, quæ nuper dicta ſunt. Atque eum eſſe à corpore realiter diſtinctum, ex eo patet, quòd valeat corpus à Motu poſitivè ſeparari, ab illo ceſſando: & Motus etiam à corpore negativè ſeparari poteſt; cum pereat Motus, corpore perſiſtente.

Motus Diviſiones.

3 Motum Localem in primis diviſit Plato in *Lationem*, & *Circulationem*. Latio eſt tranſitus mobilis de uno in alium locum. Circulatio eſt circumvolutio corporis in eodem loco. Sed jam *Lationis* nomine ſignificari ſolet quicumque Localis Motus. *Deindè* dividi poteſt in motum ab intrinſeco, ſeu naturalem, & ab extrinſeco, ſeu præternaturalem. Primus eſt, cujus principium activum eſt intrà mobile; ut motus gravium, & levium. Secundus eſt, cujus principium eſt extrà mobile, ſitque per alicujus impulſus impreſſionem ab extrinſeco agente factam; ut motus projectorum, &c.

4 Tres inſuper Motus naturalis ſpecies diſtingui ſolent, quorum Motuum unus ſit à centro univerſi ad circumferentiam, alius à circumferentia ad centrum, alius denique in circumferentia, vel circa centum. Primus tribuitur corpori levi, ut igni: ſecundus corpori gravi, ut lapidi: ter-

tius

tius corpori Cœlesti, ut Soli. *Dividitur* etiam Motus Localis in simplicem, & compositum. Simplex est, qui unica solùm determinatione dirigitur, seu impellitur; ut cum aliquid à puncto A in punctum B tendit directè. Compositus est, qui multis, diversisque determinationibus ad diversa loca dirigitur; ut si aliquis, flumen recta linea trajicere nitens, ab aquæ profluentis impetu, simùl deorsùm abripiatur, ac per transversam lineam transeat.

5 *Præterea* ex triplici adhuc capite dividi potest Motus Localis: Ex parte moventis, seu ex parte modi motum inferentis, ex parte termini *ad quem*, & ex parte medii, quo Motus exercetur. *Ex primo* capite dividitur in Pulsionem, Tractionem, Vectionem, & Vertiginem. *Pulsio* est motus, quo movens mobile impellit, ipsum sequendo; ut cum quis per viam lapidem impellit. *Tractio* est motus, quo movens mobile attrahit, ipsum præcedendo; ut, cum aliquis manu, vel fune pondus aliquod attrahit. *Vectio* dicitur motus, quo movens mobile secum affert, illud sustinendo; ut quando quispiam corpus aliud manu, aut collo defert. *Vertigo* est motus, quo movens mobile circa punctum vertit; ut si aliquis aliud corpus per circum agat, ipsum revolvendo.

6 *Ex secundo* capite, seu ex parte termini dividitur Motus in species varias juxtà diversitatem terminorum, ad quos Motus dirigitur; ut sursùm, deorsùm, dextrorsùm, sinixtrorsùm, &c. *Ex tertio* capite, seu ratione medii dividitur in rectum, circularem, & spiralem. *Rectus* est, qui lineam rectam percurrit. *Circularis* est, qui lineam agit circularem. *Spiralis* est, qui per spiralem lineam efficitur. Motus circularis alius est conversionis, alius progressionis. Primus est, quo mobile circa proprium centrum revolvitur, ut contingit in rota figuli, aut restiarii. Secundus est, quo mobile circà centrum extra se positum circumfertur; ut, cum equus per circum agitatur.

17 *Adhæc* Motus naturalis alius est inclinativus, alius elasticus. *Inclinativus* est, quo res naturalis ad suum centrum defertur, ut ignis sursùm, lapisdeorsùm. *Elasticus* est, quo res quælibet ad violentam figuram coacta, iterùm ad connaturalem partium explicationem, aut compressionem, rectitudinem, aut curvitatem reducitur; ut, cum virga in modum arcus devincta, ad debitam rectitudinem, vinculo soluto, reducitur; aut funis magno pondere in longum protenta, illo deposito, ad pristinam longitudinem reddit. *Tandem* alius est sympaticus, alius antipaticus. *Sympaticus* motus est, quo una res alteri quasi per amicitiam jungitur, ut ferrum magneti. *Antipaticus* est, quo res una aliam tamquàm inimicam fugit, ut agnus lupum, quem viderat numquàm.

Motus Origo.

18 Circa originem, causamve Motus Localis, *supponimus* 1. corpora naturalia per sua prædicata essentialia non moveri immediatè; sed ab aliquo accidentali principio, sive ab extrinseco agente præter corporis naturam impresso, sive ex naturali corporis indole ipsi congenito commoveri. *Supponimus* 2. primam cujuscumque Motus originem esse Deum: cum enim in Moventium serie in infinitum non sit procedendum; ad aliquam tandem causam deveniendum est, quæ sit prima omnium Motuum origo, primusque Motor omninò immobilis. *Supponimus* 3. ex alibi dictis, (1) præter causam primam, & increatam Motus, admitti etiam debere causam creatam, quæ plures motus, nedùm occasionaliter, sed effectivè, & propriè producat.

19 *Atque* his suppositis, breviter *dicimus*, motum naturalem, qui nullo extrinseco cooperante, à corpore exercetur, immediatè effici à qualitate ipsi corpori intrinsecè, & natura sua inhærente; ut gravium motus à gravitate, & motus levium à levitate: Motum autem ab extrinseco impressum

(1) *Vide lib. 2. quæst. 1. art. 1. à num. 27.*

pressum corpori, sive juxtà, sive præter, aut contrà ipsius naturam, immediatè provenire ab impulsu, quem Movens extrinsecum imprimit mobili. Prima nostræ assertionis pars ex his constabit, quæ articulo sequenti exponemus. Secunda autem breviter nunc exponenda est: ac præcipuè, impulsum illum esse qualitatem aliquam à Movente, & Mobili realiter distinctam.

110 *Et primò*: Quod est intrinsecè indifferens ad aliquam intrinsecam accidentalem mutationem, non mutatur intrinsecè, nisi per intrinsecum adventum alicujus accidentis; sed mobile, secundùm se, est ex se intrinsecè indifferens ad motum, vel quietem: Ergò, nisi adveniat ipsi aliquod accidens intrinsecum, ejusque ad motum determinativum, & impulsivum, non determinatur intrinsecè ad se movendum. Cum autem hoc accidens aliud esse non possit, præter impulsum; hic necessariò admittendus est in mobili, ut moveatur. At, cum facilè impulsus ille à mobili separetur, ut cursus à currente; ab eo distingui debet.

111 *Dicunt* Recentiores: (2) Motum effici, non impulsu aliquo, sed ab ipsa Motoris substantia debitè applicata, impacta nimirùm in corpus mobile. *Sed contrà*: vel corpus impactum, v. gr. manus lapidem movens, lapidi imprimit impactionem aliquam, aut impulsum, seu determinationem intrinsecam ad motum; vel non? *Si primum*: Ergò impactio illa, impulsus, seu determinatio est principium motus; & sic habemus intentum. *Si secundum*: Ergò lapis per impactionem illam manet intrinsecè, ut anteà, indifferens scilicet ad movendum; quod est evidenter falsum.

112 *Secundò*: Lapis à manu projicientis separatus diù multùmque movetur: accipit ergò aliquam intrinsecam impactionem, determinationem, seu impulsum, quo tandiù moveatur, quousque ab aeris resistentia, lapidisque gravitate devicto impulsu illo, cesset motus, & quiescat

(2) *P. Tosca, tract. 3. Phys. Gen. lib. 5. cap. 1.*

lapis. Id autem tribuere lapidis lationi, ut semel ille motus, in statu se moventis persistat, quousque, nova, & opposita occurrat determinatio, est voluntarium effugium. *Deinde*: Initio Motus est lapis cum sua latione, non secùs, ac in fine; sed initio motus non cessat ex opposita aeris, aut gravitatis determinatione ipsa, quæ est in fine: Ergò ideò est, quia initio vim aliquam, seu impulsum fortiorem habet, quàm in fine.

113 *Oppones* 1. Impulsus ille non est causa efficiens Motus, cum Motus propriè non producatur; sed neque est alterius generis causa: Ergò. 2. Si ejusmodi impulsus esset causa Motus, nulla esset ratio, qua velociùs moveatur corpus quod fortiùs ab alio truditur, quàm quod leviùs; utrumque enim reciperet impulsum. 3. Qualitas una non destruitur, nisi à suo contrario, ut frigus à calore; sed impulsus ille à nobis admissus sæpè destruitur absque ulla sibi opposita qualitate: Ergò. 4. Si daretur illiusmodi impulsus à mobili subjecto realiter distinctus, fieret à movente per generationem; sed hoc est falsum: Ergò. Prob. min. Omnem generationem præcedit aliqua corruptio; sed in mobili nulla præcedit corruptio illius impulsus generationi: Ergò.

114 *Ad* 1. *resp.* Impulsum illum esse causam effectivam Motus, non principalem, & *ut quod*, sed instrumentariam, & *ut quo*, qualis etiam est calor ab igne aquæ impressus ad calefaciendum, semen ab animali deciſſum ad generandum, qualitas, seu impulsus præmotionis à Deo causis secundis communicatus ad agendum. *Nec* obstat, quòd Motus propriè non producatur. *Nam* producitur *ut quo*, sicut aliæ formæ, tam substantiales, quàm accidentales; non *ut quod*, velut supposita. (3) *Ad* 2. neg. assumptum: velociùs enim movetur corpus, quod fortiùs impellitur, attenta ejus quantitate; quia vehementiorem impulsum recipit, quo moveatur. *Ad*

(3) *Vide lib.* 1. *quæst.* 3. *art.* 5. *num.* 26. & 44.

115 *Ad 3. resp.* multas qualitates sine contrarii occursu perire, vel pereunte subjecto, aut deficiente debita subjecti dispositione, ut deficit in mobili, quoties impulsus desinit. *Sed* melius dicatur, impulsum illum deficere ex contrario aeris impulsu resistenti, & illum paulatim debilitante, & etiam ex gravitate, aut levitate mobilis coadjuvanti: vel demùm ex majori alterius corporis impulsu in adversum resistentis. *Ad 4. resp.* impulsum illum fieri per eductionem, seu generationem è subjecto mobili absque ulla præcedenti corruptione: licet enim generationem substantialem regulariter præcedat corruptio; accidentalem sæpenumerò non præcedit. *Vel* dici potest impulsus generationi præcedere corruptionem quietis, si velis quietem in positivo consistere.

Motus Proprietates.

116 Motus proprietates sunt: *Quantitas*, *Velocitas*, *Determinatio*, *Reflexio*, *Refractio*, *Continuatio*, & *Acceleratio*. QUANTITAS Motus est ejusdem *Motus extensio*. Ut autem illa accuratè concipiatur, cum corporis gravitate, Motusque velocitate comparanda est: velocitas insuper ex spatio, quod peragitur, & tempore simùl, quo iter conficitur desumi debet; ut illa nimirùm velocitas major dicatur, qua breviori tempore æquale spatium, aut æquali tempore majus spatium percurritur. Undè ex diversa corporis gravitate, seu etiam velocitate, diversa quoque Motus quantitas erit distinguenda. Itaque, si duo corpora æqualis gravitatis velocitate æquali moveantur, æqualem, eamdemque motus quantitatem agere dicuntur.

117 *Sed verò*, si unum ex his corporibus duplò celeriùs altero moveatur, duplo quoque majorem motus quantitatem exercebit. Quòd si duo corpora æquali velocitate moveantur, sed gravitas unius sit tripla, aut quadrupla respectu alterius gravitatis; ipsa quoque Motus quantitas

erit

erit in primo corpore tripla, aut quadrupla respectu quantitatis alterius corporis. *Atque hinc* facilè deduci potest, quòd ipsa quantitas, sive etiam velocitas Motus virtuti motrici respondere debet: Si enim certa quædam vis requiritur, ut corpus unius libræ ad centum pedum distantiam moveatur, duplò major virtus requiritur, ut illud eodem tempore ad spatium ducentorum pedum projiciatur. Et sic de aliis, corporum gravitate, spatiique latitudine attentis, discurrendum est.

18 VELOCITAS non est entitas, aut modus aliquis à Motu realiter distinctus; sed est Motus ipse, quatenùs minori tempore, aut in majori spatio exercitus, comparativè ad alium motum, ut nuper diximus. Cæterùm, in quo velocitas illa physicè consistat, aut qua ratione unus Motus sit alio velocior, non est una omnium opinio. *Aliqui* docent, Motus velocitatem esse qualitatem modalem ipsi Motui superadditam, cujus formalis effectus est efficere, ut paucæ partes Motus pluribus spatii partibus correspondeant: è contrà tarditatem illius. *Sed* hæc opinio admittit modum modi, cum Motus ipse sit accidens modale: Et, si ullam veritatis umbram attingit; non aliter, nisi exponatur juxta ea, quæ ex propria sententia infrà dicemus.

19 *Alii* Motus velocitatem explicant per quosdam mobilis saltus, quibus ab uno loco in alium transfertur, intacto medio; ejusque tarditatem per minores saltus: ita, ut quò plures, aut majores illi fuerint, eò sit Motus velocior, & eò tardior, quò fuerint illi minùs, aut minores. *Sed* hæc sententia facilè rejicitur ex dictis in hoc libro, *quæst.* 1. *art.* 1. *num.* 23. *Alii* autem velocitatem exponunt per defectum plurium, aut paucarum morularum partibus Motus interpositarum; & ejus tarditatem per plures, aut pauciores morulas interpositas: ut, eò sit tardior Motus, quò plures, diuturnioresve morulas admittat; eò autem velocior, quò illæ minus, brevioresve fuerint. *Hæc*

sententia

sententia in Motibus sæpè interruptis vera esse potest: Sed quàm falsa sit in Motu continuo, constat ex dictis in hoc libro, *quæst. 1. art. 1. num. 20. 21. & 22.*

120 *Alii* demùm, admittentes physica indivisibilia extensa, affirmant, quòd si physica Motus indivisibilia singulis temporis instantibus totum relinquant spatium, quod occupabant, Motus est summè velox; si verò partem spatii in quolibet instanti relinquant, Motus est minùs velox, & eò minùs, quò minor fuerit pars relicta. *Hæc* sententia nobis probari non potest, quippè qui illiusmodi indivisibilia rejecimus suprà. (4) *Deindè*: ejusmodi opinio veram velocitatis naturam non explicat: Licet enim de eo nemo dubitaret, quòd pars Motus, dum ille velox est, totam simul spatii partem relinquat; secùs quandò tardus: superest explicandum, in quo consistat, aut qua ratione id ipsum contingat.

121 *Itaque* asserendum nobis est, Motus velocitatem in eo esse positam, ut ejus partes, quippè quantitativæ, & extensæ, diffundantur quodammodò, ac dilatentur; ut plures simul spatii partes percurrant, & eò plures, quò magis illæ diffundantur; è contrà tarditatem in eo ponendam esse, quòd Motus partes comprimantur, seu restringantur, ut non totam simul spatii partem percurrant, sed dimidiam, aut minùs peragant. Cum enim movens eodem tempore, eàdem, aut inæquali vi quamcumque Motus partem, sive restrictam, sive diffusam producere possit, cum non plùs entitatis una habeat, quàm alia, juxtà ea, quæ de rarefactione, & condensatione diximus: si ex duobus se moventibus alterum diffusas, compressas alterum producat partes motus successivè fluentis, plus illud, quàm istud eodem tempore spatium peragrabit.

122 Atque hoc velocitatis exponendæ modo vitantur facilè ea inconvenientia, & absurda, quibus superiores sententiæ

(4) *In hoc lib. quæst. 1. art. 1. num. 25. & 26.*

riæ plerùmque anguſtiari ſolent ; & nitidè exponuntur, ni fallor, motus phœnomena, quæ Recentiores ſuis ſaltibus, aut morulis, aut phyſicis indiviſibilibus ſe fœliciter explicare gloriantur. *Jam* verò, quo pacto comparandi ſint Motus ratione velocitatis, & tarditatis nobis exponendum eſt cum Ariſtotele, (5) qui aliquot principia, ſeu leges ad hoc explicandum ſtatuit, quas breviter examinabimus.

123 *Prima lex* : Si aliquod movens movet pondus aliquod, ſeu reſiſtentiam per certum ſpatium, & tempus; idem movens movebit dimidium pondus, ſeu dimidiam reſiſtentiam eodem tempore per duplum ſpatium : ut, ſi movens impellat pondus ut quatuor in hora per milliare ; pondus ut duo movebit in hora per duo milliaria. Hæc regula intelligi debet ſecundùm comparationem virtutis motivæ cùm tota mobilis reſiſtentia, nedùm ratione gravitatis, verùm etiam ratione aeris motui reſiſtentis. *Undè*, ſi quis poſſit jacere lapidem per ſtadium, non ideò poteſt decimam ejus partem jacere per decem ſtadia ; nam, licet minoretur lapis, augetur aeris reſiſtentia : *Item*, licet aliquis poſſit ferre libram ponderis per unam leucam, nequit milleſſimam libræ partem per mille leucas afferre ; nam augetur aeris, propriique corporis molis reſiſtentia, licet minuatur pondus.

124 *Secunda lex* : Si aliquod movens movet aliquod pondus cum ſua reſiſtentia determinato tempore per certum ſpatium ; idem movebit dimidium pondus cum dimidia reſiſtentia per idem ſpatium tempore dimidio : ut, ſi pondus ut quatuor in hora per milliare impellat, pondus ut duo movebit per milliare in ſemihora. Hæc regula intelligenda eſt, ut prima jam expoſita. *Quare* : Qui in hora pondus ut quatuor per milliare impellit, nequit impellere decimam illius ponderis partem in decima parte horæ : nam minuitur pondus ; ſed non reſiſtentia aeris, qui minùs cedit parvo,

(5) 8. *Phyſic. à text.* 35.

parvo, quàm magnò ponderi; neque resistentia gravitatis motoris, quæ eadem est. Si autem omnis resistentia proportionaliter minuatur, verificatur secunda regula.

125 *Tertia lex*: Si aliquod movens impellit pondus resistens per certum tempus, & spatium; idem movens impellet pondus ipsum in dimidio tempore per dimidium spatium. Hæc regula est ex terminis manifesta. *Quarta lex*: Si quædam motiva virtus impellit mobile resistens per determinatum tempus, & spatium; dimidia virtus mobile dimidium cum dimidia resistentia movebit per idem tempus, & spatium. *Patet*: nam eadem proportio est virtutis totius ad totam resistentiam, ac dimidiæ ad dimidiam. *Quare* eodem tempore, eodemque spatio, quo movens ut octo impellit pondus ut sex, movens ut quatuor movebit pondus ut tria.

126 *Quinta lex*: Si movens aliquod agit pondus resistens determinatis tempore, & spatio; non est necesse, ut possit duplò majus pondus eodem tempore per dimidium spatium, aut per duplum tempus in eodem spatio movere. *Quia* potest ita pondus, aut resistentia augeri, ut sit majus virtute motiva. *Sexta lex*: Si virtus, movens pondus ut octo, minoretur ad subduplum; non est necesse, ut idem pondus duplò minori velocitate possit impellere. *Nam* potest ita virtus motiva minui, ut omninò à pondere superetur; atque ita nec minori velocitate, nec ullatenùs pondus movere valeat. *Septima lex*: Si movens A movet pondus resistens per aliquod tempus, & spatium, ac movens B æquale pondus movet per æquale tempus, & spatium; complexum ex utroque movente ritè expeditum eodem tempore, & spatio commovebit complexum ex utroque pondere.

127 DETERMINATIO Motus est: *Directio corporis mobilis in unam potiùs, quàm in aliam partem.* Compertum est enim, idem corpus nunc sursùm, posteà deorsùm, dextrorsùm priùs, posteriùs siniſtrorsùm moveri, secundùm diver-

sam impetus directionem. *Hinc* motus directio, seu determinatio oritur à modo, quo causa movens imprimit motum corpori per impulsum communicatum: ut, si pila manibus in parietem impellatur, motus determinatio in pila oritur à determinato impellendi modo, qui diversus est juxtà diversum manuum situm, & inclinationem, quibus impulsus imprimitur. Similiter diverso modo resilit pila ex pariete, juxtà diversum, quo in illum inciderat, modum, diversumque parietis situm, quo impulsus resilientiæ causatur.

128 Reflexio Motus est: *Regressus corporis mobilis resilientis ab alio corpore, quod penetrare non poterat.* Videmus enim, corpora, quæ solida, vel dura sunt, si in alterius solidi corporis superficiem immobilem incidant, in oppositam partem reflecti, seu resilire. Sed hujus reflexionis, vel reflexi motus causa, & origo breviter est exponenda. Atque eam esse elaterium, seu vim elasticam, qua corporis partes violenter compressæ pristinam extensionem, & posituram rursùs acquirunt, est ferè communis opinio: contingit enim, ut si corpus solidum in aliud solidius incidat, partes corporis incidentis aliquantulùm comprimantur, & fortasse nonnihil etiam partes corporis resistentis: at, si corpus solidius incidat in minùs solidum, hujus potiùs, quàm illius partes restringuntur: Si demùm solidum corpus in æquè solidum impingat, utriusque partes comprimuntur æqualiter.

129 Cæterùm, cum restrictæ, seu compressæ partes sua elasticitate in pristinum statum redire nitantur; mutuò se tangentium corporum nixu compelluntur ad separationem: ita tamen, ut si utriusque corporis vis æqualis sit, mutuò recedant; si tamen inæqualis, illud potiùs retrocedat, quod est minoris efficaciæ, altero parùm, aut nihil recedente, juxta majorem, aut minorem excessum, quo alterum superavit. Cum itaque pila lusoria incidit in parietem, non parietis, sed pilæ partes illicò comprimuntur; quæ, dum sua elasticitate se statim diffundere connantur, nixu quodam

in

in parietem impulsum recipit versùs partem suæ incidentiæ oppositam. Atque ita contingunt omnes Motus reflexiones majores, aut minores, servata proportione corporum in duritie, mollitie, & incidentiæ velocitate.

§ 30 Quòd autem supradicta partium restrictio contingat in duorum etiam solidissimorum corporum ictu, clarissimo demonstrari solet experimento. (6) *Nam* si globus eburneus, chalybeus, sive marmoreus in incudem sebo illitam magno impetu demittatur; globus ipse ita resiliet, ut in incude, vel pavimento rotundum vestigium relinquat; non in puncto, aut minima parte solùm, sed tantò majus, & amplius, quantò ex majori altitudine, aut potiori vi globus inciderit: necessarium est igitur, ut globi partes in contactu ipso aliquantulùm complanentur, statimque in pristinam rotunditatem insensibiliter reducantur.

§ 31 *Jam* verò leges illæ exponendæ sunt, quibus corpora, dum inter se colliduntur, resilire solent. *Sed* primò notandum est, tribus modis fieri posse duorum, aut plurium corporum collisionem. *Primò*, si ambo, ex adversis partibus recedentia, sibi mutuò occurrant. *Secundò*, si unum motum in aliud immotum impingat. *Tertiò*, si ambo versùs eamdem partem unum ante aliud inæquali velocitate ferantur, ita ut posterius velociùs moveatur, præcedensque assequatur, ac impellat. In unoquoque ex his collisionis genere statuuntur certæ regulæ ad dignoscendam motus reflexionem. (7)

§ 32 *Circa primum* genus sequentes regulæ observandæ sunt. 1. Si duo corpora sint æqualia, & æquali celeritate sibi mutuò occurrant; post collisionem æquali velocitate reflectentur, qua accesserant. 2. Si duo corpora sint æqualia, sed inæquali velocitate sibi mutuò occurrant; illud, quod velocius est, dimidium excessus suæ velocitatis transferet

(6) *Mariotte ap P. Corf. tract 3. Phyf. Gen. cap. 13. num. VI.*
(7) *V. P. Corf. ubi fupr. num. XII.*

feret in corpus tardius, ut deinde utrumque pari celeritate versùs eam partem ferantur, in quam celerius corpus moveatur. 3. Si duo corpora ſint inæqualia, ſed æquali celeritate invicem ſibi occurrant; corpus majus tribuit minori duplò plures celeritatis gradus, quò major fuerit corporis exceſſus; atque reflectitur minus tantò majori velocitate, quàm occurrerat, quò plures fuerint velocitatis gradus à majori mpreſſos.

§33 Si denique corpora ſint inæqualia, & inæqualibus etiam celeritatibus in mutuum occurſum moveantur; illud, quod celerius eſt, impellit tardius, ipſique pro ratione molis partem ſuæ velocitatis communicabit, ut proinde celeriùs, quam venerat, reflectatur. Quòd ſi corporum celeritates illorum magnitudinibus reciprocæ ſint, ut quantùm unum alterum magnitudine excedat, tantùm ab illo velicitate excedatur; utrumque poſt colliſionem æquali celeritate reflectetur.

§34 *Circa ſecundum* colliſionis genus ſunt regulæ 1. Si duo corpora ſint æqualia, atque illud, quod movetur, in corpus alterum quieſcens indicat; dimidium propriæ velocitatis in illud transferet, ideoque poſt impulſum æquali celeritate versùs eamdem partem ferentur. *Sed* ex aliquo accidenti impellens corpus quieſcit, totamque impulſo corpori tribuit velocitatem. 2. Si corpora ſint inæqualia, & majus in minus incidat; tantùm huic propriæ celeritatis illud imprimit, ut versùs eamdem partem majori, aut æquali ſaltem velocitate minus, ac majus, progrediatur. 3. Si corpora ſint inæqualia, ac minus in majus incidat; tanta erit majoris impulſi celeritas, quanta minoris impellentis, ſecundùm proportionem minoris molis ad molem majoris.

§35 *Circa tertium* colliſionis genus hæc regula ſtatuitur: Si duo corpora ſint æqualia ac celerius ſubſequens tardius præcedens aſſequatur; tantùm propriæ celeritatis in ipſum

tranſ-

transfert, ut æquali deinde celeritate, instar unius corporis, utrumque progrediatur. *Sed* hujusmodi regulæ de eis corporibus verificantur, quæ perfectè dura, ac elastica sunt. Quòd si varietas, & leges illæ inquirantur, quibus corpora perfectè mollia colliduntur; ita brevissimè, servato superiori ordine, constitui poterunt.

136 *Ad primum* genus pertinent sequentes. 1. Si corpora mollia sint æqualia, & æquali celeritate sibi mutuò occurrant; post contactum quiescunt: sicut etiam quiescunt, si celeritates ponderibus reciprocæ sint. 2. Si corpora sint æqualia, sed inæquali celeritate sibi mutuò occurrant; progredientur simul cum dimidio differentiæ celeritatum. 3. Si corpora sint inæqualia, sed æquali celeritate sibi occurrant; post ictum erit celeritas ad summam celeritatem ante ictum, ut differentia ponderum ad illorum summam. 4. Si corpora sint inæqualia, & inæquali celeritate sibi occurrant; quantitas motus in minori perit, & majus tantum motum amittit, quantus perit in minori; simùlque deinde in eamdem partem moventur cum residua motus quantitate.

137 *Ad secundum* pertinent sequentes. 1. Si corpora sint æqualia, & unum se movens in aliud quiescens impingat; utrumque movebitur cum dimidio velocitatis, quæ fuerat in impellente. 2. Si corpora sint inæqualia, & majus impingat in minus quiescens; progredientur motu communi, instar unius corporis; ac utriusque celeritas comparatur ad celeritatem impellentis, ut pondus majoris ad summam penderis utriusque corporis. 3. Si corpora sint inæqualia, & minus impingat in majus quiescens; post contactum comparatur similiter utriusque celeritas ad impellentis celeritatem, ut ad summam impellentis ponderis pondus utriusque corporis.

138 *Ad tertium* genus pertinent sequentes. 1. Si corpora sint æqualia, & celerius ex illis, quod antecedit, tardius præce-

præcedens assequatur, remanet eadem motus quantitas; sed post contactum communi motu progrediuntur ea celeritate, quæ dimidium sit summæ celeritatum, quæ in ipsis ante contactum reperiebantur. 2. Si corpora sint inæqualia, & majus, quod celerius sit, assequatur minus, ac tardius; post contactum utriusque celeritas, qua communi motu, instar unius corporis, progrediuntur, erit aliquantò major, quàm dimidium summæ celeritatum, quas ante contactum habebant. 3. Si corpora sint inæqualia, & minus, quod celerius sit, assequatur majus, & tardius; communis celeritas, qua simul progredientur, erit aliquantò minor dimidio summæ celeritatum, quibus ante contactum movebantur. *Atque hinc* falsæ, aut inutiles sunt Carteſii Regulæ, ut statuit Corsinus noster. (8)

39 Refractio est: *Curvatio Motus, qua corpus mobile, ob majorem, vel minorem corporis obliquè attacti resistentiam, à recta, qua incesserat, via deflectit.* Quemadmodum itaque, si corpus mobile in aliud immobile, & impenetrabile incidat, veterem motus directionem amittit, ac novam prorsùs in adversam partem acquirit; ita quoque, cum mobile in aliud corpus inæqualis resistentiæ, vel densitatis incurrit, sic deflectit, & inclinatur, ut novam motus directionem acquirat. Cum igitur lapidem in aquam obliquo impulsu projicimus, ita motum inflectit, ut ab aqua motus ipse refrangatur. Sic etiam motus pilæ in parietem obliquè projectæ refrangitur in partem oppositam: Refractionis causa ex his, quæ de causa reflexionis diximus facilè dignosci potest.

40 Continuatio Motus est: *Protensio Motus sine ulla ipsius interruptione.* Quamvis Motus continuatio manifestissima sit, obscurum est tamen, à quo principio originem sortiatur. Hujus igitur continuationis causam inquirentes nonnulli Recentiores, ad aeris elaterium, seu ad vim ejus elasti-

(8) *Tract. 3. Phys. Gen. cap. 13. num. 16.*

elasticam confugiunt ; existimantes, quòd ubi lapis manu projicitur, aer ille, qui posteriorem lapidis partem contingit, ita rarefiat, ac dilatetur, ut lapidi graves, & continuatos ictus imprimens, illum assiduò urgeat, & impellat: eadem ferè ratione, qua in sclopeto pneumatico, dum maximè compressus aer rarefit, & in pristinam redire nititur extensionem, tanta vi plumbeum globum expellit, ut idem ferè ictus sequatur, ac si vi pulveris pyrii impelleretur.

141 Huic affinis est opinio altera docens, continuationis causam esse aeris recursum. Cum enim lapis, aut quidpiam aliud projicitur, aut quovis alio motu impellitur, scinditur, & impellitur aer à parte anteriori, versùs quam mobile dirigitur : &, ne locus ille, qui à lapide retrò relinquitur, vacuus remaneat ; partes aeris anteriores, circulari quodam motu per lapidis latera ad partem illius posteriorem accedunt, atque ita perenni circuitu illum urgent, & impellunt, ut sic motus continuetur, donec recurrentis aeris vires à gravitatis viribus superentur, ac lapis in terram decidat.

142 Utraque hæc opinio eisdem premitur difficultatibus. *Nam* in primis ille aeris recursus effectivè oritur à continuato motu corporis, ut est evidens : Ergò illius causa effectiva esse non potest. *Deinde* : æqualis est aeris resistentia à parte anteriori, ac impetus illius à parte posteriori impellentis ; utrumque enim oritur ab aeris, sive continuatione, sive elaterio : Ergò quantùm juvat motus continuationem impulsus ille, tantùm quoque ipsam impedit illa resistentia. *Insuper* : Si lapidi projecto lana, aut aliud corpus flexile adjungatur in parte posteriori ; clarissimè apparet, lanam, aut flexile corpus non comprimi, ut deberet juxta harum opinionum sensum, sed laxum prorsùs lapidem consequi : Ergò. *Adde* : Corpus naturaliter posse moveri per vacuum semel suppositum ; ast ibi non esset aer : Ergò.

Quamvis

143 Quamvis itaque recursus ille aeris ita contingat, ut his opinionibus exponitur, sive ratione aeris elasticitatis, sive ex impeditione vacui; eum non esse præcipuam continuationis causam, liquidò infertur: atque adeò alia inquirenda est continuati Motus origo. Lucippus, Democritus, & Epicurus existimant, spiritus quosdam, seu tenuissimas atomos ex movente in mobile transire; & quandiù spiritus illi mobili adhærent, illius Motum continuari. *Sed* qua ratione spiritus illi, seu atomi in lapidem translati Motum continuant, & in scopum dirigunt, nisi illis impetum aliquem à manu impressum concedamus? Quem, si lapidi concedimus, inutiles sunt, ac inanes spiritus, & atomi ad Motus continuationem. (9)

144 Verisimilior est cæteris omnibus veterum, recentiorumque Philosophorum opinio asserentium, eamdem causam, quæ primò corpori Motum impressit, eumdem Motum continuare, impetum scilicet, seu impulsum à movente impressum, qui tandiù perseverat, quandiù ab ingenita corporis gravitate, ab aeris resistentia, aut alia extrinseca causa non superatur. Atque hujus opinionis ratio illa est, quam à *num.* 10. pro Motus causa exposuimus: Quandiù enim effectus producitur, ejus causæ virtus influit, quæ productionem incepit; sed Motus, quandiù continuatur, successivè producitur: Ergò eadem causæ virtus, quæ Motum initio produxit, illum successivè, & continuò producit. Sed causa immediata Motus est impetus, seu impulsus ab agente impressus: Ergò idem est causa illius continuationis. (10)

145 Acceleratio denique Motui accidit, cum corpus mobile æqualibus temporis partibus inæqualia spatia majora, & majora percurrit; ut, cum lapis deorsùm movetur, majori semper celeritate in terram descendit. Undè definiri illa

(9) *Vid. Purch. part. 3. Physic. sect. 4. cap. 7.*
(10) *V. Corf. nost. tract. 3. Physic. Gen. cap. 12. à num. XII.*

la poterit: *Continua Motus celeritatis accretio.* Ac hujusmodi sæpè dari in motibus, præsertim naturalibus, acceleratio-nem, ex eo maximè ostenditur, quòd gravia corpora, quò majori ex altitudine decidunt, eò majorem ictum subjecto corpori infligant: id autem aliundè oriri non potest, quàm ex velociori motu, quem corpus decidens in suo descensu acquirit.

46 *Et ratio est*: Nam ea corpora motum accelerant, quæ ab ipsa motus causa indesinenter magis, ac magis urgentur, seu impelluntur; sed gravia corpora sua ipsorum gravitate pressa innato impetu deorsùm magis, ac magis impelluntur: Ergò. *Hinc* in observatorio Regio Parisiensi, (11) omni adhibita diligentia compertum est, corpus decidens in primo momento unam sexpedam percurrisse, secundo momento tres, tertio quinque, & sic deinceps: aut etiam, si pondus aliquod uno minuto secundo ex duodecim pedum altitudine descendisset, intra duo minuta secunda ad quadraginta octo pedes fuisse delapsum. *Undè* inferunt multi, motus accelerationem per impares numeros 1. 3. 5. 7. saltem in minoribus distantiis, evenire.

47 *Jam* verò accelerationis causa non alia esse potest, quàm eà ipsa, quæ Motus entitatis, ejusque continuationis causa fuerit: quemadmodùm enim Motus continuatio activè sumpta est continua Motus effectio, cum Motus nulla pars sit de præsenti, nisi, quæ de præsenti producitur; sic etiam illius acceleratio activè sumpta, est quædam vigore, & activitate continuò accrescens productio, ut, quæ primo temporis momento partem Motus effecerat, secundo tres, tertio quinque, & sic deinceps producat. Quæ cum ita sint; non uno, eodemque modo illa causa motus entitatem, continuationem, & accelerationem causat: nam entitatem simplici influxu, continuationem influxus diuturnitate, suoque incremento efficit accelerationem.

(11) *Purch. ubi supr. cap. 9.*

48 Quandoquidem itaque immediatam causam Motus non aliam esse diximus, nisi impulsum illum, seu impetum à movente corpore mobili impressum, quem continuationis quoque causam appellavimus; eumdem esse immediatum accelerationis principium, nobis asserendum est. Ut, quemadmodùm ille statim, ac mobili imprimitur, Motum efficit, & quandiù durat, ipsum continuat; sic etiam, dum magis, ac magis crescit, seu intenditur, eumdem Motum accelerat. Quòd si hujus accretionis, seu intensionis originem quæras; aliam in naturali motu ascensus, & descensus, aliam in motu præternaturali, aut violento reperies. In descensu enim est congenita corporis gravitas, quatenùs deorsùm urget: ac urget magis quò plùs durat descensus; partim, quia non repentè, sed paulatim totam suam explicat vim impellentem; partim, quia aeris resistentia faciliùs in motus progressu, quàm initio vincitur.

49 Item, eademque ratione in ascensu corporis levis illius accretionis causa est innata levitas, quæ id ipsum efficit in naturali ascensu, quod gravitas in descensu præstat. Cæterùm in his motibus, qui non ab intrinseca, & permanenti qualitate oriuntur, sed ab extrinseco agente impulsum habent, ut motus projecti lapidis, eorum accretionis causa ipsa est, quæ impulsum imprimit, quippè quæ impulsui eam indolem communicat, ut in progressu accrescat (sicut gravium impetus) quousque corporis gravitate, aerisque resistentia debilitatur, & evincitur.

50 Atque ideò motus projecti lapidis initio velox est juxtà impulsus vehementiam, posteà fit velocior, deinde redditur æquabilis, seu impulsui uniformis, ac tandem decrescit, & finitur: quia primò sequitur impulsum, nec est locus accelerationi, donec aeris resistentia superetur, deindè victo aere crescit impulsus; qui operans posteà defatigatur, lassaturque corporis gravitate, & aeris resistentia, quæ numquàm cessat, atque his tandem evincitur. *Ex quibus*

lus inferes, motum æquabilem, seu uniformem esse, qui æqualibus temporis partibus æquales semper spatii partes pertranſit.

ARTICULUS II.

De Motu gravium, & levium: Ubi *de Gravitate, & Levitate.*

1 NIhil oculis, nihil manibus perspicuum magis, aut evidentius, quàm plurima corpora deorsùm, nonnulla sursùm occulto quodam impetu adire; quorùm prima *Gravia*, *Levia* secunda appellari solent. Cæterùm, undè oriantur motus illi, aut quonam principio agente motus ipsi contingant, arduum adeò ab antiquissimis utque temporibus præstantissimis etiam Philosophis visum est, ut, quamvis incredibili ingenii laude plurima illi de illorum motuum origine variè excogitaverint, vix unus, ac ne vix quidem, inveniri poterit, qui non levibus solùm conjecturis, dubiisque principiis, sed certissimis quoque argumentis id explanare possit, quod admirabili industria excogitavit.

2 *Sed verò* inter plurimùm dissidentes Philosophorum opiniones, id unum omnibus, ut judico, certum supponi potest, gravium corporum descensum à sua ipsorum Gravitate, atque levium ascensum ab horum quoque Levitate quodammodò suboriri. Cum enim in his corporibus principium aliquod, sive intrinsecum, sive extrinsecum admitti debeat, quod motus illos modo aliquo efficiat; id tantùm abest, ut principium descensus effectivum *Gravitatem* appelles, & principium ascensus *Levitatem*. Atque hinc tota dirimendæ quæstionis difficultas ad hoc reducitur, ut illorum motuum principia ostendantur, aut quænam sit vera Gravitatis, & Levitatis natura explicetur.

De Gravitate.

3 Ut ab antiquissimis Philosophis exordiamur, Epicurus cum suis Sectatoribus aliquam concessit corporibus insitam, congenitamque Gravitatem, eamdemque à suis atomis indistinctam. Docuit enim, atomos omnes, utpotè solidissimas, graves esse, & ponderosas; atque ita suaptè natura deorsùm tendere, ut eis naturalis descensus, ascensus verò, ex aliorum quippè impulsione, aut compressione ortus, violentus semper extiterit. (1) Ex quibus patet, Epicuream Gravitatem nihil aliud esse, præter ipsam suarum atomorum indolem, seu naturam, earumve soliditatem, quæ apud ipsos nihil est ab atomorum entitate realiter distinctum.

4 Gassendvs autem nullam in corporibus intrinsecam Gravitatem admittit: imò existimat, ea non spontè, aut, aliquo intrinseco impellente decidere in terram, neque ab aliquo corpore superincumbente premi; sed potiùs ab ipsâ terra deorsùm trahi. Ut enim ferrum à magnete trahitur, quia ejusdem ferè naturæ cum illo est, atque ex eadem fondina educitur; ita etiam terra illa corpora ad se rapit, quæ terrea sunt, & ad globum terraqueum, illiusve athmosphæram pertinent. Ideò ejusmodi corpora perpendiculariter in terram decidunt, à qua non nisi vi quadam removeri possunt: ideò etiam, quò illi sunt proximiora, eò velociùs in ipsam impelluntur; quoniam ejusmodi affectiones in ferro quoque magnetica vi attracto observantur.

5 *At verò*, ut illiusmodi attractionem explicent Gassendistæ, asserunt, è terra plurimas particulas, seu atomos quaquaversùm veluti radios diffundi; quæ, cum uncinatæ, seu hamatæ sint, ubi corpus aliquod per aerem incurrunt, illi arctissimè devinciuntur, illudque in terram abripiunt:

eo

(1) *Vid. Purch. 3. part. Physic. sect. 4. cap. 10.*

eo prorsùs modo, quo tenuissimæ quædam particulæ ex magnetis substantia prodeuntes, ferri particulis implicatæ, ferrum ipsum ad magnetem deferunt. *Sed* hæc opinio liberiùs, quàm ut approbari valeat, invecta est à Gassendo: Nam in primis, quo fundamento, nisi libera fictione, statui, probarique potest illud tot curvarum atomorum effluvium?

6 *Deindè*: Si tot atomi uncinatæ è terra erumperent, & corpora, quibus in aere pendentibus occurrunt, in terram abriperent; vel ineesset atomis ipsis ingenita vis aliqua, qua ad terram unà cum abrepto corpore redirent; vel illæ quoque atomi ab alio traherentur? Si *primum*: Ergò eadem vis corporibus omnibus terrestribus æquo jure concedi poterit, ut spontè per se ipsa ad terram deferantur; ac per consequens inutilis redditur tot curvarum atomorum occursus. Si *secundum*: Ergò illud quoque, à quo atomi attrahuntur, ab alio attrahi, hoc ab alio, & sic usque in infinitum deberet, nisi denique Gravitas alicui corpori intrinseca concedatur.

7 *Prætereà*: Vel uncinatæ illæ atomi, quando è terra erumpentes corpori occurrunt, in partes illius solidas incurrunt, vel in illius poros, meatusque vacuos à Gassendo admissos? Si *primum*: illud potiùs ita urgerent, ac impellerent, ut longiùs à terra corpus ipsum repelleretur, atque recederet, quàm ad ipsam traheretur. Si *secundum*: corpus ad terram numquàm reducerent, sed liberè potiùs, penetrata corporis substantia, avolarent; quia nullum esset obstaculum, quominùs corporis poros permeantes, altiùs elevarentur. *At* nihil magis abest, quàm ut magnetis exemplum Gassendistis prodesse possit: nam eadem ratione, magnetis attractionem per uncinatas atomos fieri negandum est.

8 Cartesivs quoque, ut intrinsecam ullam corporibus Gravitatem esse negavit, sic ea ab extrinseco agente

deorsùm

deorsùm moveri dixit : non quidem per attractionem inferioris corporis, ut placet Gassendistis, sed per alicujus superpositi corporis pressionem, & nixum. Concipit igitur Cartesius, universam mundi corporei substantiam primùm quidem in tenuissimas particulas cubicas fuisse à Deo divisam : deinde particulas omnes motu quodam illis impresso fuisse agitatas circa proprium axem, eodemque tempore quasdam circa punctum aliquod, quasdam verò circa aliud conversas fuisse.

9 *Ex quibus* factum esse existimat, ut plures veluti vortices inde exorti fuerint, in quibus omnes particulæ circa centrum circulariter moverentur. Ex hoc autem circulari motu fieri debuit, ut tenuissimæ particulæ vim quamdam centrifugam adeptæ fuerint, qua nimirùm à vorticis centro ad circumferentiam, vel circa circumferentiam ipsam elabi, vel accedere enitantur : Non secùs, ac lapis fune, aut funda circulariter contortus, impetum concipit, quo à manu funem tenente nititur recedere. Et, quia quædam particulæ agiliores sunt, quædam inertiores; citiùs illæ ad vorticis superficiem accedunt, à qua cum exire nequeant, ad vorticis centrum revertuntur, & inertiores, tardioresque particulas, quibus in redditu occurrunt, in centrum ipsum urgent, & impellunt.

10 Hanc doctrinam multis exemplis illustrare solent Cartesiani : illo præsertim ceræ obsignatoriæ, quam exteri *Ceram Hispanam* vocant. Si enim illa ad pulverem redacta *in pelvim* aqua plenam injiciatur, & baculo, aut digito circumagatur aqua, statim ceræ simul, & aquæ particulæ ad pelvis latera feruntur : sed, quia aquæ particulæ, fluidæ quippè, levioremque superficiem habentes, mobiliores sunt ceræ particulis, utpote ramosis, & asperis, citiùs, ac celeriùs illæ, hæ tardiùs commoventur : atque ideo aquæ particulæ ex vasis circumferentia reflexæ, ad vasis centrum redeuntes, sibi occurrentes ceræ particulas versùs

centrum

centrum ipsum impellunt; & cum æqualiter undique comprimantur, in vasis centro consistunt. (2)

11 *Unde*, ad rem magis accedentes Cartesiani, concipiunt circa Orbem terraqueum vorticem ex ætherea subtilique substantia constitutum, eumdemque divisum in plures veluti pyramides telluri penes cuspides insistentes, quarum æthereæ particulæ eadem velocitate, & vi centrifuga ad vorticis latera, aut circumferentiam accedunt, ibique resilientes, ad ipsius centrum, quod est terræ superficies, rapido cursu redeunt, & corpora tardiora, v. gr. lapidem, in aere reperta versùs terram impellunt. Nec solùm à materia propriæ pyramidis corpora illiusmodi premuntur, sed à particulis etiam proximarum pyramidum: Cum enim particulæ pyramidis, in qua est corpus iners, remissiùs premant latera proximarum pyramidum, harum particulæ motum communicant materiæ pyramidis intermediæ. (3)

12 His itaque suppositis, non aliam esse Gravitatem, aut motus deorsùm originem arbitrantur, quàm perennem ejusmodi materiæ subtilis motum, quo inertiora corpora premuntur, & deorsùm impelluntur. Sic enim corpora gravia deorsùm perpendiculariter detruduntur; quia, cum omnium pyramidum particulæ æqualiter undequaque ad vorticis centrum redeant, quaquaversùs corpus comprimunt ad descensum perpendicularem. Sic etiam, cum in corporis descensu novis semper particularum ictibus illud urgeatur, motum inter descendendum accelerat.

13 Hæc tamen Cartesii sententia multis impugnari solet: *Ut* 1. Quia vehemens ille æthereæ, subtiliisque substantiæ motus, aut nullo prorsùs, aut falso, Sacrisque Literis opposito innititur fundamento, diurno scilicet telluris motu. 2. Quia ejusmodi particularum motus sine aliqua ipsarum Gravitate fieri non potest; nam vis centrifuga pendet ex

(2) *V. Purch. 1. part. Phys. sect 4. cap. 10.*

(3) *Vide P. Corsin. tract. 3. Phys. Gen. cap. 7.*

ex Gravitate corporis, quod circulariter movetur. 3. Quia si particulæ æthereæ motu centrifugo corpora moverent; potiùs, aut priùs saltim, è vorticis centro, quod terra est, ea sursùm impellerent, quàm redeuntes illæ in centrum ipsum à circumferentia deprimerent. 4. Quia, juxtà hanc hypothesim omnia corpora æquali velocitate descenderent, cum omnibus particularum ictus uno modo imprimantur. (4)

14 Præjactæ jam Carteſianorum ſententiæ haud diſſimilis eſt illa cujuſdam Recentioris (5) opinio, qui ſupponit, immenſum illud ſpatium terram inter, & firmamentum eſſe plenum ſubtili, fluida, mobilique materia circumquaque ſe movente. Atque ita, ſi corpus aliquod ſurſùm projiciatur, eò uſque pertingit, quò projicientis impulſu raptum fuerit: poſtea verò eum motum accipit, quem ſubtilis materia ipſi communicat. At verò, cum materia illa undequaque corpori adhæreat, & ſuo motu in omnes partes illud impellat; in eam partem corpus tandem deflectitur, ubi eſt minor prædictæ materiæ quantitas: Unde non in unum, aut alterum latus vertitur; quia utrinquè urget æqua materiæ portio: nec ſurſùm dirigitur, ſed deorſùm; quia ſuprà eſt multò major, quàm infrà, materiæ quantitas.

15 *Cæterùm*, ſi hæc opinio vera eſſet, nullum corpus, etiam vi maxima, ſurſùm corripi umquàm experiremur. Cum enim tanta ſit ſubtilis materiæ moles, quæ terræ, & firmamento intereſt, tanta vis motrix, ut corpus quodcumque in terram maximo impetu, quem nullus hominum manu facilè impedire valet, ſemper impellat: quænam virtus ſufficiet ad corpus ſolidum ſurſùm corripiendum, quæ potiùs illius materiæ vi non impediatur, ac ſuperetur? Et qua ratione illa materia non impedit flammæ, fumi, vaporum-

(4) *Pro aliis impug. V. Corſ. Noſt. ubi ſup. cap.* 8. *num.* II.
(5) *Doct. Piquer in ſua Phyſ. tractat.* 3. *cap.* 13.

porumque elevationem? Propter horum, inquies, raritatem. *Sed* mirum sanè, quòd tanta sit flammæ raritas, ut nulla ejus pars tanta materiæ mole deorsùm prematur.

16 *UT* igitur veram, juxtà mentem Aristotelis, Gravitatem exponamus, primò præmitti poterit, Gravitatis vires ita materiæ multitudini correspondere, ut quò major sit materiæ soliditas, sive quò densiora sint corpora, eò quoque major futura sit Gravitas. Unde sub æquali mole gravius est plumbum, quàm lignum, gravius quoque lignum, quàm lana. Atque ideo ex majori, aut minori materiæ densitate, aut duritia, servata molis æqualitate, aut proportione, major, aut minor Gravitas definiri valet. Cæterùm, cum omnium corporum materia secundùm se ipsam spectata ejusdem indolis sit, ac solùm ratione formæ diversitatem ullam habeat; quòd materia solida sit, aut fluida, rara, aut densa, dura mollisve, à forma, eam juxtà naturam compositi constituendi disponente, primò, & principaliùs oriri debet.

17 *Hinc* primordialis cujuscumque Gravitatis origo est forma substantialis sua natura exigens, ac disponens materiæ raritatem, aut densitatem sub determinatis dimensionibus: ex eo enim, quòd materia sit ita dispositа per formam, ut multa sit sub certis dimensionibus, gravius est corpus, quàm si sub eisdem dimensionibus sit parùm materiæ. Hucusque tamen Gravitatis originem, non tamen naturam expositimus. Cum itaque Gravitas sit principium illud proximum, à quo corporum descensus immediatè oritur, ac nulla operatio ab aliqua substantia valeat immediatè procedere, ut alibi fusè probavimus: (6) eam esse accidens aliquod toti substantiæ superadditum, necesse est.

18 Ex quibus facilè intelligi, deprehendique potest, Gravitatem nihil aliud esse, quàm naturalem impetum,

(6) *Lib. 2. quæst. 2. artic. 1.*

seu innatum impulsum ad materiæ densitatem, & duritiem, forma exigente, consequutum; atque hinc qualitatem naturalem à tota substantia, quatenùs plùs, minùsve dura, ac solida intensiorem, aut remissiorem dimanantem, vi cujus deorsùm illa impellitur, & deprimitur. Hoc tamen non est ita intelligendum, ut Gravitas materiæ densitatem absolutè consequatur, ac proinde si densa res aliqua rarefiat, pristinam quoque deperdat Gravitatem: cum potiùs congenitam densitatem, quatenùs certis quantitatis dimensionibus comprehensam, subsequatur; ut proindè res quælibet gravior sit altera, si sub æquali dimensione sit densior; aut res ipsa levior reddatur, si sub eisdem dimensionibus mollior fiat.

19 Atque ita facilè, nî fallimur, ea omnia resolvi, dirimique possunt, quæ de corporum Gravitate exagitari solent. *Ut* 1. quòd eò major est corporis Gravitas, servata molis proportione, eòque velocior descensus, nisi ab aliquo extrinseco impediatur, quò fuerit ejus materia densior, & solidior: 2. quòd in eodem corpore, ejus densitate invariata, æqualis semper Gravitas, quæ easdem semper vires exerit, reperitur: 3. quòd si corpus minoris molis velociùs descendit, quàm mole majus, etsi hoc æqualis, aut majoris sit densitatis; id erit ob resistentiam aeris, qui magis resistit plano corpori, aut alterius figuræ aeri dividendo ineptæ, quàm acuto, vel rotundo: 4. Quòd corpus grave linea recta descendit semper, quia Gravitas corpus in centrum perpendiculariter dirigit, &c.

De Levitate.

20 Levitas alia dicitur absoluta, seu positiva, alia verò relativa, seu negativa: quemadmodùm etiam corpora alia absolutè, & positivè levia, alia relativè, seu negativè levia vocari solent. Corpora positivè, simpliciter, & absolutè levia dicuntur illa, quæ, omni prosùs gravitate

cum

cum destituta sint, vim aliquam, seu principium habent, quo à telluris centro ad circumferentiam accedere nitantur; atque adeo ejusmodi vis, ac principium sursùm tendendi, Levitas absoluta, seu positiva appellatur. Corpora verò negativè levia vocantur illa, quæ cum nullam vim habeant ad ascensum, nullam quoque, aut minimam habent gravitatem; ac proinde, aut negativè, aut relativè levia dicuntur.

21 Recentiores omnes, quos vocant *Corpusculares*, Philosophi omnibus, & singulis corporibus positivam gravitatem inesse arbitrantur: ita, ut ea omnia positivè, & absolutè gravia sint, quamvis alia aliis leviora ideo dicantur, quia sunt minùs gravia; ac proindè solam Levitatem relativam quibusdam corporibus convenire defendunt. Potissima eorum ratio est: quia natura numquàm efficit per plura, quod æqualiter fieri potest per pauciora; sed operationes omnes, omnesque naturales effectus sola gravitate positiva, & absoluta, ac Levitate solùm relativa fieri, & explicari possunt: Ergò inutilis omninò esset Levitas positiva.

22 Minorem argumenti ex eo maximè ostendunt, quòd sola relativa Levitate salvatur, ac nitidè exponitur debitus ille elementorum, ac rerum elementarium ordo, quo graviora levioribus subsident: non, quòd leviora sponte sursùm tendant; sed, quia graviora in suum centrum vi majore compulsa, levia quæcumque, aut se ipsis minùs gravia evehunt, ut patet in aqua truncum elevante. *Hinc* etiam ascensus ignis, aut flammæ non ab intrinseco principio, quod positiva sit Levitas, sed ab aeris pressione oritur: quoniam aer, utpotè gravior igne, ignem ipsum urget ad ascendendum.

23 Id magis confirmant experimento, quod celeberrimum vocant: si enim in tubo Torricilliano, vel machina pneumatica materia combustibilis appendatur, & ope speculi

culi ustorii, extracto aere, accendatur; fumus ille tenuissimus deorsùm tendit: non alia certè de causa, nisi quòd ab aere nimiùm rarefacto sustineri, & sursùm impelli non potest. *Addi* potest, quòd flama in camino non ascendit, nisi aperto illius ostio, ob eamdem rationem. *Addi* quoque potest, multa corpora ignita, metalla præsertim, esse pondere majora, quàm secundùm se ipsa.

24 Hæc tamen, aliaque id genus argumenta minorem vim habent, quàm ut Aristotelis opinionem de corporum Levitate valeant infringere. Is itaque cum omnibus Peripateticis positivam, absolutamque Levitatem in rebus existere, eamdemque necessariam esse ad pulcherrimum Universi ordinem, constanter opinatur: ut, quemadmodùm positiva gravitas his corporibus est, quæ sponte, & nullo extrinseco impellente descendunt; sic etiam illis sit Levitas positiva, quæ sursùm semper absque alterius corporis impulsu, ut flamma, progrediuntur. Et nihil rationi consentaneum magis quàm ut oppositorum effectuum oppositæ quoque sint causæ; sed causa naturalis descensus est positiva gravitas: Ergò causa positivi, & naturalis ascensus est Levitas positiva.

25 *Præterea*: Naturalis ordo Universi eam dispositionem exigit, ut quædam corpora sint in medio, quædam in circumferentia, aut quædam suprà, & quædam infrà; sed illa, quæ infrà, aut in centro sunt, ea virtute sunt prædita, qua semper in centrum ipsum compellantur: Ergò pariter: non enim minùs natura est provida superioribus illis, ac pœnè cælestibus corporibus, quæ perfectiora sunt, quàm his inferioribus terrestribus, & minùs perfectis. *His* addi potest, inversam alioquin futuram esse Universi dispositionem, si majora illa, & longè perfectiora corpora, quæ sunt in circumferentia, inferioribus adeo subdantur, ut ab his non permittantur in inferiorem locum tendere, quò naturaliter inclinantur.

Et

26 Et quid magis inconsequens, quàm ut Recentiores omnes, qui corporibus non aliam gravitatis speciem attribuentes, nisi impulsum ab aliquo extrinseco advenientem, à terræ scilicet attractione, aut ab æthereæ substantiæ pressione, & nisu, illis tribuunt nihilominùs positivam graviratem, Levitatem positivam negent; quoniam ea, quæ sursùm semper moventur, non ab intrinseco, sed ab extrinseco impellente moveantur? Et quid prohibet, ut eadem facilitate, qua illi omnia magis, aut minùs gravia esse affirmant, quicumque asserat, omnia magis, aut minùs levia esse, ac nullam dari positivam gravitatem, sed potiùs illi effectus, qui gravitati tribuuntur, minori levitati, aut levitatis privationi tribuantur?

27 Ex quibus patet jam solutio ad potissimam Adversariorum rationem propositam à *num.* 21. *Nam* licet sola positiva gravitate, & Levitate relativa omnes effectus explicari, & fieri absolutè valeant, non tamen potiùs, quàm positiva Levitate, & gravitate relativa; ac proindè eorum argumentum est liberum philosophandi genus. Si enim corporum ascensus ritè exponitur per aliorum corporum pressionem, & impetum: corporum quoque descensus per ascendentium pressionem, & impetum quamoptimè explicare quisque poterit. Standum igitur nobis est connaturali rerum ordini; ut, quæ suprà sunt, naturaliter exigant sursùm tendere; è contrà, quæ infrà commorantur. *Undè* sine positiva tam gravitate, quàm Levitate nequeunt omnes effectus juxtà naturæ ordinem exponi.

28 Ea quoque experimenta, quæ num. 22. inuuntur, facilè dissolvi possunt. *Primò*: quia Bouleduc (7) multa in oppositum affert experimenta, quibus ea, si non falsificantur, nimiùm dubia, suspectaque redduntur. *Secundò*: quia descensus fumi in machina pneumatica habere potest causam extrinsecam, aerem nimirùm rarefactum deorsùm tenden-

(7) *Apud Piquer, tract. 4. cap. 2. prop. 56.*

dentem. In camino autem clauſo non aſcendit flamma, quia fumo, & exhalatione violenter comprimitur, & ſuffocatur; cujus oppoſitum evenit, ſi oſtio aperto liber fumo exitus pateat. Metalla demum ignita graviora eſſe ſolent, quia eorum poris calore ignis expanſis, gravia corpuſcula intromittuntur; aut ea aliquid de vaſſe, ubi igniuntur, abſumunt. De cætero autem ferrum, aliaque plura ignita minimè redduntur graviora.

29 Supereſt tantùm, ut Levitatis naturam juxtà ea, quæ de gravitate diximus, breviter exponamus. Eſt igitur Levitas qualitas quædam certis corporibus naturaliter indita, ſeu innatus impulſus, quo illa ſurſùm evehuntur. Ea tamen conſequitur ſummam corporis raritatem, & mollitiem; non qualemcumque, ſed quam certis, determinatiſque dimenſionibus ſubſtantialis corporis forma exigit innatè: ut proindè prima Levitatis origo ſit forma ſubſtantialis, materiæ raritatem, & mollitiem ſub illis dimenſionibus radicans, quibus ſit naturalis aſcenſus; ad cujus immediatam effectionem accidentalem quoque potentiam, quæ poſitiva Levitas dicitur, neceſſariò requirit. Quænam gravia, quænam ſint corpora levia, alibi dicemus.

ARTICULUS III.

De Motu Elaſtico, Motuque projectorum, & pendulorum: Ubi nonnihil de Quiete.

1 MOtum Elaſticum eum eſſe, quo res aliqua in violentam diſpoſitionem acta, ad naturalem iterùm partium explicationem, aut compreſsionem, rectitudinem, aut curvitatem reddit, ex his conſtat, quæ ſuprà diximus. At verò hujuſmodi Motus non ſine aliqua vi, ſeu virtute, quæ ſit illius principium, evenire poteſt; quæ proindè virtus, ſeu *vis Elaſtica* dicatur: Undè, cum virga

in

in modum actus inflexa, in pristinam rectitudinem reddit, cum lava manu compressa, & relicta ad antiquam se se restituit amplitudinem; vi aliqua, seu virtute ejusmodi Motus exercetur.

2 Cæterùm hujusmodi vis non in alio stare posse videtur, quàm in partium corporis rigiditate, & duritia, aliqua tamen permixtis flexibilitate; ut proindè major sit, & potentior corporis Elasticitas, quò ejus partes fuerint rigidiores, dummodò rigiditas illa vi aliqua flecti, evinciique possit. *Ex quibus* duo intelliges: *Primum* est, quòd si extaret corpus omninò durum, & inflexibile, qualis fingitur Epicureorum atomus; id omni vi Elastica videretur destitutum: *Secundum* est, quòd si corpus aliquod ita sit liquidum, ut omnis figuræ absque ulla vi suscipiendæ, ac relinquendæ sit capax; id quoque omni prorsùs Elaterio caret. Sed corporum Elaterium, cum sensibus pateat, facilius est, quàm ut plurima indigeat expositione.

3 Circa Motum projectorum, præter ea, quæ de Motus directione diximus, ea juvat exponere, quæ ad ipsum singulariter pertinent. Ac in primis docent Recentiores multi, (1) quòd si corpus aliquod horizontaliter, seu planè projiciatur, non rectam, sed curvam lineam, ad modum arcus, describit. Eorum ratio est: quia, dum projicientis impetus horizontaliter movet corpus, hujus quoque gravitas deorsùm illud impellit, ut proindè lineam curvam, quàm Mathematici vocant *parabolicam*, efformet. *Sed* hæc doctrina simpliciter, & ut sonat, falsa est: nam pila plumbea è sclopeto ritè in scopum directo explosa, directè, & sine ulla curvitate scopum attingit.

4 Melius, ut judico, projectorum Motus exponitur, si ita explicetur, ut initio, dumque projicientis impulsus gravitatis projecti vim superat, projectum corpus rectam lineam percurrat: postea verò, cum impulsus minuitur, ac gravi-

(1) *Vide P. Corf. tract. 3. Phys. Gen. cap. 12. num. XVII.*

gravitati æquatur ; æquè deorsùm , atque prorsùm progreditur , lineamque perfectè curvam efformat : cum deindè corporis impetum gravitas ſuperat ; plùs deorsùm , quàm prorsùm motum accelerat : ſi demum , impulſu deſtructo, ſola gravitas urgeat ; corpus illud deorsùm perpendiculariter cadit.

5 Quòd ſi corpus non horizontaliter, ſeu planè projiciatur , ſed obliquè ſurſùm ; initio deſcribit lineam rectam quandiù impulſus gravitatis vires multùm excedit : dum parùm eas ſuperat ; incipit de recta in curvam lineam declinare: quando eas æquat; perfectam curvitatem exercet: cum inſuper impulſus gravitate ſuperatur , ac vincitur ; lineam magis perpendicularem , quàm curvam deſcribit : quam perpendicularem omninò format , ſi impetu deſtructo , ſola tandem gravitate corpus prematur. Horum omnium ratio eſt : quia , ſi idem mobile duplici directione movetur ; eam magis , aut minùs ſequitur , quæ plùs , minùſve potens eſt ; & , ſi æquales illæ ſint ; ſequitur viam inter utramque mediam.

6 Pendulorum Motus in triplici differentia obſervatur. Cum enim aliquid funè ligatum decidit ; ſtatim ac eò uſque deſcenderit , ut ultrà funis pertingere non poſsit , corpus illud per ſaltus ſurſùm , deorsùmque aliquandiù agitur: deindè hùc , illùcque commovetur. Cauſa prioris Motus eſt funis elaſticitas ; nam ejus partes ponderis impetu plùs in longum protrahuntur , quàm ut innata earum rigiditas patiatur : ideò ſua elaſticitate ſtatim contrahuntur , ponduſque attrahitur : pondus iterùm ſua gravitate deorsùm urget, funemque minùs quàm anteà extendit : hæc iterùm , etſi minùs jam , contrahitur , ponduſque aliquantulùm rapit : & ſic deinceps , quouſque corporis gravitas , funiſque elaſticitas ad æquilibrium reducuntur.

7 Cauſa ſecundi Motus in funependulis , quo nimirùm hùc , illùcque agitantur, eſſe poteſt motus ſimilis illius corporis,

poris, à quo funis dependet : aut etiam aeris undulationes, quibus corpus agitur, quouſque his ad æquilibrium reductis, quieſcit : aut inſuper innata corporis gravitas, quæ, cum in deſcenſu corporis centrum linea recta ſemper inquirat, à qua funis impetu deflexerat ; hùc, illùcque corpus ipſum impellit, ut paulatim gravitatis punctum inveniat : aut denique funis elaſticitas ; nam, ſi corpus obliquè decidat, funis elaterio in oppoſitam partem corpus ipſum redigitur.

8 Cauſa demùm circularis motus eſt continuus impulſus moventis circa ſe ipſum, aut circa aliud corpus. Eo enim impetu in ſingulis partibus motus mobile mutat directionem de recta, quam ſemper intendit, in obliquam. Patet exemplo lapidis funda circumacti : ex eo enim, quòd lapis ita funda dirigatur, ut ad motum compulſus, rectam lineam, quam aliàs arriperet, ut arripit, ſi è funda elabatur, deſerat ; in ſingulis motus partibus aliam, & aliam circa manum funem tenentem elicit, ex quibus perfectus circulus coaleſcit.

De Quiete.

9 Exiſtimat Carteſius, (2) quòd, ſicut Motus eſt aliquid reale poſitivum, quo corpus impellitur ; ita ſimiliter ipſa Quies ſit aliquis modus poſitivus realis corpori conveniens, quo nimirùm corpus ipſum motui reſiſtit. Contrà verò Ariſtoteles expreſsè aſſerit : (3) *Quies eſt privatio motus.* Ex eo autem convincitur opinio Ariſtotelis, quòd motu ceſſante, nullo alio poſitivo ſuperaddito, intelligitur corpus quieſcere, ſicut verè concipitur homo mortuus, ſola vita ceſſante ; ſed mors hominis in ſola privatione vitæ conſiſtit : Ergò. *Deindè* : Motu ceſſante, & nullo alio corpori ſuperaddito, corpus non movetur ; ſed hoc ipſo quieſcit, ut eſt evidens : Ergò.

(2) *De Sum. cap. 7. & Prin. 11. art. 45. & 55.*
(3) *8. Phyſic. cap. 1.*

10 *Si opponas*: quòd si Quies dici posset sola privatio motus, eadem ratione motus etiam vocari posset sola privatio Quietis. *Resp.* Maximum esse discrimen inter motum, & Quietem, ut hæc, & non ille in privativo consistat. Quies enim salvatur, ac optimè concipitur, dum corpus in aliquo loco existens nihil operatur; motus verò semper cum operatione conjungitur: sicut vicissim nulla est operatio, quæ cum aliquo motu non perficiatur; Quieti autem sola operationis privatio jungitur.

ARTICULUS IV.

Aliqua de Motu Locali dubia resolvuntur.

1 *DUBITABIS* 1. An Motus quantùm est ex se semper dirigatur per lineam rectam? *Resp.* affirmativè. *Ratio est*: Quia natura brevitatem, & simplicitatem in omnibus semper intendit: brevior autem, & simplicior via, qua mobile terminum acquirit, est linea recta. *Tum* etiam: quia res semel ad motum determinata, in eàdem determinatione persistit, donec Motus durat, aut ab alio aliter determinatur. *Hinc*: Si lapis funda circumactus, elabatur; rectam lineam arripit in eam partem, versùs quam elapsus est: lapillus etiam rotæ in gyrum actæ adjunctus, ab ipsa per lineam rectam projicitur. Id ipsum patet in corporum ascensu, & descensu, sive naturali, sive violento.

2 *DUBIT.* 2. An mobile in puncto reflexionis aliquandiù quiescat? *Resp.* affirmativè. *Ratio est*: quia, cum unum corpus in aliud impingit, à quo reflectitur, est quædam pugna inter impellentis, repellentisque vires: atque adeo, ut virtus repellentis agentem priùs, ac quasi victricem impellentis vim superet, eas ad æquilibrium, quo neutra vincatur, sed quiescat utraque, pro brevi, eaque sen-

sibu-

sibus eò minùs perceptibili morula, quò major fuerit impulsus, reducantur necesse est. Per accidens nihilominùs quies illa interdùm impediri valet; ut, si lapillo sursùm projecto maximus lapis descensus occurrat.

3 *DUBIT.* 3. Quatenùs moveantur globus è tormento bellico excussus, sagitta arcu emissa, & ventus impetu concitatus? *Resp.* flammam in pyrio pulvere productam, dùm nititur ad obtinendam debitam suarum partium explicationem, vi elastica obstantem globum impellere: sic etiam arcus vi elastica se se in debitum situm restituens, emittit sagittam: sic demum exhalatio, se vi elastica explicans, in concitatum ventum redigitur. *Hinc* sclopetum vehementer occlusum flammæ elasticitate ea parte rumpitur, qua debilius est: aut etiam, si flamma per illius os erumpens obicem invenerit, reflectitur, ac vi reflexionis sclopetum retrorsùm pellitur, ac demùm frangitur quà est debilius.

4 *DUBIT.* 4. Qua ratione animalia motum progressivum efficiant? *Resp.* omne animal progressivè moveri duplici ratione: *Primò*, musculà, quibus motus exercetur, sua potentia loco motiva agitando: *Secundò*, lineam directionis suæ gravitatis servando. *Hinc* homo, cujus directionis linea, dum steterit, à capite ad medium inter utrumque pedem descendit, ut progrediatur, pedem priùs unum movet, corpusque super alium reclinat, ut directionis linea super immotum pedem innitatur: deindè pedem alterum movet, ac super primum corpus quiescit eadem ratione: atque ita deinceps, dum progressivè movetur; ut quodlibet etiam bipes animal.

5 *Hinc etiam*, cum homo pondus à tergo sustinet, corpus prorsùm inclinat; si ad latus portat, ad oppositum corpus deflectit; ut rectam semper ponderis, & corporis unà gravitantium directionis lineam assequatur. Eadem ratione, cùm prorsùm inclinatur, ut terram attingat, retrorsùm etiam posteriorem sui corporis partem deflectit, aut

pedem tendit, ut corpus penes medium pedibus innitatur. Quoties igitur cadit homo, id unicè ex eo provenit, quòd ab aliquo è recta directionis linea excludatur. Bruta etiam suæ gravitatis directionem servant: sic etiam velocissimè currentia, dum unum tenent pedem elevatum, reliquis omnibus nituntur; ut in motu tardo observatur.

6 *DUBIT.* 5. Quomodò contingat avium volatus? *Resp.* præcipuam, ac efficientem volatus causam esse avem ipsam, quæ se per aera agitat, impellitque; se enim movet ab intrinseco. In genere causæ materialis concurrit primò illius corpus, quod expansis alis planam, extensamque superficiem minùs, quàm corpus ipsum contractis alis gravitantem, efficit: concurrunt insuper alæ ipsæ, quibus avis aeri innititur, eumque quasi remigando scindit; quibus etiam cum aerem premit, hujus resistentia, & impulsu prorsùm, sursùm, aut seorsùm appellitur.

7 *DUBIT.* 6. Quatenùs Funambuli per funem progrediantur, atque in ea varios motus exerceant? *Resp.* eorum artificium in eo consistere, ut gravitatis sui corporis centrum ita servent, ut directionis linea rectè descendat ad pedem, aut partem illam, qua in fune considunt. Ut itaque hujusmodi gravitatis lineam ad centrum semper dirigant in suis motibus, quibus pueri facilè assuescunt, varias corporis inflexiones exercent, ac sæpè etiam versùs oppositam ei, in quam nutant, partem brachia protendunt, ut quasi quibusdam alis, seu remis corporis gravitatem super recta directionis linea conservent.

8 *DUBIT.* 7. Qua ratione, & industria felices ex alta rupe, aut turri correpti plerumque pedibus priùs, quàm alia corporis parte terram attingant? *Resp.* rationem esse, quia felices in descensu ob naturalem metum corpus retrorsùm inflectunt, prorsùm autem corpus ipsum, caput, pedesque vi maxima extendunt; atque ita in parte anteriori majorem nisum, majoremque gravitatem habent, & exercent,

cent, quàm in posteriori: Unde in ipso descensu, quocumque modo illum inceperint, pars anterior supponitur posteriori; & sic descendunt quousque pedibus priùs, quàm alia corporis parte ad terram pervenerint.

9 *DUBIT.* 8. Quare, cum è superiori parte mali alicujus navis velocissimè currentis pondus aliquod dimittitur, ad infimam mali partem descendat? Facti veritas est ita frequenti experientia firmata, ut nemo jam prudenter illam valeat denegare. Ratio autem dubitandi est: quia, cùm tempore, quo à mali vertice ad infimam ejus partem corpus descendit, notabile spatium percurrat navis; illud non ad infimam mali partem, sed ad punctum illud, quo malum innitebatur, cum cæpit descensus corporis, & quod jam reliquit, casurum esse videtur.

10 *Resp.* rationem esse: quia pondus, cum à superiori parte dimittitur, duas simul ad motum accipit directiones, alteram perpendicularis descensus à sua ipsius gravitate, alteram horizontalem, seu planæ progressionis à navi; hæc enim cum moveat horizontaliter malum, aut aliud quodcumque projiciens pondus, in ipso actu projiciendi, illius impulsum dirigit, ut ponderi horizontaliter imprimatur. Hinc pondus non descendit linea perfectè perpendiculari, ut ad punctum illud, quo malum initio descensus nitebatur, decidat; sed linea mixta ex perpendiculari, & horizontali, atque eò magis horizontali, quò majori vi navis corripiatur: ideo pondus illud ad infimam mali partem descendit.

11 Sed verò è contrà, ut judico, eveniret, si pondus in aere pendens suprà anteriorem partem navis, in navim decurrentem caderet: tunc enim, cum nulla ratione dirigi posset à navi ipsa, aut alio agente per lineam horizontalem; perpendiculariter abs dubio descenderet, atque in eam partem navis veniret, quæ esset sub puncto, à quo ponderis descensus incepisset. Eadem ratione, qua pondus de summo ad infimum mali descenderet, lapis quoque è navi

sursùm

sursùm perpendiculariter projectus, in navim ipsam semper recidit; ut, experientia magistra, multi didicerunt.

12 *INQUIRES* 9. Cur animalia, vel homo etiam, cum schalam, aut montem ascendunt, caput porrigant, demittantque, & posteriores corporis partes tendant, ac projiciant? *Resp.* Quia, cum corpus sua gravitate ascensui resistat, anteriori pede innixa animalia caput porrigunt, & demittunt, ut eo, quasi quodam vecte, corporis pondus elevantia, facilius ascendant. Hinc observatum est, ut quando anser horrei ostium, quamvis altum, intrat, caput demittat: non, quòd timeat illius attingere superliminare, quod remotum valde est; sed ut modo dicto ostii limen, quod poni solet, facilius superet. *Si dicas*: Non semper ad horrei ostium positum esse limen: *Neque* anser caput semper demittit, ingrediendo.

QUÆSTIO IV.

DE LOCO, ET VACVO.

ARTICVLVS I.

De Loci natura. Ubi: *An idem corpus in duplici loco, aut in eodem loco duplex corpus valeat existere?*

1 LOcus aliquando sumitur pro superficie concava corporis ambientis aliud corpus; aliquandò verò pro spatio, quod à corpore locato occupari concipitur: Sic, v. gr. concava, seu interior vasis superficies dicitur Locus aquæ in vase contentæ,

tæ; ac etiam dicitur ejus Locus ſpatium vaſis, quod occupat aqua intra ambitum interioris ſuperficiei. Primus dicitur Locus *extrinſecus*; ſecundus verò *intrinſecus*. Atque omiſſa quæſtione illa, num ſcilicet intrinſecus Locus ſit verè talis; in præſentiarùm agimus ſolùm de Loco extrinſeco, qui verè Locus eſt, niſi Loci nomen ad libitum uſurpare liceat.

2 Duplex in primis diſtinguendus eſt Locus, alter communis, proprius alter. *Communis* Locus eſt, qui locatum ſimul, aliaque plura continet: ſic ſphæra ultima eſt communis omnium corporum ſuo ſinu comprehenſorum Locus; urbs etiam omnium civium, & domus totius familiæ Locus appellatur. *Proprius* Locus eſt, qui ſolum locatum, idque immediatè continet; ut aer, immediatè corpus ambiens, eſt proprius ejuſdem corporis Locus. *Eſt* inſuper triplex locus: Circunſcriptivus, Definitivus, & Sacramentalis. *Circunſcriptivus* eſt, qui rem ita continet, ut tota toti Loco, & quælibet ejus pars alicui Loci parti reſpondeat: quo certè modo omnia corpora ſunt in Loco.

3 *Definitivus* Locus eſt, cui ſic res aliqua ineſt, ut tota toti Loco, ac ſingulis ejus partibus tota quoque ſit præſens: quo ſenſu dicitur eſſe in loco ſubſtantia ſpiritualis; ita, ut potiùs illa locum, quàm locus ipſam contineat. *Sacramentalis* Locus eſt quantitas ſine ſubjecto exiſtens, ſub qua corpus ita continetur, ut totum ſub tota ſit, totumque ſub qualibet ejus parte: atque hoc modo ſolus Chriſtus eſt in Euchariſtia. Præſentia definitiva, & Sacramentalis in eo differunt, quòd prima eſt quaſi activa in locum, quicumque ille ſit, influens; eſt enim ſpiritus in loco per ſuam operationem: Sacramentalis verò eſt quaſi paſſiva, non reſpectu cujuslibet rei, ſed ſolius quantitatis ſine ſubjecto exiſtentis.

4 Ommiſsis itaque aliis generis cujuſcumque Locis; circunſcriptivum, de quo ſolùm agimus, ita ex Ariſtotele poſſu-

(1) poſſumus definire : *Concava , immobiliſque ſuperficies corporis continentis.* Quæ definitio clarior apparet , quàm illa communis , *Ultima ſuperficies corporis continentis , immobilis , prima* : atque ex dictis redditur facilior. Locus enim aquæ eſt concava , ſeu interior vaſis , aut dolii ſuperficies: locus cujuſcumque corporis eſt concava,aeris plerùmque,ſuperficies , quæ convexam , ſive exteriorem locati ſuperficiem tangit immediatè.

5 Illa ſolùm definitionis particula *immobilis* aliquam ingerit difficultatem. *Sed* intelligenda eſt , ut formalis Locus corporis non ſit ſuperficies corporis ambientis materialiter ſumpta , quatenùs talis corporis eſt , vaſis nimirum , aut aeris ; ita enim multùm variabilis , multùmque mobilis eſt , ut patet in arbore medio in flumine fixa , cujus trunci ſuperficies exterior diverſis undarum concavis ſuperficiebus perenniter circumvolvitur , abſque formali ſui loci variatione: idemque patet in alta turri , quæ localiter immota continuò variat ambientis aeris ſuperficiem.

6 Formalis igitur Locus eſt ſuperficies continentis corporis , quatenùs hìc continentis : Id eſt ambitus ille , ſeu circuitus , quo res locata circunſcribitur , prout certis , determinatiſque diſtantiis à centro terræ , mundique polis , aliiſque fixis locis reſpondens , præciſim ab eo , quòd ſit aeris, aquæ , aliuſve corporis ſuperficies. Atque hoc ſenſu Locus eſt ſuperficies formaliter immobilis, licet ſit materialiter variabilis : quamvis enim ſupradictæ arboris , aut turris ambitus continuò varietur materialiter ; formaliter tamen perenniter extat , quouſque tandem arbor , aut turris ex ea determinata diſtantia à terræ centro , mundique polis amoveatur. (2)

7 *Hìc* notare juverit , omnia Mundi corpora eſſe in loco , cum nullum ſit , quod ab alio corpore non circumſcribatur:

(1) 4. *Phyſic. cap.* 4.

(2) *Vide Div. Thom. Opuſc.* 48. *art.* 3. *cap.* 6.

batur : Ultima tantùm cæleſtis ſphæra , cætera omnia hujus univerſi corpora circulo ſuo complectens , ac nullo alio corpore circulata , in nullo extrinſeco loco exiſtere videtur; licet ſuum intrinſecum ambitum abs dubio repleat. Dirimenda nunc eſt duplex illa multùm in Scholis decantata quæſtio : An ſcilicet in eodem adæquato loco duplex ſimul corpus , aut idem corpus in duplici adæquato loco valeat divinitùs exiſtere ? Utrumque autem naturæ viribus evenire , implicat.

Prima Concluſio.

8 *DICIMUS* 1. Duo , aut plura corpora localiter extenſa poſſunt divinitùs in uno , eodemque loco ſimul exiſtere. (3) Hæc concluſio facilè infertur ex principiis Fidei, qua credimus , Chriſtum ex Maria Virgine natum , penetrato ejus utero , ut ejuſdem ſalva omninò perſiſteret virginalis integritas : eum quoque ex obſignato ſepulchro , lapidem penetrando , reſurrexiſſe : ad ſuos etiam diſcipulos ingreſſum fuiſſe , januis clauſis : ac ipſum denique , *qui penetravit Cælos* , *Jeſum* (4) ad Empyreum , nullo Cœli oſtio apperto , aſcendiſſe. *Neque* huic argumento ſuis ſolutionibus ſatisfacit Durandus: quin potiùs cum vero ſcripturarum ſenſu manifeſtè pugnat ; ac vel illæſæ prorsùs Mariæ Virginis derogat integritati , vel partus veritatem confundit. (5)

9 *PROB.* Concluſio ratione : Corpus unum , etſi naturaliter aliud è ſuo loco expellat , valet divinitùs non expellere : Ergò. Prob. ant. Expulſio alterius corporis ab eodem loco eſt ſecundarius effectus quantitatis , non quidem à primario immediatè ortus , cum oriatur ab extenſione locali, neque cum illo ulla ratione metaphyſicè connexus ; ſed quælibet forma divinitùs privari poteſt ſuo effectu ſecundario, eo præcipuè , qui neque à primario oritur immediatè , neque cum illo metaphyſicè connectitur : Ergò. Patet min. in

(3) *D. Thom. 3. p. q. 57. art. 4.* (4) *D. Paul. ad Hebr. cap. 4.*
(5) *V. Pal. lib. 4. q. 2. n. 6. Guerin. p. 2. Phyſ. q. 5. art. 2. §. 2.*

Christi corpore sua locali extensione privato in Eucharistia. *Conf.* Licet actualis impenetratio oriatur ab extensione locali, illa non constituit localem extensionem; atque hæc essentialiter illam exigit, non tamen includit: Ergò, salva extensione locali, valet divinitùs corpori deficere actualis impenetratio.

Secunda Conclusio.

10 *DICIMUS* 2. Idem numero corpus nec divinitùs valet in duobus, aut pluribus locis sibi adæquatis localiter simul existere. Sic contrà Scotistas, & Jesuitas Thomistæ omnes cum D. Thoma, (6) asserente: *Dicendum, quòd unum corpus esse localiter simul in duobus locis: non potest fieri per miraculum.* Et infrà: *Quòd idem numero corpus sit localiter simul in diversis locis, includit contradictionem: sicut, quòd homo careat ratione.* Et alibi: (7) *Unum enim corpus esse localiter in duobus locis, implicat contradictionem.* Atque id ipsum expressè docet aliis multis in locis. (8)

11 *PROB.* Conclusio: Si idem numero corpus simùl esset circunscriptivè in duplici loco sibi adæquato, esset, & non esset à seipso realiter distinctum, & divisum; sed hoc repugnat: Ergò. Negativa minoris pars admittitur ab Adversariis. Prob. eadem min. quoad partem affirmativam: Realis separatio, & distantia unius ab alio est evidens indicium realis utriusque divisionis, & distinctionis; sed in nostro casu corpus existens in uno loco esset realiter separatum à se ipso, prout in alio loco existente: Ergò. *Nec dicas*: Eam separationem non esse entitativam, quæ solùm arguit divisionem, distinctionemque; sed solùm localem, seu penes locales præsentias, & ubicationes.

12 *Quia* nequit corpus illud à seipso distare localiter, quin distet entitativè: Ergò. Prob. ant. Nequit corpus illud

(6) 4. *Sent. dist.* 44. *q.* 2. *art.* 2. (7) *Quodlib.* 1. *art.* 22.
(8) 3. *p. q.* 75. *art.* 1. & 2. & *q.* 56. *art.* 8. & 4. *cont. c.* 65.

lud distare localiter à se ipso, quin ejus quantitas realiter entitativè distinguatur, dividatur, discontinuetur; sed hoc ipso corpus illud, quod unicam solùm supponimus habere quantitatem, à se ipso entitativè distaret, ac distingueretur: Ergò. *Prob. maj.* 1. Tunc datur ex terminis entitativa quantitatis divisio, distinctio, & discontinuatio, cum intereat alia quantitas extrema divisa penes extremitates attingens, ut cum gladio corpus aliquod scindimus; sed inter corpus existens in uno loco, & idem existens alibi, interveniret alia quantitas corpus utrobique penes extremitates attingens: Ergò.

13 *Prob.* 2. *ipsa maj.* Nequit corpus à se distare localiter, quin ejus localis præsentia utrobique realiter distinguatur, ac realiter multiplicetur; sed nequit localis præsentia utrobique realiter distingui, & multiplicari sine entitativa quantitatis divisione, & multiplicatione: Ergò. Prob. min. Implicat formalem, etiam secundarium, effectum formæ multiplicari, forma non multiplicata; sed præsentia localis corporis est effectus formalis secundarius quantitatis: Ergò. Patet. maj. siquidem formalis effectus secundarius formæ est ipsa forma secundariò communicata, sicut formalis effectus primarius est forma ipsa primariò communicata.

14 *Nec dicas*: Alteram ex illis præsentiis circunscriptivis esse à forma secundùm potentiam naturalem, alteram secundùm obedientialem. *Nam* potentia obedientialis solùm operatur per virtutem ipsius elevativam ad effectum naturali virtuti improportionatum; sed virtus, quæ elevativa sit potentiæ locativæ alia esse non potest, nisi localis aliqua extensio, ut per se notum est: Ergò localis extensio, qua obedientialis potentia alterum locum occupat, non est extensio illa, qua naturalis potentia alterum habitat. Atqui localis extensio partium importat earumdem partium in se ipsis ordinationem, adeoque, quantitatis constitutivum:

Ergò in caſu argumenti multiplicatur localis extenſio, & quantitas; quod extrà caſum eſt.

15 *Nec iterùm dicas*: Connaturalem corporis præſentiam circunſcriptivam eſſe effectum ſecundarium quantitatis; ſecùs ſupernaturalem, quæ poteſt aliunde provenire. *Quia* corporis ubicatio, ſeu circunſcriptiva præſentia exercitium eſt ſeu actus ſecundus, quo quantitas locum occupat; ſed exercitium, ſeu actus ſecundus cujuſcumque cauſæ eſſentialiter provenit ab ipſa cauſa, aliàs eo cauſa non ageret: Ergò. *Unde*: Si Deus cauſæ efficienti jungeret actionem aliunde provenientem, per eam actionem cauſa non ageret: Ergò, ſi Deus corpori adjungeret extraneam ubicationem, aut localem præſentiam, per hanc corpus non eſſet intrinſecè ubicatum, aut localiter extenſum.

16 *Atque hinc*: Sicut cauſa efficiens poteſt ab omni actione ſuſpendi, nequit tamen multas ſimùl actiones adæquatas efficere: ita quantitas valet divinitùs ſuo ſecundario effectu privari, non tamen multos ſimùl ſecundarios effectus cauſare. Et ratio eſt: quia quantitas ſuo effectu ſecundario privata, poteſt cum ſuo primariò perſiſtere: cæterùm effectus plures ſecundarios adæquatos præſtare nequit ſine multiplici formali adæquata ſui communicatione, quæ ſimùl repugnat. *Undè*: In caſu quæſtionis uterque ille locus, in quo ſimùl corpus exiſteret eſſet adæquatus, ut ſupponitur; & non eſſet, cum uterque corpus aliàs locabile relinquat.

17 *Urgetur*: Implicat, duo ſimùl corpora in eodem loco exiſtere, quin penetrentur, fiantque unum formaliter in ratione locati: Ergò, & implicat, duo ſimùl adæquata loca idem corpus capere, quin illa penetrentur, fiantque unum formaliter in ratione locantis. Tenet conſeq. Ut enim locus unus unico corpore, ac per unicam præſentiam adæquatur, ſic etiam unicum corpus per unicam præſentiam ſuum locum adæquat. *Urg. iterùm*: Inter locum, & locatum

tum est necessariò realis distinctio; sed in casu quæstionis idem esse posset locus, & locatum, si simùl esset in medio, & in omnibus locis prædicto medio contiguis: Ergò.

18 *Ut autem* Adversariorum retorsiones præcludas, scito, præsentias sacramentales Christi Domini in Eucharistia multiplicari posse absque corporis Christi multiplicatione: quia ratio formalis existendi sacramentaliter est actio consecrativa, aut modus quidam supernaturalis, qui non corpori, sed speciebus consecratis inest; ac ideò valet multiplicari: Cæterùm ratio formalis existendi circunscriptivè est localis extensio, atque hujus ratio formalis est quantitas, quæ in eodem corpore multiplicari nequit, ne duo solo numero diversa accidentia simùl essent in eodem subjecto. *Ut* igitur adversa argumenta valerent, deberent in eodem corpore quantitas, extensioque localis multiplicari ad multilocationem circunscriptivam, ut consecrationes, seu modi supernaturales ad sacramentalem: quod nedùm repugnat, sed etiam extrà quæstionem est.

19 *Nota* insuper, mediationem illam tollere continuationem, & unitatem entitativam, quæ ejusdem rationis est cum extremis distantibus, ut esset mediatio circunscriptiva inter corpus circunscriptivè bilocatum; non autem mediatio circunscriptiva inter Corpus Christi in multis sacramentis existens sacramentaliter. Mitto probationes multas, præsertim, quæ ab inconvenienti Adversariis non facilè evitabili bilocationis impossibilitatem probant; quia in nostris Authoribus passim obviæ.

SOLVUNTUR ARGUMENTA CONTRARIA.

20 ARGUES 1. contra 1. Conclusionem: Quod implicat contradictionem, nequit divinitùs evenire; sed duo simùl corpora existere in eodem loco implicat contradictionem: Ergò. Prob. min. 1. Idem numero

corpus

corpus simùl existere in duplici loco, implicat contradictionem, ut in secunda conclusione asseruimus: Ergò pariter. *Secundò*: Duas simùl formas eamdem informare materiam, implicat, ut alibi diximus: Ergò. *Tertiò*: Nulla forma privari potest suo effectu formali, cum hic sit ipsa forma communicata; sed expulsio alterius corporis ab eodem loco est formalis effectus quantitatis: Ergò.

21 *Quartò*: Si duo corpora simùl essent in eodem loco adæquato, quodlibet ex his totum occuparet locum, ut supponimus; & non occuparet totum, cum ipsum relinquat ab alio occupandum; sed in hoc est manifesta contradictio: Ergò. *Quintò*: Impenetrabilitas quantitatis realiter identificatur cum ejus extensione locali: Ergò, salva extensione locali, nequeunt duo corpora penetrari; alioquin posset impenetrabilitas realiter separari ab illa extensione, cum qua realiter identificatur. *Sextò*: Duæ simùl causæ adæquatæ nequeunt divinitùs eumdem effectum producere: Ergò neque duo simùl corpora eumdem locum occupare.

22 *Resp.* neg. min. *Ad 1. prob.* concesso ant. nego conseq. Disparitas est: Quia bilocatio ex suo conceptu formali dicit divisionem rei bilocatæ à se ipsa, ut diximus à *num.* 11. cum autem formalis unitas sit indivisio rei in se ipsa; res bilocata non esset una, sed duplex: ideò nequit res aliqua bilocari, seu esse simùl in duplici loco. At verò simultas corporum in eodem loco non opponitur eorum distinctioni; licet enim ea non sint extrinsecè divisa, vel separata, sunt divisa intrinsecè, seu distincta. *Vel aliter* dici potest: idem corpus non posse existere in duplici loco non penetrato; benè verò, si loca penetrentur, quatenùs fierent unus locus formaliter: nec esset tunc propria bilocatio: Ita etiam nequeunt duo corpora, nisi penetrata, in eodem loco existere.

23 *Ad 2. prob.* constat solutio ex dictis *lib. 1. quæst. 3. art. 3. num.* 42. & 43. *Ad 3. prob.* dist. maj. Nulla forma privari

privari potest suo effectu formali primario, concedo maj. secundario, nego maj. *Nec dicas* expulsionem illam esse effectum secundarium privativum. *Nam* est solùm quoad explicitum; formaliter enim est positiva localis partium dispositio. *Vel* est effectus privativus non ortus immediatè à primario effectu quantitatis, sed à secundario; adeòque à forma valet divinitùs separari. *Ad* 4. *prob.* nego maj. quoad secundam partem: Quia, licet unum corpus relinquat locum occupandum; non illum relinquit per sui absentiam, seu abstractionem à loco, sed per sui penetrationem cum alio corpore; quæ divinitùs valet evenire.

24 *Ad* 5. *prob.* dist. maj Impenetrabilitas radicalis, seu in actu primo, concedo maj. impenetrabilitas actualis, seu in actu secundo, vel potiùs impenetratio, nego maj. Licet enim corpora localiter extensa penetrentur; naturaliter exigunt non penetrari, semperque retinent radicalem impenetrabilitatem cum sua ipsorum extensione locali realiter identificatam, etsi ipsis deficiat actualis impenetratio ab illa extensione realiter distincta, & cum illa realiter connexa. *Ad* 6. *prob.* constat solutio ex dictis *lib.* 2. *quæst.* 1. *art.* 3. *num.* 31.

25 *ARGUES* 2. contra 2. Conclusionem: Idem corpus Christi est circunscriptivè in Cœlo, & sacramentaliter in pluribus hostiis: Ergò potest etiam existere circunscriptivè in pluribus locis. *Prob. conseq.* 1. Si præsentia circunscriptiva non excludit ab eodem corpore sacramentalem præsentiam, neque excludit aliam circunscriptivam: Ergò. Prob. ant. Si ejusmodi præsentia non excludit præsentiam sacramentalem, non ita limitat corpus ad unum locum, ut non illud permittat extra ipsum esse; sed hoc ipso non excludit aliam præsentiam circunscriptivam: Ergò. *Prob.* 2. *ipsa conseq.* Conformior, & connaturalior est corpori præsentia circunscriptiva, quàm sacramentalis. Ergò. *Adde*: Minùs miraculum fore multiplicitatem præsentiæ circunscriptivæ, quàm sacramentalis.

Conf.

26 *Conf.* Nam ex Sacra, & Eccleſiaſtica Hiſtoria conſtat, in primis Chriſtum apparuiſſe Div. Paulo Damaſum proficiſcenti: deinde Div. Antonium Paduanum, alioſque complures Sanctos in duobus ſimul locis extitiſſe. *Urg.* Poteſt divinitùs eadem humana natura pluribus ſimul ſubſiſtentiis divinis terminari: Ergò & idem corpus multis præſentiis circunſcriptivis. *Urg. iterùm*: Idem Angelus poteſt ſimul divinitùs exiſtere in duplici adæquato loco definitivo: Ergò pariter.

27 *Ad arg.* reſp. neg. conſeq. *Ad 1. ejus prob.* nego ant. Ad prob. diſt. maj. non ita limitat corpus ad unum locum, ut non illud permittat extra ipſum eſſe circunſcriptivè, nego maj. Extra ipſum eſſe Sacramentaliter, concedo maj. Præſentia circunſcriptiva oritur à quantitate, quatenùs locum commenſurante; adeòque non plures eſſe poſſunt illæ præſentiæ, quàm loci commenſurationes; neque hæ plures eſſe poſſunt, quàm quantitates. Cum autem in uno corpore una ſolùm quantitas totalis ſit, ut ſupponimus, ac eſſe poſſit; ita corpus ad unum locum adæquatum determinat, ut alibi eſſe non poſſit circunſcriptivè.

28 Cæterùm quantitas ſolùm determinat corpus in eſſe circunſcriptivo; quia ſolùm in hac linea eſt formalis ratio exiſtendi in loco: ideo ipſum relinquit indifferens, ut per alias, eaſque diverſas rationes formales ſit alibi diverſo modo. *Hinc* Chriſti corpus per ſuam quantitatem in unico tantùm loco exiſtit circunſcriptivè, licet per plures conſecrationes, pluresve modos ſupernaturales ſit in pluribus hoſtiis conſecratis: Unde præſentia circunſcriptiva in eodem corpore multiplicari non poteſt, licet valeat multiplicari ſacramentalis, propter dicta *num.* 18.

29 *Dices* 1. Præſentia circunſcriptiva non excludit aliam circunſcriptivam titulo adæquationis; alioquin eadem ratione deberet excludere ſacramentalem, cum per hanc

verè

verè ponatur corpus extrà locum adæquatum : neque titulo ſimilitudinis ; aliàs una præſentia Sacramentalis excluderet aliam ſacramentalem , utpote ſibi ſimilem ; nec proinde poſſet corpus Chriſti in pluribus ſimul eſſe Sacramentis: Ergò. *Dices* 2. Deus , ut plures hoſtiarum ſubſtantias in unicam Chriſti ſubſtantiam convertit , ſic plures hoſtiarum quantitates convertere poteſt in unicam Chriſti quantitatem ; ſed tunc quantitas Chriſti loca omnium panis quantitatum circunſcriptivè occuparet: Ergò.

30 *Ad* 1. *inſt.* reſp. præſentiam circunſcriptivam excludere aliam ejuſdem generis adæquationis titulo ; non qualiſcumque adæquationis , ſed circunſcriptivæ , juxtà dicta *num.* 27. ac proinde ejuſmodi adæquatio non excludit præſentiam Sacramentalem. *Ad* 2. *inſt.* nego min. Ut enim docet Div. Thomas (9) ſi una , aut plures quantitates converterentur in quantitatem corporis Chriſti , jam non eſſent plures , ſed una quantitas unicum locum circunſcriptivè occupans : ideoque ſi plures quantitates in quantitatem Chriſti converterentur , ad unum locum determinarentur vi ſolius quantitatis , in quam converterentur. *Hinc* , ſi quantitas hoſtiæ converteretur in Chriſti quantitatem , hæc non perſiſteret in Cœlo ſimul , & in Euchariſtia.

31 *Reſp.* jam ad 2. Conſequentiæ prob. poſitam *num.* 25. conceſſo ant. nego conſeq. Eſt enim conformior ſimplex præſentia circunſcriptiva , non autem multiplicata; cum hæc ſit omninò repugnans. *Ad addit.* negatur aſſumptum: nam multiplicitas præſentiæ circunſcriptivæ neque eſt majus , neque minus miraculum , ſed chymera. *Ad Conf.* reſp. Chriſtum in primis apparere potuiſſe D. Paulo è Cœlo , ut apparuit D. Stephano : aut de Cœlo pro brevi tempore deſcendiſſe , quin gloria Beatorum minueretur , quippè qui poterant ipſum etiam in terra exiſtentem videre : quin obſtet inſuper , quòd Chriſtus futurus ſit in Cœlo uſque ad

(9) *Quodlib.* 3. *articul.* 2.

sæculi consummationem ; cum intelligatur de permanenti habitatione, non de transeunti.

32 *Aut* dici potest, non Christum in proprio corpore, sed Angelum in aereo corpore Christum representantem apparuisse : sicut *apparuit in deserto Montis Sinai Angelus in igne flammæ rubi*, (10) locum Dei agens, juxtà illud : *Ego sum Deus, &c.* (11) *Deinde* ad apparitiones, quæ de S. Antonio, aliisque Sanctis referuntur, dicendum est, eas fuisse, factas, aut Angelorum ministerio, aut in corporibus ex aere formatis. Ex quibus patet, quid sit dicendum, cum in Eucharistiæ speciebus puer, sanguis, aut quidpiam simile visum est.

33 *Ad* 1. *Urg.* facilis est solutio ex dictis *lib.* 1. *quæst.* 3. *art.* 3. *à num.* 44. Ad ulteriorem *urgent.* nego conseq. Quia Angelus est in loco diffinitivo per suam operationem, quæ pendet ab ejus virtute operativa, quam Deus multiplicare potest, ut simul in pluribus locis naturali Angeli virtuti adæquatis valeat existere : At verò corpus est in loco circunscriptivo per suam quantitatem, quæ nequit in eodem corpore multiplicari ; ne darentur in eodem subjecto multa accidentia solo numero distincta : imò quantitatis multiplicatio esset extra quæstionem : cum hæc procedat de uno corpore per unicam quantitatem.

ARTICULUS II.

De Vacui possibilitate, natura, & existentia.

1 QUicumque locus nullo sensibili corpore repletus, Vacuum vulgò dici solet, quamvis aere plenus ille sit ; ut vas, aut dolium omni sensibili liquore exhaustum. Propriè tamen Vacuum est : *Locus omni prorsùs corpore destitutus.* Duplex in primis Vacuum distingui solet : alterum,

(10) *Actor.* 7. *v.* 30. (11) *Exod.* 3. *v.* 2. *& Actor.* 7. *v.* 31.

terum, quod nullo circunscribitur corpore, quale est, quod concipimus ultrà Cœlos, ac dici solet *Innane*, seu *Vacuum negativum*: alterum, quod aliquo corpore circuitur, quale esset, si dolium omni corpore destitutum esset, ac dicitur *positivum*. *Deinde* alterum est magnum, & sensibile; ut esset dolium supradictum: alterum exiguum, & insensibile, quale à Recentioribus ponitur in corporum poris, diciturque disseminatum, seu *interspersum*.

2 *DICIMUS* 1. Possibile est Vacuum, sive magnum, sive exiguum, de potentia Dei absoluta. Sic Philosophi omnes contra Cartesianos. (1) *Ratio est*: Quia nulla repugnantia, aut contradictionis umbra in eo est, quòd Deus servata dolii superficie, corpus intraneum anihilet; imò quòd, Cœlesti superficie persistente, omnia sublunaria corpora destruat. *Nec dicas* cum Cartesio, quòd si Deus corpus medium anihilaret, extrema corpora se contingerent; non enim distarent, cum inter ea nihil esset: sunt itaque simul, quorum nihil est medium. *Nam*, licet ea extrema non distarent positivè, neque inter ea esset medium positivum; distarent privativè, ac privativum medium interveniret.

3 *DICIMUS* 2. Nec datur de facto Vacuum, nec est dabile naturaliter. Ita Peripatetici contra Gassendistas. Eorum ratio est: Quia si esset, aut esse posset Vacuum aliquod in rerum natura, aut esset, aut esse posset inter partes Universi mutua disjunctio, ac separatio; sed hæc naturaliter esse non potest; nam unio, & contiguitas partium Universi necessaria est, ut Cœlestium corporum, à quibus res sublunares pendent, influentias hæ continuò recipiant, quas alioquin Vacuum interpositum impediret ex defectu subjecti: Ergò agentia naturalia à Vacuo, tamquàm pernitioso schismate rerum colligationem, communicationemque, in quibus est bonum Universi, impediente sic abhorrent, ut illud totis viribus impedire nitantur.

(1) *Cartes. part. 2. Prin.*

4 Id quoque multis experimentis suaderi potest. *Primò*: Aqua contra suam ipsius gravitatem sursùm ascendit per fistulam, ex qua aer extrahitur, ne fistula vacua remaneat. *Secundò*: Cucurbitulæ, quæ cum stupa intùs accensa à chyrurgis applicantur, non alia de causa carnem sursùm attrahunt, extincto igne, nisi ut vitetur Vacuum aliàs inducendum, aere ad pristinam densitatem, minoremque locum reducto. *Tertiò*: Follis undique concluſus non potest lateribus distendi, sed potiùs disrumpitur, ut aer ingressum habeat, & Vacuum impediatur. *Quartò*: Experientia constat, vasa obturata, etiam solidissima, frangi, si aqua in eis existens congeletur, ut aer ingrediatur ad occupandum spatium, quod aqua gelida ad minorem locum reducta reliquit.

5 *Quintò*: Si vas colli angustioris subitò invertatur, aqua non effluit, eò quòd ingredi non possit aer ad spatium illud replendum, quod vacuum aqua reliquit. *His* tamen, aliisque multis experimentis minimè se convictos existimant Recentiores: nam ea omnia, non ex Vacui horrore, vel fuga evenire putant; sed in aeris gravitatem, seu pressionem, aliasque causas esse reducenda. *Unde ad* 1. *respondent*, ascensum aquæ per fistulam ex eo provenire, quòd aer totam premat aquæ superficiem: atque ideò, si ex aliqua parte aquæ aer extrahatur, à reliquo aere cæteris aquæ partibus incumbente, easque premente cogitur illa sursùm ascendere.

6 *Sed* in primis ejusmodi aeris gravitas supposita tanta esse non potest, quæ tenuissimæ aeris naturæ repugnare videatur. *Deinde*: Si ponas pelvim aqua ferè plenam, ac simùl per fistulam superiori foramini parem, ut nullam rimulam aeris ingressui relinquat, aquam absorveas; eodem impetu aquam extrahes, ac si eam ex apperta amphora, aut è lacu haurires; atqui parva illa aeris in pelvi clausi quantitas non tantùm gravitare potest, quantùm maxima illius

lius moles lacui incumbens: Ergò ejuſmodi aſcenſus non eſt omninò tribuendus aeris gravitati. *Adde*: In tali caſu, ſi amphoræ, aut pelvi inſit in parte infima aliqua rimula aeris ingreſſui, non egreſſui aquæ ſufficiens, cum aqua per fiſtulam aſcendit, aſcendit quoque, ac ſubintrat vi maxima per rimulam aer; at non ratione gravitatis, cui aſcenſus opponitur.

7 *Ad* 2. *exper. reſp.* eodem modo, carnis ſcilicet aſcenſum in cucurbitulis fieri per aeris preſsionem ſuper cæteras corporis partes. *Sed* præter dicta contra primam ſolutionem, obſtat *primò*, quòd carnis elevatio non contingit, etiam aere cæteras corporis partes premente, antequàm ignis extinguatur. *Secundò*: quia intrà cucurbitulas aliqua eſt etiam aeris portio, quæ ſimul, & æquè gravitat, cum ardet ignis, ac dum eſt ignis extinctus: Si igitur, ardente igne, remanet interior aer in æquilibrio cum exteriori, ideòque exterioris preſsio carnem interiorem non elevat, neque id ulla ratione præſtabit, extincto igne.

8 *Ad* 3. *reſpondent*: Follem undique concluſum lateribus diſtendi non poſſe propter vim aeris folli incumbentis, quæ vincitur facilè, ſi per appertum orificium aer ingrediatur; nam ita extenditur ille, ac minùs gravitat. *Sed* mirum ſanè, quòd tanta ſit aeris ſuperincumbentis gravitas, aut elaſticitas, ut plurimis boum jugis, follium latera extendere conantibus, evinci non poſsit, quin potiùs follium latera diſrumpantur. *Deinde*: Si tabula plana folli occluſo in extenſione æqualis ſuper ipſum ponatur; non obſtat aeris gravitas, quominùs illa facilè elevetur: cur igitur impedit eadem aeris gravitas follis elevationem?

9 *Ad* 4. *reſp.* vaſorum fractionem in aquæ congelatione non ad Vacui metum, ſed ad penetrationis fugam eſſe reducendam; quoniam aqua gelida rarior effecta majorem locum nititur occupare, quàm pro vaſis capacitate. *Sed* quis credat, aquam congelatam eſſe fluida rariorem? Etenim, quò rarius corpus efficitur, eò tenuius redditur: ac tenuio-

rem

rem esse fluidam aquam congelata, oculis ipsis videmus, manibus experimur. Et gelidam aquam non majorem, sed minorem locum occupare, ipsa meridiana luce compertum est. Quòd si aqua, dum congelatur, ascendit in vase, ideò est, quoniam partes aquæ, quæ priùs congelascunt, cæteras adhuc fluidas elevant; sed perfectè congelatæ, restringuntur.

10 *Ad 5. resp.* aquam vasis, aut tubi colli angustioris deorsùm inversi non effluere, quia aer infimæ vasis parti suppositus sustinet aquæ pondus, ut cum ea servet æquilibrium. *Cæterùm*: si ex fine servandi æquilibrium corpus adeò tenue, qualis aer est, crassioris adeo corporis pondus sustinere potest: cur id ipsum præstare non poterit ad vitandum Vacuum, quod plus fortassè naturæ nocet, quàm prosit elementorum æquilibrium? *Insuper*: Si aer aquam ita sustinet; non est cur illam quoque non sustineat, etsi superior vasis pars aperiatur: si enim aer superior simul cum aqua plùs gravitat, quàm inferior sustinens; aqua etiam sola gravior est aere sustinente.

11 *Enim verò*, quamvis illæ omnes, quas Recentiores asserunt, illorum motuum veræ, efficientesque causæ forent; nihil magis abest, quàm ut inde inferri possit, eosdem motus ex Vacui horrore, vel fuga non provenire. Licet enim aeris gravitas, & pressio, vel elasticitas, aut aliud quidpiam sit motuum illorum efficiens causa; finalis tamen nulla meliùs inveniri, excogitarique potest, quàm Vacui vitatio, & impeditio. Ut Recentiores quoque multas, diversasque causas assignant plurimorum, diversorumque motuum, quorum unicus finis est rerum, elementorum præcipuè, æquilibrium. Nihil itaque prohibet, illas ad Vacui impeditionem, sicut has etiam causas ad rerum æquilibrium, assumpsisse naturam.

12 Ex dictis facilè concludi potest, nullum quoque de facto dari, aut dari posse naturaliter Vacuum dissemina-

tum.

tam. Si enim tanto connatu, ut suprà ostensum est, res omnes magnum, coacervatumque Vacuum impedire solent: consequens est, ut ab exiguo, seu disseminato abhorreant, quod nulla experientia, nulla necessitate, veluti innane quoddam, ac inutilis naturæ otiositas, invectum est. *Deinde*: Sicut præcipuæ res Universi contiguitatem exigunt, sic etiam minimæ cujuscumque rei particulæ intimam unionem amant, ac mutuam societatem: Ergò, sicut majora corpora maximo impetu ad Vacui impeditionem confluere videmus; ita quoque minima rei corpuscula se se comprimere debent, ut vacuitatem impediant in poris, qui vel aere, vel subtilissima ejusdem corporis substantia pleni sunt.

13 *Oppones* jam contra 2. Conclusionem insigne experimentum, quod *Vacui experimentum* vocant, cujus machina *Barometrum* dicitur, estque tubus vitreus oblongus, cujus, altera parte actissimè obturata, altera mercurio impleatur: invertatur deinde, orificio digito obducto, & in vas aqua plenum immergatur, ac postea digitus subducatur: in quo casu mercurius in vas aqua plenum defluet, etsi non totus, ac proinde in superiori illius tubi parte Vacuum remanere, necesse est; cum nulli corpori sit additus ad locum illum implendum.

14 *Resp.* locum illum impleri posse aere, qui simul cum mercurio ingressus fuerat, ac inter latera tubi, & mercurii premebatur. *Vel* impleri etiam potest quadam subtili substantia ex mercurio elevata, ac per totum illum locum dilatata. *Demùm* id ab Adversariis negari non potest, quod oculis cernere licet: in ea scilicet tubi parte à mercurio relicta existere lucem; quæ, si substantia quædam est, ut ipsi volunt, spatium illud replere facilè potest; si autem sit accidens, alicui corpori spatium occupanti eam inesse oportet. *Atque* his addere liceat, ex tubo non subitò mercurium elabi; quin potiùs, cum ex una parte ille

præci-

præcipitatur, per aliam aſcendit aqua, ut propriis oculis exploravit Goudinus. (2)

15 *Oppones* 2. machinam Pneumaticam conſtantem ex vaſe vitreo, in quo aer eſt, & ex antlia, qua ille extrahitur, quin ulla rimula, qua exterior aer ſubintrare valeat, quouſque totum vas aere exhauriri videatur. *Reſp.* cum Guerinois, (3) qui ſe noviſſe fatetur doctiſſimos viros, qui rem hanc centies cum exploraſſent; nihil aliud experti ſunt, niſi quòd in ipſa aeris extractione valida fieret exterioris aeris irruptio, ſi aliqua eſſet rimula ad ſubintrandum: ſin autem; vas, quod debile foret, diſrumpebatur, ut aeri exteriori pateret additus: ſi demùm vas foret validius; tunc apparebat, aerem relictum rarefieri, difflari, ac dilatari eò uſque, ut jam extrahi non poſſet ob ſummam tenuitatem: quæ cum reſpirationi ſit inſufficiens, animal, ſi quod ibi exiſtat, moritur. *Atque hinc* patet ſolutio ad alia experimenta.

16 *Oppones* 3. Si dari non poſſet Vacuum, *ſequeretur* 1. fieri non poſſe localem motum; cum non eſſet quò iret corpus illud, nam omnia plena eſſent. 2. *Sequeretur*, nullum corpus poroſum eſſe; quia nullum eſſet ſpatiolum non repletum. 3. *Sequeretur*, vas aheneum aqua plenum, ac firmiter clauſum contundi non poſſe; quia, ſi nullum eſt Vacuum intrà aquam, hæc comprimi non poteſt: oppoſitum autem conſtat experientia. *Ad* 1. negatur ſequela: Quia quædam corpora, maximè aer, fluida ſunt, quæ ſolidis corporibus cedunt, ſe comprimentia; ac eorum motui locum relinquunt.

17 *Ad* 2. neg. ſequela: Pori enim non debent eſſe omninò vacui; ſed ſubtili ſubſtantia facilè divisibili per ſolidorum corpuſculorum ingreſſum, aut egreſſum occupati. *Ad* 3. *reſp.* vas æneum contundi per egreſſum aeris

(aut,

(2) *Part.* 1. *Phyſic. Gener. diſ.* 3. *quæſt.* 4. *art.* 3.
(3) *Part.* 2. *Phyſic. quæſt.* 4. *art.* 4. §. 4.

(aut, ſi mavis ætheræ ſubſtantiæ) qui aquam inter, & vaſis latera remanſerat: cum enim contuſione ipſa vaſis pori aliquantulùm dilatentur, patet via aeris egreſſui, aut tenuiſsimis etiam aquæ particulis. Atque ita ſolvitur quodcumque ſimile argumentum. (4)

18 In fine adverte, motum localem fieri poſſe in Vacuo ſemel ſuppoſito, aut divinitùs inducto. *Ratio eſt*: Quia, licet in Vacuo non ſit locus extrinſecus, eſt tamen intrinſecus, & quidem variabilis per majorem, aut minorem approximationem ad aliud corpus in eodem Vacuo exiſtens, vel ad extrinſecum locum occupatum; motus etiam ſucceſſio non tantùm à medii reſiſtentia pendet, quantùm à diſtantia inter utrumque terminum *à quo*, & *ad quem*; nam Angelus, cui non obſtat medii reſiſtentia, ſucceſsivè movetur. *Atque* hinc motus ille non eſſet inſtantaneus, ſed ſucceſsivus.

QUÆSTIO V.

DE TEMPORE, ET INFINITO.

ARTICULUS I.

De Temporis Natura, & Exiſtentia.

1 CUm Tempus ſit in genere durationis; triplex in durationis genere ſpecies diſtingui ſolet, Æternitas, Ævum, & Tempus. *Æternitas* eſt duratio rei omninò immutabilis, Dei nimirùm; quæ ſic ex Boetio exponi ſolet: *Interminabilis vi-*

(4) *Pro aliis ſolv. vide Guerin. 2. part. Phyſ. quæſt. 5. art 4. & Benedict. lib. 3. Phyſ. quæſt. 3. cap. 2. §. 2.*

tæ tota simùl, & perfecta possessio. *Ævum* est duratio rei immutabilis quoad substantiam, mutabilis tamen secundùm operationem: atque hujusmodi est duratio Angeli, qui secundùm substantiam immutabilis est; penes diversas tamen, quas liberè exercet, operationes diversas subit mutationes.

2 *Tempus* denique est extrinseca rerum, sive quoad esse, sive quoad operationem mutabilium duratio. Quia tamen intrinseca rerum duratio, & persistentia ex eo major, aut minor quoad nos est, quòd, re persistente, majus, aut minus Tempus transiverit; Tempus rerum materialium durationis mensura dicitur. *Insuper*, cum Tempus sit mensura rerum continua vicissitudine defluentium; ipsum quoque continuum esse, ac successivum, cujus partes rapido, continuoque cursu labantur, necessè est.

3 *Adhæc*, cum Tempus per annos, menses, dies, horas, aliasque ejusmodi partes explicemus, atque has etiam partes per corporum cœlestium, Solis præcipuè, motum dignoscamus; quod prima cœlestis motus, qui sublunarium mutationum regula est, norma, ac mensura fuerit, id quoque formaliter Tempus est. Quandoquidem verò cœlestium corporum motus à prima sphœra mobili, seu à motu primi mobilis quodammodò pendent, ac diriguntur; Tempus non in alio consistit, quàm in motu primi mobilis, quatenùs regula, & mensura est cujuscumque durationis, ac motus rerum inferiorum.

4 *Hinc* Aristoteles (1) Tempus definivit: *Numerus motus secundùm prius, & posterius.* Id est: Partium motus primi mobilis cumulus (nam sumitur *numerus* pro numerata multitudine) numerans, seu mensurans motus, sive durationes inferiorum, materialiumque rerum perenni vicissitudine, & successione. *Undè* Aristotelica Temporis definitio non adeò obscura est, ut autumant Atomistæ asserentes, clarius

(1) 4. *Physic. text.* 101.

clarius esse Tempus, quàm præfata definitio: licet enim clarius illud sit, quoad *an est*, seu existentiam; secùs quoad *quid est*, seu essentiam.

5 *Sed*, si magis libeat, sic quoque Tempus, & fortassè clariùs, definiri potest: *Extrinseca, & successiva mutabilium omninò rerum durationis mensura.* Ast hujus definitionis intelligentia ex nuper dictis facilis est. Id nunc advertendum est, quòd Tempus, continuum quippè, ex partibus, & indivisibilibus, quæ *instantia*, seu *momenta* dicuntur, componi debet, ut suprà *quæst.* 1. *art.* 2. de omni continuo diximus. Cæterùm, quia in minima Temporis parte duos successivè motus, seu duas motus partes exercere non possumus, illa quoque, quoad nos, habet rationem indivisibilis, etsi divisibilis sit in se ipsa.

6 *Jam* Tempus dividitur in reale, & immaginarium. *Primum* est realis, & naturalis mensura primi mobilis jam exposita. *Secundum* est eadem mensura concepta, ut possibilis. *Hinc* motus primi mobilis, cum sit reale Tempus, solùm mensurari potest extrinsecè Tempore immaginario. Tempus reale dividi solet in universale, & particulare. Tempus universale (quod solùm propriè Tempus est) est localis motus primi mobilis. Particulare Tempus dici potest motus continuus cujuslibet corporis sublunaris, ut motus horologii, aut rotæ figuli; qui Tempus etiam *intrinsecum* appellari solet.

7 *Nunc* dirimenda est celebris non secùs, ac difficilis illa quæstio: Num scilicet Tempus existat de præsenti solùm ratione instantis; ita, ut numquàm de præsenti per se habeat partem ullam, sed instans, atque ratione hujus partem immediatè sequentem initiativè, ac terminativè partem antecedentem: an potius existat nedum ratione instantis, sed etiam ratione partis; ita, ut priùs habeat instans per se præsens, postea partem per se quoque præsentem, deindè instans, posteà partem, & sic deinceps.

Nostra Conclusio.

8 *DICIMUS*: Tempus, nedum ratione instantis, sed etiam ratione partis successivè existit de præsenti. Sic multi ex Antiquioribus Thomistæ (2) contra plures. *Ratio* conclusionis est: quia Tempus existit per se ratione illius, quod habet de præsenti; sed modò partem, modò instans habet de præsenti: Ergò modò ratione partis, modò ratione instantis existit. Patet min. quia Tempus est continuum; ac proindè ex partibus, & indivisibilibus, quæ *instantia* vocamus, componi debet: est quoque successivum; quapropter successivè fluit secundùm ea, ex quibus componitur, per *Nunc* præsentialitatis.

9 *Resp.* Contrarii Thomistæ (3) Tempus existere de præsenti ratione illius quod per se, & ratione sui præsens est; partem verò numquàm ratione sui, sed ratione instantis existere de præsenti. *Contrà*: Pars aliquando, & modo aliquo præsens est; non enim fluit tempus discretè, ac per saltus de instanti ad instans; sed non est præsens ratione instantis partem præcedentis, nec ratione instantis illam subsequentis: Ergò. Prob. min. Pars nequit esse præsens ratione illius, quod est præteritum, vel futurum; sed, quando pars media præsens est, instans præcedens jam est præteritum, instans verò subsequens adhuc est futurum, ut ex terminis patet: Ergò.

10 *Dicunt*: (4) Partem temporis existere initiativè ratione instantis præcedentis, & terminativè ratione subsequentis; numquàm adæquatè, & ratione sui. *Sed* hæc solutio intactam relinquit difficultatem: Nam pars nequit esse initiativè præsens per id, quod jam præteritum est, neque terminativè per illud quod est futurum; sed quando pars de præsenti fluit, instans præcedens jam est præteritum, subse-

(2) *Par. Villalp. Herb. Prad. hic. Multi Recent. in M. S.*
(3) *Pal. Irib. Rip. & alii.* (4) *Pal. 4. Phys. q. 6. n. 6.*

subsequens adhuc est futurum : Ergò. *Deindè* : Quando de præsenti fluit instans partem præcedens, jam est pars præsens initiativè, & cum fluit instans illam consequens, est illa terminativè præsens; sed inter utrumque fluit pars : Ergò tunc est ipsa formaliter præsens ratione sui.

111 *Præterea* : Pars temporis existit de præsenti ratione alicujus ipsi intrinseci; sed instans initiativum, ac terminativum partis est illi extrinsecum, cum pars incipiat, & desinat extrinsecè, juxta oppositos Thomistas : Ergò. *Nec dicas* : (5) Instans esse parti intrinsecum, ac neque ab ipsa parte esse realiter distinctum : *Nam* in primis non faceret cum parte integralem compositionem, ut debet, juxta ea, quæ de continui compositione omnes Thomistæ docent. *Deinde* : Si instans esset cum parte realiter identificatum; existens illa ratione instantis, existeret jam ratione sui inadæquatè, cum instans esset aliquid partis.

112 *Alii* (6) respondent, Temporis partem existere solùm initiativè, & incompletè ratione instantis ipsam præcedentis; numquàm ratione sui, & completè. *Sed* ex hac solutione liquidò infertur, Tempus non fluere continuò, sed discretè per saltus de instanti ad instans, omissa parte media. *Deindè* non solvit instantiam factam *num.* 10. quia, dum pars est intrinsecè præsens, ut esse debet aliquandò fluens per præsentialitatem, instans illud jam est præteritum. *Tandem* : Nullum est inconveniens, quòd pars præsens sit ratione instantis initiativè, & non adæquatè : Ergò neque est inconveniens, ipsam fluidè, & transeunter existere inadæquatè ratione sui.

113 *Urg.* & ampliùs exponitur tota vis argumenti : Tempus formalissimè consistit in motu primi mobilis, quatenus mensura durationis, & motuum rerum sublunarium, ut Contrarii fatentur : Ergò secundùm illud est Tempus de præsenti, quod de illo motu de præsenti exercetur. *Atqui* motus

ille

(5) *Pal. ubi sup. n.* 7. (6) *Colleg. Rip.* 4. *Phys. d.* 5 *n.* 35.

ille non per saltus de puncto ad punctum exercetur de præsenti, & ejus partes per se, & ratione sui, non per punctum, aut ratione puncti exercitè producuntur : Ergò. *Conf.* Cum sphæra per corpus perfectè planum movetur, illa non per saltus de puncto in punctum agitur, ut diximus cum Adversariis : imò sphæra cum plano corpore successivè, licet non permanenter, proportionatur : Ergo. (7)

SOLVUNTUR ARGUMENTA CONTRARIA.

14 *ARGUES* 1. Si Tempus existeret ratione partis, Temporis pars esset præsens ratione sui ; sed hoc repugnat : Ergò. Prob. min. Si pars Temporis esset præsens ratione sui, multæ partes entis successivi, quale Tempus est, simul existerent ; sed hoc est contra rationem entis successivi : Ergò. Prob. maj. ex Div. Thoma : *Quælibet pars temporis est divisibilis in diversas partes : Si ergò tempus existeret, non solùm secundùm aliquid indivisibile sui, sed secundùm aliquam sui partem, sequitur, quòd multæ partes alicujus successivi simul essent ; quod est contra rationem successivorum.* (8)

15 *Conf.* 1. Juxtà Arist. & Div. Thomam multis in locis Temporis non est, nisi *Nunc* : neque habet illud esse extra animam, nisi penes indivisibile : Ergò. *Conf.* 2. Tempus est numerus motus secundùm prius, & posterius : Ergò ejus partes semper sunt priores, & posteriores, numquàm præsentes ratione sui. *Urg.* Tunc dicimus, rem existere, cum est completa, & ultimò terminata ; sed nulla Temporis pars est ratione sui completa, & ultimò terminata, sed per suum instans terminativum : Ergò.

16 *Ad arg.* nego min. Ad prob. disting. maj. Si pars Temporis esset præsens adæquatè, & permanenter, idest tota simul, concedo maj. si esset præsens inadæquatè, & transeunter,

(7) *V. in hoc lib. q. 1. art. 1. n. 33.* (8) *Opusc. 44. cap. 1.*

seunter, seu fluidè, priùs secundùm prius, posteà secundùm posterius ejusdem partis, subdistingo: Multæ partes æquales, & aliquotæ simùl existerent, nego maj. Multæ partes proportionales, & indeterminatæ, concedo maj. & negatur, ejusmodi partium simultatem esse contra rationem entis successivi: quemadmodùm enim ejusmodi partes specialem non constituunt extensionem, neque hæc attenditur secundùm illas partes; ita nec specialem constituunt permanentiam, vel successionem, neque hæ attenduntur penes partes proportionales.

17 Itaque nulla determinata, æqualisve pars Temporis est tota simul, seu adæquatè præsens ratione sui, sed fluidè, & inadæquatè, priùs secundùm prius, posteà secundùm posterius ejusdem partis. Si enim Adversariis nullum est inconveniens, quòd per instans præcedens sit pars initiativè præsens, quin plures simul partes sint ratione instantis initiativè præsentes; & posteà per instans subsequens sit eadem pars præsens terminativè, abs simultanea multarum partium præsentia, aut quin hæc deroget entis successivi naturæ: nobis quoque sine ejusmodi inconvenienti videtur pars temporis priùs secundùm prius, posteà secundùm posterius existere.

18 *Atque* hinc patet solutio ad verba illa ex dubio S. Doctoris Opusculo desumpta: Tempus enim, seu quodlibet continuum habet partes primordiales punctis annexas, quæ apud, seu quoad nos indivisibiles sunt, & habet partes secundas ex aliis determinatis jam compositas, atque in ipsas divisibiles. Si igitur Tempus existeret non solùm secundùm aliquid sui indivisibile, sive in se, sive apud nos, verùm etiam secundùm partem secundam in alias determinatas divisibilem, plures temporis partes determinatæ simùl existerent, prout est contra rationem successivi: secùs si existeret penes partem primordialem in alias determinatas indivisibilem.

Ad

219 *Ad* 1. *Conf.* dicimus, Temporis non esse, nisi *Nunc*, sive partis, sive instantis; non instantis solummodò. Pars enim ob suam brevitatem dicitur etiam *Nunc* temporis, modo quo defluit de præsenti. (9) *Insuper* Tempus non habet esse extra animam, nisi penes indivisibile: at nomine indivisibilis venit etiam pars temporis, quæ naturaliter, & apud nos indivisibilis est. *Ad* 2. *Conf.* neg. conseq. Nam ly *prius*, *& posterius* in temporis definitione, nedum ejus partes, sed instantia quoque significat, quæ vicissim, ut partes, priora, præsentia, & posteriora sunt, teste Aristotele: (10) *Ipsum autem Nunc tempus mensurat secundùm, quòd prius, & posterius est.*

220 In definitione Temporis non exprimitur pars præsens, sicut nec præsens instans; quia præsens non ita facilè concipitur, ut præteritum, & futurum: re tamen vera tempus habet præsens, præteritum, & futurum, sive ratione partis, sive instantis. *Ad Urg.* dicimus, majorem veram esse de re permanenti, quæ completè, & permanenter existit; secus de successiva, quæ successivè existit, & incompletè. *Nec dicas*, existentiam esse ultimum rei complementum. *Nam* est, juxta indolem rei existentis: quæ, si permanens sit, totaliter, & simùl completur; si successiva, successivè completur, priùs secundùm instans, posteà secundùm partem, &c.

221 *Dices* contra præcipuam arg. solutionem: Si pars Temporis ratione sui existeret fluidè, & successivè, plures partes Temporis, nedum proportionales, sed etiam determinatæ simùl existerent: Ergò. Prob. ant. Cum est pars præsens secundùm aliquid sui, illud partis, quod præsens est, habet duas simùl præsentes medietates, quarum quælibet suas habet medietates, &c. Ergò. *Resp.* ejusmodi medietates non esse partes aliquotas, & determinatas, sed proportionales, quarum multæ simùl esse possunt in re successiva,

(9) *V. D. Thom. Opusc.* 36. *cap.* 3. (10) 4. *Physic. text.* 104.

siva, ut diximus *num.* 16. Et roga Adversarios, an sint plures medietates præsentes ratione instantis, cum ratione instantis est præsens pars?

122 *INQUIRES*: Quomodò incipiant, ac desinant, tam res permanentes, quàm successivæ? Duplex Inceptio, ac duplex Desitio distingui solet, intrinseca, & extrinseca. Intrinseca Inceptio est, quæ fit per primum esse rei; quæ sic exponitur: *Nunc est res; immediatè anteà non erat.* Inceptio extrinseca est, quæ fit per ultimum rei non esse: quæ ita exponitur: *Nunc res non est; immediatè posteà erit.* Similiter Desitio intrinseca est, quæ fit per ultimum rei esse: atque ita explicari solet: *Nunc res est; immediatè posteà non erit.* Extrinseca autem Desitio est, quæ fit per primum non esse rei: itaque explicatur: *Nunc res non est; immediatè anteà erat.*

123 Ommissa frequentiori Sententia apud Authores videnda, placet singularis discurrendi modus Collegii Ripensis, (11) asserentis, omnia incipere intrinsecè, seu per primum sui non esse. *Ratio est*: Quia in rigore loquendo, res non incipit quousque aliquid rei sit: Ergò per primum, quod de re est, res ipsa incipit. *Similiter*: Dum aliquid rei est, res non desinit esse ultimatè, cum adhuc sit: Ergò tunc desinit omninò, cum incipit non esse, seu cum incipit ejus carentia; ac proindè res omnis desinit per primum sui non esse. Vide præfatum Colleg.

ARTICULUS II.

An sit possibile extra Deum Infinitum in actu? Ubi: de Creatura omnium possibilium perfectissima.

1 INfinitum est, quod fine caret, illudque ab Aristotele solet explicari: (1) *Cujus semper est aliquid extrà.* Id est: cujus qualibet parte assignata, adhuc alia, &

(11) 4. *Physic. dub.* 7. *conf.* 3. (1) 3. *Physic. text.* 62.

alia sine fine restat assignanda. *Hinc* : finitum additum finito non facit infinitum : neque, si infinito auferatur finitum, redditur finitum. Infinitum alterum est actuale, & simpliciter, quod vocant *cathegorematicum* ; alterum in potentia, & secundùm quid, quod *syncathegorematicum* dici solet. *Primum* est, quod secundùm quod actu habet, nullis clauditur terminis. *Secundum* est, quod secundùm id, quod actu habet, terminis finitur ; tamen penes id, quod habere potest, nullis finitur limitibus.

2 *Supponimus*, possibile esse in rerum natura Infinitum in potentia, sive secundùm multitudinem, sive magnitudinem, sive intensionem. *Ratio est* : Quia numerus crescere potest usque in infinitum, nullus enim dabilis est numerus, cui Deus plures, & plures addere non possit unitates. *Similiter* quantitas, quantumcumque magna, tanta esse non potest, cui Deus novam extensionem addere non possit. *Nec* denique dabilis est qualitas adeò intensa, quæ magis, ac magis divinitùs intendi nequeat. *Supponimus* insuper, nullam creaturam actu infinitam de facto existere, nec posse naturaliter, ut est communis sententia.

3 *DICIMUS* 1. Repugnat creatura secundùm essentiam actu infinita. (2) *Ratio est* 1. Quia creatura ex sua ratione essentiali est aliqua permixta potentialitate, solus enim Deus est actus purus ; sed potentialitas ex suo conceptu formali dicit actualem limitationem, cum imbibat defectum perfectionis, ad quam est potentialitas, ut clarum est : Ergò. *Secundò* : Quia creatura essentialiter participat rationem entis, non enim esse potest tota entis plenitudo, ut Deus ; sed participans rationem entis, comprehenditur sub terminis essentialibus genere, & differentia, nec totam entis perfectionem includit : Ergò.

4 *DICIMUS* 2. Implicat in creatis magnitudo actu infinita. (3) *Ratio est* 1. Quia quantitas infinita, cum debeat esse

(2) *Sic D. Thom.* 1. p. q. 7. art. 2. (3) *D. Thom. ubi sup. art.* 3.

se substantiæ corporeæ, cui inest, proportionata, exigeret substantiam corpoream actu infinitam; sed repugnat substantia corporea actu infinita, cum debeat suis terminis essentialibus, genere scilicet, & differentia, comprehendi, ut nuper diximus: Ergò. *Secundò*: Omnis quantitas debet esse figurata, cum figura sit proprietas quantitatis; sed figura est quantitatis terminus, & limitatio: Ergò. *Tertiò*: Quia corpus illa magnitudine infinita extensum non esset mobile motu directo, cum non esset locus ab illo non occupatus: non motu circulari, nam inter partem, & partem, quæ moverentur, daretur infinita distantia; cum enim infinitè distarent à centro, infinitè distarent inter se: Ergò corpus illud non esset mobile, nec naturale; quod implicat.

5 *DICIMUS* 3. Repugnat in creatis multitudo actu infinita. (4) *Ratio est* 1. Quia omnis multitudo essentialiter continetur sub aliqua specie numeri; sed omnis species numeri determinatur per ultimam unitatem, cum ultima unitas det numero speciem: Ergò. Patet maj. quia multitudo est cumulus unitatum, qui præcisè aliquis numerus est. *Secundò*: Quia daretur unum infinitum alio majus; nam dato infinito hominum, datur majus infinitum capillorum: id autem repugnat, adhuc materialiter; quia aliàs minus crescere posset per unitatum additionem usque ad majus; quod est contra rationem infiniti. *Adde*, repugnare multitudinem creatam, qua majorem Deus producere non possit: sicut etiam magnitudo.

6 *DICIMUS* 4. Repugnat qualitas infinitè intensa. (5) *Ratio est*: Quia qualitas infinitè intensa exigeret substantiam, cui ineffet, infinitam, cum illa per majorem radicationem intendatur, ac solùm infinitum subjectum esset capax infinitæ intensionis; sed repugnat substantia infinita: Ergò. *At* si velis, qualitatem per graduum additionem intendi; cum repugnet infinita graduum multitudo, ut suprà

(4) D. *Thom. ubi supr. art.* 4. (5) D. *Thom.* 1. *p. q.* 7. *art.* 11.

diximus, repugnat quoque infinita intensio. *Nec dicas*: Gratiam, & Christi merita esse infinita. *Sunt* etenim in esse moris, seu quoad valorem; secùs quoad entitatem, & in esse physico.

7 *DICIMUS* 5. Repugnat creatura omnium possibilium perfectissima. *Ratio est*: Quia, ut ait D. Thomas, (6) *Simpliciter loquendo, qualibet re à se facta, potest Deus facere aliam meliorem*; alioquin Deus ejusmodi creaturam producens, suam exhauriret Divinam Omnipotentiam, quippè qui ulteriorem producere non posset. *Secundò*: De conceptu creaturæ est, quod infinitè distet à Deo in perfectione, atque eò sit Deo proximior, quò fuerit perfectior: Ergò sub infinita illa distantia quacumque creaturæ perfectione posita, potest major, & major poni sine fine.

SOLVUNTUR ARGUMENTA CONTRARIA.

8 *ARGUES* 1. contra 1. Conclusionem: Quantò perfectior est virtus productiva, tantò perfectiorem effectum producit, aut potest saltem producere; sed Divina virtus est infinita: Ergò. *Resp.* dist. maj. Tantò perfectiorem effectum producit ex his, qui possibiles sunt, concedo maj. ex his, qui sunt impossibiles, ut est absolutè creatura secundùm essentiam infinita, nego maj. Sicut non est possibilis creatura non creata, ita creatura non finita. *Nec dicas* effectum debere suæ causæ proportionatum esse. *Nam* verum est in causis univocis; secùs in æquivocis. *Imò* effectus adæquatus Divinæ virtutis sunt omnia possibilia, quæ infinita sunt syncathegorematicè; sicque proportionatur quodammodò.

9 *Instab.* Potest Deus producere perfectissimam ex his, quas potest producere, creaturam; sed illa esset infinita: Ergò. *Resp.* neg. maj. Quia, cum Deus possit perfectiorem, &

perfectiorem

(6) 1. *part. quæst.* 25. *art.* 6.

perfectiorem creaturam usque in infinitum syncathegorematicè; ad omnium, quas valet producere, perfectissimam devenire non potest. *Replic.* Si Deus ageret necessariò, produceret omnium perfectissimam creaturam, infinitamque; Ergò liberè agens, potest illam producere. *Resp.* neg. maj. Deus enim, necessariò agens, non faceret impossibile, qualis est creatura actu infinita; sed produceret perfectiorem, & perfectiorem. *Adde*, dato uno impossibili, aliud facilè sequi.

10 *ARGUES* 2. contra 2. Conclusionem: Quantitas, seu magnitudo actu infinita non repugnat ex parte Dei, Omnipotentis quippè; neque ex parte sui, quippè quæ potest in infinitum augeri, nec habet, aut exigit determinatum suæ augmentationis terminum: Ergò. *Conf.* 1. Tempus, cum potuisset esse ab æterno, juxta plures Thomistas, potuit esse infinitum; fluxissent enim jam innumeræ illius partes: Ergò etiam quælibet magnitudo. *Conf.* 2. Potest Deus immensum spatium supra Cœlos à nobis conceptum corpore replere; sed illud corpus esset infinitæ magnitudinis: Ergò.

11 *Ad arg.* resp. eam magnitudinem repugnare ex parte sui, quæ nequit sine figura, & termino existere: Licet enim valeat in infinitum syncathegorematicè augeri, neque exigat determinatum suæ augmentationis terminum; exigit terminum indeterminatum, nec totum possibile illius augmentum ad actum simùl reduci potest. *Ad* 1. *Conf.* dicimus Tempus, ex quo fuisset ab æterno, fururum fuisse tantummodò syncathegorematicè infinitum, nam ejus partes non simùl extitissent. *Ad* 2. *Conf.* dist. maj. Potest illud totum simùl, & cathegorematicè replere, ita ut nihil ampliùs replendum supersit, nego maj. Potest illud totum successivè, & syncathegorematicè replere, plus, & plus sine fine replendo, concedo maj. Sed hinc corpus illud esset magnitudinis solùm syncathegorematicè infinitæ.

12 *ARGUES* 3. contra 3. Conclusionem: Potest Deus in singulis horæ partibus, aut instantibus Angelum creare; sed

hora

hora continet infinita inſtantia: Ergò. *Conf.* In quolibet continuo ſunt infinitæ partes proportionales; ſed poteſt Deus eas mutuò ſeparare: Ergò. *Urg.* Poteſt Deus omnia poſsibilia in actu ponere; ſed omnium poſsibilium multitudo eſt infinita: Ergò. Patet maj. Nam id poteſt Deus in actu ponere, quod ex ſe poſsibile eſt, ut re vera ſunt omnia poſsibilia.

13 *Ad arg.* diſt. maj. In ſingulis horæ partibus, aut inſtantibus aliquotis, ſeu determinatis, concedo maj. in ſingulis partibus, aut inſtantibus indeterminatis, & proportionalibus, nego maj. Hæc infinita ſunt, licet ſolùm in potentia; illa tamen finita. Solutio conſtat ex dictis. (7) *Dices* 1. Poteſt Deus ſingulas horæ partes indeterminatas producere: Ergò etiam Angelum in ſingulis partibus indeterminatis. *Reſp.* diſt. ant. Poteſt producere immediatè, & ſigillatim, nego ant. mediatè, producendo determinatas horæ partes, in quibus illæ includantur, concedo ant. & nego conſeq. Cum enim partes indeterminatæ ſint medietates medietatum, & medietatum; nequeunt ſigillatim produci, ut deberent, ad hoc ut in ſingulis Angelus crearetur.

14 *Dices* 2. Si Tempus fuiſſet ab æterno, ut in probabili ſententia potuit, fluxiſſent jam infinitæ partes determinatæ, & aliquotæ; ſed in harum ſingulis potuiſſet Deus Angelum creare: Ergò daretur jam infinita Angelorum multitudo. *Reſp.* admiſſa illa probabili ſententia, quòd fluxiſſent partes determinatæ infinitæ quidem ſecundùm quid, ſolùmque à parte antè; ſecùs ſimpliciter, & ex omni parte. (8) *Si dicas* adhuc: infinitos Angelos à parte antè potuiſſe ab æterno cognitiones elicere, atque illas uſque in æternum multiplicare. *Reſp.* Eas cognitiones numquam fore actu infinitas à parte poſt; nam ſemper reſtarent plures, & plures ſine fine;

(7) *In hoc. lib. quæſt.* 1. *art.* 2. *num.* 35.

(8) *V. D. Thom.* 1. *part. quæſt.* 46. *art.* 2. *Guerin.* 2. *part. Phyſ. quæſt.* 1. *art.* 2. *Irib.* 8. *Phyſ. art. ult.*

ne; quamvis dicantur infinitæ in potentia. *Ad Conf.* positam *num.* 12. constat solutio ex dictis *in hoc lib. quæst.* 1. *art.* 2. *à num.* 22. *& seq.*

15 *Ad Urg.* dist. maj. Deus potest omnia posſibilia simul, & cathegorematicè in actu ponere, nego maj. alioquin exhauriretur Divina Omnipotentia: potest illa in actu ponere divisim, & successivè, plura, & plura sine fine, concedo maj. Licet enim omnia posſibilia à Deo produci posſint; non tamen omnia simùl, sed successivè, nam qualibet posſibilium multitudine à Deo in actu simùl posita, restant plura, & plura sine fine producibilia. Undè omnium posſibilium creaturarum collectio non est posſibilis posſibilitate collectiva, ita, ut posſit simùl, & collectivè produci; sed divisiva, quatenùs omnia divisivè produci posſunt usque in æternum: neque est illa infinita infinitate cathegorematica, sed syncathegorematica.

16 *Dices* 1. Divina Omnipotentia est actu infinitæ virtutis: Ergò valet effectus actu infinitos efficere. *Secundò*: Divinus intellectus simùl cognoscit omnia posſibilia: Ergò potest illa simùl producere Divina Omnipotentia, quæ infinita est, sicut intellectus. *Tertiò*: Deus potest producere quidquid cognoscit cognitione practica, hæc enim est rerum effectiva; sed ea cognitione cognoscit infinitam multitudinem: Ergò. *Quartò*: Beatorum cognitiones per totam æternitatem futuræ existunt simùl in æternitate præsentes; sed illæ sunt infinitæ: Ergò.

17 *Urg.* Ex actuali omnium posſibilium productione non exhauriretur Divina Omnipotentia: Ergò. Prob. ant. Ex infinitæ multitudinis productione non exhauritur Omnipotentia: Ergò. Prob. ant. Collectio omnium posſibilium, uno dempto, est infinita; sed si Deus illam collectionem in actu poneret, non exhauriretur Omnipotentia, cum adhuc posſet demptum posſibile producere: Ergò. *Addo*: Nullum est inconveniens, generativam Patris potentiam ad terminum

adæqua-

adæquatum, nempè filium, terminari : Ergò neque implicat, Omnipotentiam terminum adæquatum, omnia scilicet possibilia, unà producere.

18 *Ad* 1. inst. resp. neg. conseq. Sicut enim Omnipotentia est per essentiam infinita, quin valeat effectum per essentiam infinitum producere, ita est actu infinita, quin possit in actu ponere infinitum effectum : sufficit eam posse plus, & plus sine fine. *Ad* 2. dist. ant. Cognoscit simùl omnia possibilia, ut successivè producibilia, concedo ; ut simùl producibilia, nego ant. & conseq. Deus cognoscit possibilia, ut sunt simùl in sua Omnipotentia virtualiter : Omnipotentia verò ea producit in se ipsis, quæ solùm successivè esse possunt. *Ad* 3. dist. maj. Eo modo, quo est producibile, concedo : aliter, nego maj. Et dist. min. Multitudinem infinitam infinitate cathegorematica, nego min. syncathegorematica, concedo min. & nego conseq.

19 *Ad* 4. resp. Beatorum cognitiones, sicut etiam omnia futura, esse simùl physicè præsentia in æternitate, non simultate objectiva, & se habente ex parte cognitionum, sed subjectiva, & ex parte divinæ æternitatis, quæ omnium rerum durationes includit. *Ad Urg.* dicimus, Deum non posse ponere in actu omnium possibilium collectionem uno, aut mille demptis, quin exhauriatur Omnipotentia : nam ea collectione posita, jam limitaretur illius virtus, atque adeò destrueretur, simùlque possibilia dempta redderentur impossibilia. *Ad addit.* nego conseq. Quia Pater Æternus semper generat Filium ; undè non exhauritur virtus generativa ex quo ad terminum adæquatum terminetur : At, si semel producerentur omnia possibilia, nihil ultrà Deus posset ; ideòque exhauriretur Omnipotentia.

20 Alia argumenta, præcipuè de creatura omnium perfectissima, proponere non vacat : ut tamdem aliquando Physicæ Generali ad Dei, omniumque Sanctorum gloriam finem imponamus.

FINIS.

BIBLIOTECA PROVINCIAL

Victor, Victor, Victor, tez gemmis ornanter.
gloria, laurus, honos, vivat Thomistica turba.

Signat.ª Top.ª
Ist. 4
Tab. 1
Num. 17

CURSUS

Schola Pia

. 3 .

2796
3490